HYPERASPISTES

BIBLIOTEKA UNIW. W POZNANIU
I
229792

HYPERASPISTES

Constat Quodlibeta 05 . posnanie 1.5.28.

DES. ERA-

SMI ROTEROD. HYPERASPI
stæ liber secundus aduersus librū
Martini Lutheri, cui titulum fe
cit Seruum arbitrium.

Opus nunc primum excusum.

ANNO M. D. XXVII.



W woluminie kolejno współoprawne sygnatury:

SD 34444 Ia

SD 34444 Ib

HYPERAMISTES

Dar Kuratorj. Okr. Szk. Pozn.
Z księgozb. Gimn. im. M. Magd.
w Poznaniu. 1930.

Constat Anno Dni 1527, postmodum 1528.

DES. ERA-

SMI ROTEROD. HYPERASPI
stæ liber secundus aduersus librũ
Martini Lutheri, cui titulum fe
cit Seruum arbitrium.

Opus nunc primum excusum.

ANNO M. D. XXVII.

Erasmus Roterodamus.

SD 34444 I,b

1205459

VD16 E 3033

N. 4463265

UNIW. BIBL. POZNAŃ

DES. ERASMVS ROTE

rodamus pio lectori S. D.

QVIDEM decreuerã post priorẽ illã Hyperaspistæ q̃uis tumultuariã uelitationẽ cõquiescere, nõ perinde tædio molesti laboris, q̃q̃ ingenue fateor ingeniũ meũ ab istis rixosis cõtentiõibus nõ minus abhorrere, q̃ ab ipsis inferorũ portis, atq; ob id quod non perspiciã, quid hinc boni fructus possit oriri. Quid enim refert cũ illo cõfligere, qui doctores ecclesiæ, ab ipsis usq; Apostolorũ tẽporibus, quamuis eruditione sanctimoniaue probatos, qui conciliorũ quãlibet ueterũ placita, qui populi Christiani cõsensum pro nihilo ducit, q̃ præter irrefutabilis scripturæ testimonia nihil admittit, sed huius interpretationẽ pro suo arbitratu tẽperandã, uni sibi uindicat, cæterorum sententijs umbrarum instar uolitantibus, qui quoties cõmodum est, gignit nobis noua rerum uocabula, nouas definitiones, nouas distinctiones, noua paradoxa, sic totam disputationem undique conuitijs fermentans, sic insatiabili loquacitate confundens omnia, ut tæuio respondere parantem enecet. Et tamen sibi mire uidetur pugnare, subinde triumphos instaurans, glorioſasq; cantiones, iò pæan, & iò triumphe nobis ad singulas penè sententias occinens. Accedunt ad hæc, quorundã

nimium morosa nec dicã maligna iudicia, nimiũq; te naces suspitiones. In diatriba quoniam studio tempe ratum est à conuicijs, quo rei ueritas liquidius elu ceseret, submotis affectuum nebulis, interpretati sunt quidam me cum Luthero colludere. Rursus alij prædi cant, me non expedisse uires omnes ingenij, idq; colli gunt ex eo, quod quum ut aiunt in quibusdam locis il lum uehementer urgeam premamq;, tamen alicubi ui dear suffrigidus ac subtimidus & studio cõtrahens un gues parcẽsq; aduersario. Quæ suspitio quum sit ini quissima, tamen multo est absurdior istorum suspitio, qui dictitãt, etiam nunc post tam hostilem Lutheri in me debacchationem post Hyperaspistæ uclitationem, satis opinor liberam, etiam si minus contumeliosam, qua parte lubẽs superari me patior, nos inter nos col ludere. Deum immortalem, quid isti uocant pugnam, si tam cruentus congressus nihil aliud est q̃ collusio? Erant & aliæ causæ non leues, quæ mihi persuaserãt, satius esse tractare materias quum magis frugiferas, tum huic ætati cõgruẽtiores. Verum quoniam amici suo iure promissi fidem efflagitant, rursus qui uel Lu thero fauent, uel mihi inuident, iactitant me deserta causa, uictoriam aduersario cedere, præsertim quum ipse Lutherus, perinde quasi nihil omnino responsum sit libello germanice scripto satis gloriose celebret su os triumphos, minimo nos prouocãs, imò potius om

nibus

nibus oppedens glorioſiſſima illa ſua uoce Trotz, ad conflictum redeo: apud Lutherum quidem ſat ſcio nihil aliud profecturus, quã ut inſolẽtius etiam plaudat ſuo dogmati, nonnihil etiam addens abſurditatis, ſed partim ut liberẽ fidẽ meã, quam lectori ueluti chirographo publicitus obſtrixi, partim ut animos uacillãtes fulciã, ſanabiliter ægrotãtibus medear. Quod utinã uel per nos, uel aliũ quẽlibet facere dignetur is, cuius cauſam nos agere credimus. Nec pluribus te præfando morabor optime lector, quo rem cognoſcas integrior. Vale.

HYPERA-

SPISTAE DIATRIBES LIBER SE-CVNDVS PER D. ERASMVM ROT.

TCVNQVE tandē è ri-xarū ſpinetis & conuiciorū lap-pis tribolisq; ſumus eluctati. Sic enim ubiq; uisū eſt Luthero ma-ximam uoluminis partem, iur-gijs, ſcommatibus & calumnijs perdere, in hoc qd' ſupereſt cur-ſus erit aliquanto expeditior. Non quod ille poſſit uſ-quā ſui diſſimilis eſſe, ſed argumētationis denſitas & ſacrarum ſcripturarum crebra teſtimonia non præbe-bant hic perinde liberum campū maledicentiæ. Quā quā & in his tantum eſt gloriarum, inſultationū, di-» cteriorum, ut minima portio data ſit cauſæ. Præſtat igitur ut his neglectis ſermonē uertamus ad lectorē, ſatis iam cū illo rixati homine, hac quidē parte pror-ſus inuicto. Quanq; & illic obiter inter rixādum ar-gumentationis futuræ ſemina iecimus, indicatis ratio-nibus per quas & noſtra confirmari, & illius lemma-ta dilui poſſ nt. Cæterum quoniam Lutherus intolera-bili loquacitate mirisq; deprauationibus ueluti fumis inuoluit omnia, non ab re fuerit denuo lectori per epi-logum

logum summã eorum quæ dicta sunt quatenus ad rẽ pertinent ob oculos ponere.

Primum ostendi falsissimum esse, imò res ipsa loqui 1
tur esse manifestariæ uanitatis, qd' Lutherus toties im pingit meam Diatribam nihil aliud docere, quàm esse aliquod liberum arbitrium, quum illic tot uerbis expli cetur quid sit liberũ arbitrium, quale fuerit cõditum, quale sit uitiatum, quomodo sanetur, quid possit non dum restitutum uel in bonum uel in malum, quid uale at auxiliante gratia, & quid agat assentiens operan/ ti gratiæ, quid cooperans cooperanti: & tamen quum ille simpliciter neget ullum esse liberum arbitrium, si nil aliud docuissem quàm aliqd' esse, uicerã. In cæteris enim quæstionibus quid agat, & quantum ualeat, ua/ riant orthodoxorum sententiæ, concordes interim in hoc, esse aliquod.

Deinde de contentione uocis excepi. neq; enim me 2
um inuentum est ut dicatur liberum arbitrium, sed no men hoc à priscis ecclesiæ doctoribus perpetua serie successionis ad nos usq; deriuatum est. Si quis malit ap pellare uolũtatem utroq; uolubilem & ad malum & ad bonum, mea nihil refert. Augustinus tamẽ & Bern ardus interdum appellare uidentur lib. arbitrium ip/ sum uoluntatis assensum naturalem, quæ cogi non po test nisi cogat seipsam. Siquidem hanc libertatem tri/ buunt etiam Pharaoni & spiritibus impijs, in quibus

utiq; uoluntas non est libera ad bonum & malum, sed tantũ ad assentiendum, quod est naturæ humanæ, quo differt homo à brutis & inanimis, in quibus appetitus est nõ uolũtas. Volũtas enim ibi nulla est, ubi nulla est ratio. Porrò ubicũq; uolũtas est ibi libertatẽ esse aiũt. Nã diuus Bernardus ex his duabus uocibus, arbitriũ refert ad rationem, liberũ ad uoluntatem. Ratio iudicat ac monet, uolũtas eligit aut certe assentitur. augu
» stinus Hypognosticon libro 3. si tamen hoc opus, licet eruditum, illi tribuendum est, scribit peccato Adæ liberum arbitrium perdidisse bonum possibilitatis, nomen & rationem manere. Ac planè fateor nomen esse superbum, si ad naturam hominis uitiatam expendatur, tametsi Græcis etiam superbius est τὸ αὐτεξούσιον, quasi ex se possit quicquid uelit. Verum ineptũ sit de uoce digladiari, quoties de re cõuenit. Hoc nomine sunt usi, qui quàm minimum tribuunt humanæ uoluntati, gratiæ uero totum. Velut Ambrosius in libris de uocatione gentium, nihil moror si quis hoc opus alij malit tribuere, quisquis fuit, non cedit Ambrosio. Item Hieronymus, Augustinus & Bernardus, Mihi uidetur liberum arbitrium dici uoluntas ad eligendum libera, non plene quemadmodum erat condita, sed iuxta reliquias conditionis, & natiuã habilitatẽ per gratiam dei reparabilem: quemadmodum homo dicitur robusto corpore, qui natura tale corpus

habeat

habeat, & ad pristinas uires restitui possit, licet interim morbus natiuum robur attenuet.

Constat inter orthodoxos in homine primum con- 3
dito, quemadmodum & in angelis liberam fuisse uoluntatem, uel perseuerandi in bono uel deflectendi ad malũ, nec imputari posse peccatum ubi nõ est ullo pacto liberum arbitriũ. Excipio infantes & fatuos quorum peculiaris est ratio.

Porro liberum arbitriũ hominis, per peccatũ Adæ, 4
magis autem si accedant peccata quæ quibusdam dicũtur personalia, obscuratum fuit non extinctum, uulneratum non occisum, claudicatione læsum non amputatum, semiuiuum relictum non mortuum.

Docuimus nõ absurde liberum dici, quod suapte na 5
tura liberum est, licet aliquo casu libertas sit amissa: ueluti qui nati ingenui uenerunt in potestatem hostiũ, unde si detur aufugere redeunt in pristinam conditionem, ex communi sermonis cõsuetudine liberos appellamus magis ad natiuitatẽ respicientes quàm ad præsentem sortem.

Et alioqui quod imperfectum est non protinus amit 6
tit totius uocabuli rationem, ueluti nõ statim dicitur ægrotus, qui solito factus est imbecillior.

Postremo naturalis habilitas seruat cognominis ho 7
norẽ, quod genus, si quis dicat corpus hominis utroq; uertibile, nimirum ad sanitatem & ægrotationem, cũ

tamen absq; medico nõ possit tueri aut recuperare bo nã ualetudinẽ. Fingamus enim hoc esse docẽdi gratia.

8 Demonstrauimus & impijs manere lucem aliquã rationis per quã philosophi sine gratia consecuti sunt cognitionem diuinæ naturæ, iuxta Paulum. Eadẽ opera demonstratũ in eisdẽ manere aliquã honesti appetẽtiã. Hæc sunt semina seu reliquiæ natiuæ libertatis.

9 Ostendimus triplicem esse gratiam, unam naturæ, nam iuxta Paulum in deo uiuimus, mouemur, & sumus: alteram inuitantem ad meliora, quàm Augustinus uocat operãtem, nõnunq; pulsantem, interim præparantem, aliàs præueniẽtem. Hæc nondum confert perfectam innocentiam, sed huc tamẽ præparat. Tertiam iustificantem, quã Augustinus appellat cooperãtem, Bernardus addit perficientem, existimans nec in initio nec in fine quicquã agere uoluntatem hominis, tantum in progressu cooperari gratiæ.

10 Declarauimus nihil esse absurdi, si eiusdem operis plures sint causæ simul operantes, aut si uoluntas acta dicatur agere, quemadmodum docet Augustinus quũ alijs locis tum libro de correptione & gratia. cap. 2.

11 Voluntas autem libera dici potest tribus modis, uel quia perficit quicquid uult, quod soli deo propriũ est: uel quia uult quidem sed inefficaci propensione, ni succurrat gratia: uel quia quod uult, etiã si malũ sit, facit nullo prohibente. Hoc postremo modo & in malis libera

lis libera est, nisi reuocetur ab omnipotẽte gratia. Secũdo modo est quadãtenus & in impijs ex influxu naturæ, & in malis ex gratia pulsante, nisi mauis & illam priorem appellare pulsantem gratiam.

Hanc gratiam quidam probabiliter existimant nulli deesse, nec unq̃ ullo seculo defuisse, nec defuturam sanè qd' ad salutem satis sit, de adultis loquor, nisi si quis defuerit oblatæ gratiæ. 12

Deest autem homo gratiæ duobus modis: uel si pulsantẽ spernat: uel si qd' gratiæ dei debetur, suis meritis arroget, uel si post gustatum dei donũ redeat ad uomitum. Contra non deest, quum naturæ uires, animiq̃ studium ad gratiam operantem accõmodat. 13

Ostendimus nostram definitionem, seu descriptionẽ uerius, neq; diminutam esse claudám ue, neq; redundãtem, nec impiam, qualem eam Lutherus suis depravationibus reddere conatus est. 14

Docuimus illum in distinctione sententiarum quas proposueram hallucinatum esse. Vnde factum est, ut multa illius argumẽta uolitent inania, quum ignoret scopum. Nam pelagianum dogma, quod asserit hominum meritis deberi gratiam, ut olim damnatum relinquimus. Huic proximam opinionem, quam incertum quo autore natam nunc amplectũtur scholæ, quæ docet per opera moraliter bona, ex naturæ uiribus hominem eo posse proficere, ut dei bonitas non 15

neget

neget ſuam gratiam, præſtanti quod in ipſo eſt, quem admodum non tuemur admodum, ita nec impugnamus: huic tamen præferimus opinionem Auguſtini, qui cum initium, progreſſum & finẽ tribuat gratiæ, nihiloſecius tamen ponit in homine liberum arbitriũ, licet ĩefficax abſq; gratia, ex quo tamen iudicetur impius: nec patitur ut ex bonis homo quicquã arroget ſibi, nõ quod uoluntas hominis nihil agat in bonis, ſed quod ſumma bonorum illi ſit imputanda, ex quo proficiſcitur omne bonum, etiam ipſæ naturæ uires. Et hãc opinionem uoco probabilẽ, argumentatione tentaturus, ſi qua melior poßit inueniri. Nam in libris Auguſtini de prædeſtinatione ſanctorum, de gratia & libero arbitrio, item de gratia & correptione, quædã admiſcentur huic quæſtioni nondum ſatis explicata.

16 His ita digeſtis, indico cum quibus opinionibus mihi potißimũ futura ſit dimicatio, nimirum cum duabus, quarũ altera eſt Carolſtadij diſputantis cũ Eccio. Ea docet uolũtatem hominis in opere bono nihil agere, ſed tantum agi ab operante gratia ſic, ut nec hunc ſermonem recipiat, gratia bonum opus agit per hominis uoluntatem, ſed ita dici uult, agit in hominis uolũtate: nec tamen is ſimpliciter negat eſſe liberum arbitrium. Altera eſt Lutheri, nõ quam ponit in initio aſſertionis, ſed quam in calore diſputationis aſſerit, nullum prorſus eſſe liberum arbitrium, ſed omnia tũ bona tum

na tum mala, maxima pariter ac minima fieri absolu/ ta necessitate. Quoniam ex his tribus postremis opi/ nionibus, Lutherus fecit unam, & argumenta nostræ disputationis quæ nõdum definiunt, sed inquirunt, nũc ad hãc opinionem spectant nunc ad illã, multa uerba fũdit incassum, sicuti mox ostendemus. Hæc repetitio nõ debet esse molesta lectori, q. non parũ lucis præ bitura sit, in labyrinthis argumẽtationũ. Nũc ad rẽ.

Cap. 87.

Primus locus quem citaram pro libero arbitrio, est Ecclesiastici. 15, Deus ab initio cõstituit hominẽ. &c. in quo si perspicuum fecero qualem Lutherus præsti/ terit artificem, uelim ut lector ex hoc coniecturam fa ciat de cæteris. Quum in argumentando nõnũquã ab utamur iure pugnantis, quemadmodum est dictũ, ini quum petentes ut æquũ feramus, Lutherus sic urget ad singula quasi statim pronũciemus. Deinde non desi nit omnia referre ad illam probabilem opinionẽ, qua si solam illam habeam pro scopo. Id si fuisset non di/ xissem probabilẽ, sed certam & indubitatã. Ad hæc nullum discrimen facit inter hominem initio conditũ & hominem prolapsum, quod tamẽ facit illa mea stul tissima Diatribe. Porrò quum ãtea distinxerim, uelle utcũq; & uelle efficaciter, hic ita colligit quasi sem/ per senserim uoluntatem efficacem, quod ille uocat li/ bere uelle. Quoties aio posse, ille interpretatur posse totum, & posse suis uiribus absq; gratiæ præsidio. At

qui le

qui legerit meam Diatribam longe aliud comperiet. Postremo non meminit quicquid hic dicit conuiciorum in meam Diatribam, recidere in sanctos Ecclesiæ doctores, præsertim in Augustinum, cui Lutherus quoque plurimum solet tribuere. Is enim libro de gratia & lib. arbitrio in quo totis uiribus pugnat, p gratia aduersus Pelagianos, tamẽ hũc locum ceu præcipuum adducit aduersus eos, qui ne gãt liberum arb. ac citato testimonio talem adnectit clausulã. Ecce inquit, apertissime uidemus expressum liberum humanæ uoluntatis arbitrium. Augustinus pronũciat, ego disputo. Augustinus agit illic de homine lapso, ego distinxeram hominem cõditum à lapso. Cæterum quod Lutherus dicit sibi ius esse excipiendi aduersus huius uoluminis, quod Ecclesiastici titulo fertur, autoritatẽ, eo quod apud Hebræos nõ fuerit olim in canone, aut non constat ipse sibi, aut parum defert autoritati Ecclesiæ catholicæ. Nam ante dixerat librum Ester, quũ sit apud Hebræos in canone, cum primis esse dignum qui submoueretur à canone: & hic tantum tribuit illorũ canoni, ut sibi liberũ esse prædicet reijcere, quod in publicos & sacratissimos usus recepit Ecclesia catholica, frequenter ex hoc libro sacrum auspicans pro psalmo, hinc sumens quod epistolæ loco recitetur. Quin ipse diuus Augustinus ex hoc libro mutuatur tela, quibus confodiat hæreticos, quũq; uicissim ab illis urgetur

urgetur testimonijs hinc depromptis, nõ confugit ad reiectionem, sed ad sanam interpretationem. Proinde cõuicium quod hic iactatur in me, iaculetur in Augustinum: sic enim ludit homo falsus, Aliud statuit opinio per Ecclesiasticum confirmanda, & ad aliud allegatur Ecclesiasticus confirmandum, tanq̃ si quis probaturus, Christum esse Messiam, adducat locum, qui probet Pilatum fuisse præsidem Iudeæ. Nam Augustinus in eo quem citaui libro, statuit idem quod ego, nisi quod ille uuli hæreticum uideri qui diuersum sentiat: ego inter cæteras opiniones hanc uoco probabilem: & tamen Augustinus hunc locum uelut omniũ euidentissimum in prima statuit acie, propugnaturũ aduersus eos, qui negant esse liberum arbitrium hominis: ne taxẽ interim, quod sic loquitur Lutherus, Christum esse Messiam, quasi dicas diabolũ esse calumniatorem: nihil enim inter has uoces interest, nisi quod altera Græca est, altera Hebraica. Deinde quod adiungit, dis dia pason conueniat, similis est ineptiæ. Quanquã hæc pretercurrere præstat. Neq; enim proprie faciunt ad institutũ, sed tamen arguũt hominis supinitatem, qui sibimet arrogat quiddam supra modum humanũ. Nunc operæprecium est audire quomodo locũ totum excutiat: prorsus excutit non quomodo solent scrutatores, sed ut solent equi ferocientes excutere sessorem, è sella in cœnum. Hæc inquit uerba Deus constituit

ſtituit hominem ab initio, & reliquit eũ in manu cõſilij ſui, pertinent ad hominem primum conditum, nec faciunt pro libero arbitrio, quum nulla fiat mẽtio de præceptis, propter quæ exigitur liberum arb. ita Lutherus. Quid hac collectione impudẽtius? Prior erat creatio, mox ſucceſsit præceptum. Quid igitur mirum, ſi hoc priore loco commemoratur, quod re ipſa prius erat? Condidit hominem cum uoluntate ſimul & ad bonum & ad malum libera, mox lege propoſita docuit quid eſſet expetendum, quid fugiẽdum, & ad electionẽ boni prouocauit promiſſo præmio, à malo deterruit minis ſupplicij. Quid ſi deus homine cõdito, nullam præſcripſiſſet legẽ, an ideo cariturus erat lib. arb? Angelis nullam legem legimus eſſe præſcriptam, & tamen per lib. arb. quidam deſciuerunt, quidam perſtiterunt. Hic quum nihil omnino ſit, uel obſcuri uel abſurdi, tamen Lutherus perinde quaſi conpulſus inexplicabili neceſsitate, gignit nobis nouam interpretationem, hactenus à nemine ſomniatam, ſed adeo duram ac detortam, ut ipſe ſenſus communis ſtatim reijciat. Quin hic totus Lutheri ſermo ſic iacet ac friget, ut hæc ſcribens nec ſibi uideatur placuiſſe.

» Notata eſt olim M. Callidij in ſermone atroci frigida actio & audiuit à Cicerone. Niſi fingeres non ſic ageres. Et, Iſta ſi uera eſſent, ſic abs te dicerentur? Idẽ ſtatim ſuccurrit hic lectori: niſi fingeres Luthere, nõ ſic

diſpu

disputares. Proinde non alienũ fuerit, ipsa Lutheri uerba subscribere, q. liber eius fortass à multis legi non poterit, ob principum interdicta. Sic habet locus, (Primo dicit, Deus constituit hominem ab initio) hic de creatione hominis loquitur, nec adhuc quicquam uel de libero arbitrio, uel de præceptis dicit. Sequitur (& reliquit eum in manu consilij sui) Quid hic? An liberum arbitrium astruitur? At ne hic quidem fit mentio de præceptis, pro quibus liberum arbitrium exigitur, nec quicquam de hac re legitur in creatione hominis. Si igitur aliquid per manum consilij intelligitur, id potius intelligitur, quod Genesis primo & secundo, homo constitutus est dominus rerum, ut in illis libere dominaretur, ut dicit Moses, Faciamus hominem, qui præsit piscibus maris. Nec aliud ex istis uerbis euinci potest. Ibi enim homo potuit in rebus suo arbitrio agere, ut sibi subiectis. De niq; hoc uocat hominis consiliũ uelut aliud à dei cõsilio. Post hæc uero ubi sic constitutum & relictũ homine in manu consilij sui dixerat, prosequitur, Adiecit mandata & præcepta. Ad quid adiecit? Nempe ad arbitrium & consilium hominis, & ultra illam constitutionem dominij humani super res alias. Quibus præceptis ademit dominium una parte creaturarum, puta arboris scientiæ boni & mali, ac potius non liberum uoluit. Adiectis autem præceptis,

tum uenit ad arbitrium hominis, erga deum & ea quæ sunt dei, Si uolueris mandata conseruare, conseruabunt te. Hactenus Lutheri uerba retulimus, quorum frigus nónne statim arguit illum hæc non ex animo loqui, nisi quod illi propositum erat suo more reijcere quicquid habet Diatribe. Hic de creatione hominis loquitur, nec adhuc fit mentio præceptorũ, pro quibus liberum arbitrium exigitur. Tradit dominium rerum in terra degentium. Si aliquid intelligitur per manum consilij, Etiam dubitat, an his uerbis significetur aliquid. Et adiecit, inquit, nimirũ ad consilium & liberum arbitrium. Quid ni? sed ut materiam liberi arbitrij. Mox adfert similitudinem de constitutionibus Papæ, qua re ille nobis ademerit liberum arbitrium. Tandem hæc, inquit, si clara satis sunt, quum prius affirmarit ex illis uerbis nullum alium sensum elici posse: si non sunt, manet tamen in suo sensu negatiuo, donec nos diuersum pbauerimus, quẽ appellat difficilem & coactũ. Hoc Lutheri commento, quod ferrum est durius, quæ glacies frigidior? Et tamen perfricta fronte audet dicere, ex his uerbis, reliquit eum in manu consilij sui, nihil aliud euinci posse, q̃ rerum terrenarum dominium homini traditum. Nihil hic egero, si proferam ueterum quamlibet probatorum interpretationẽ, utetur enim suo iure reijciendi. At quid si ex ipso loco docuero non consistere

sistere Lutheri cõmentum? Agit enim illic Sirach aduersus eos, qui peccata sua reijciebant in conditorem deum, qui tales finxisset homines. Præcedunt enim hæc, Non dixeris, per deum abest, siue absum, siue recessi: Nam Græce est ἀπέστην, quæ enim odit, ne feceris: non dicas, ille me implanauit, id est, seduxit, nam Græce est ἐπλάνησεν. Non enim necessarij sunt ei homines impij. Omne execramẽtum erroris odit dominus, & non erit amabile timentibus eum. Et sequitur continenter, Deus ab initio constituit hominẽ, & reliquit eũ in manu cõsilij sui. Pulchre uero cohærẽt cũ his quæ cõtorquet Lutherus, Nolite deũ facere autorẽ malorũ: nã ille odit omne malũ, sed condito primũ homini dedit dominiũ in res inferiores huius mũdi, ut de his statueret quæ uellet. An potius hoc ratiocinatur Ecclesiasticus, hominẽ si qd peccat, sibi debere imputare non deo, qui hominẽ cõdiderit cũ libera uolũtate: ne uero prætexeret ignorantiã diuinæ uolũtatis, lumini naturæ, adiecit mandata, nec hoc cõtentus, ad benefaciẽdũ inuitauit summo præmio, nimirũ uitæ, deterruit extremo supplicio, uidelicet mortis. Nã quod Augustinus hunc locũ citans, aliquoties addit, creauit hominem rectum, unde sumpserit nescio, quanquam non aberrauit à sensu. Non hic excutiam quod Lutherus homini tribuit liberum arbitrium in administrandis rebus inferioribus, quum alibi docue-

rit nos, omnia simpliciter absoluta necessitate geri, & causam adfert infallibilem dei præscientiam, & omnipotentem dei uoluntatem: atqui hæc etiam angelis adimunt liberum arbitrium, & adigunt ad rerum omnium necessitatem. Si dei infallibilis præscientia, & immutabilis uoluntas in causa est, ut non sit homini liberum arbitrium, quum hæc scientia ac uoluntas complectatur uniuersa quæ sunt in rerum natura, tum maxima, tum minima, ne in infimis quidē rebus erit homini liberum arbitrium, fortasse ne ipsi quidem deo, si Luthero ratiocināti credimus. Deinde perinde loqtur, quasi nō possit homo peccare usu rerū inferiorū. Ad hoc imaginatur nullum futurum fuisse locū libero arbitrio, nisi lex interuenisset astringens dominij ius, quasi non fuerit Adam conditus cū lege naturali. Nam hoc dei præceptū, de ligno, quod est in medio paradisi non comedes, ad ceremoniale um naturam pertinet. Neq; enim peccatum erat uesci de quocunq; ligno, nisi deus uetuisset. Præterea sic temperat Lutherus suam disputationē, quasi præcepta dei tollant ab homine liberum arbitrium, etiam ante lapsum Adæ, quod lōge secus habet. Vt donemus nos per liberum arbitrium nondum liberatos, sic enim loquitur Augustinus, non posse uitare malum, & sequi bonū, Tamē nullus unq̄ negauit Adam potuisse per liberum arbitrium in rectitudine sua persistere, si

ſtere, ſi uoluiſſet. Verum fallitur, aut fallit potius ambiguitate uocũ. Nam ut interdum licere dicitur quod poſſumus, interdum quod iure poſſumus, ita nonnunq̃ liberum aut integrum dicitur, quod eſt in poteſtate noſtra facere aut non facere, nonnunquam liberum eſſe negatur, quod citra iniuriam fieri non poteſt: ut tyranno liberum eſt occidere ciuem innocentem, quod tamen per iura non eſt illi liberum. Et qui fidẽ suam obſtrinxit amico, poteſt illum fallere, quod tamen illi non integrum eſſe dicitur. Hoc igitur liberũ arbitrium, de quo nos hic agimus, quod in hominis uoluntate ſitum eſt, non excluditur præcepto. Neq; enim præceptum efficit, ut non queamus uelle facere, quod uetitum eſt, ſed ut non poſsimus abſq; crimine uelle. Siquidem Adam accepto præcepto, non ſolum uoluit diuerſum, ſed fecit etiam. Itaq; quod hic inuehit Lutherus de libertate dominij, prorſus alienum eſt ab hoc argumento. Nam dominij libertas ius eſt: id aſtrictum, nihil detrahit libero arbitrio, quod per ſolam tranſgreßionem eſt imminutum, ſeu uitiatum potius. Accedit ad hæc, quum Lutherus toties ſubmoueat liberum arbitrium, propter gratiam auxiliantem homini, ſic enim docet nos colligere, adeſt gratia auxilians, igitur nullum eſt liberum arbitriũ: Eſt liberum arbitrium, igitur nihil eſt gratia, Hic tamen in res inferiores non ſolum liberum arbitrium

tribuit homini, uerum etiam regnum & liberum dominium, ac nihilo secius fatetur in his quoq; deum cooperari homini. & ante plus confessus est, hic quoq; omnia geri nutu dei. Ea res si non obstat libero arbitrio in rebus inferioribus, quur obstat in superioribus? Ad hæc qui conuenit regni liberiq; dominij uocabulum cum eo, quod aliâs docuit, hominem ne festucam quidem posse de terra tollere per liberum arbitrium. Diuino tamen unde hæc palinodia. Non poterat Pontificũ constitutiones tollere, nisi nobis induxisset hæc duo regna: alterum erga res inferiores, in quibus Euangeliũ nobis reliquit liberum usum, quam libertatẽ adimere conantur Ecclesiæ cõstitutiones: alterum dei, quo fertur & ducitur homo, non suo, sed dei arbitrio. Sic & ante distinxit consilium dei & consilium hominis. Et hic est, qui toties irridet Sophistarum distinctiones. Sed utrũ Lutherus interpretatur hũc locũ proprie de homine recens condito, an in genere de omnibus: si de primo, qua fronte adimit illi liberũ arbitriũ? Si de lapsis omnibus, quod regniũ illis relinquit, qui per peccatũ exciderunt ab omni libero arbitrio iuxta ipsius sententiã? Equidẽ arbitror Ecclesiasticũ potissimũ de lapsis agere, qui culpã suam reijciunt in deũ, Ille contra culpam reijcit in liberũ arbitriũ, quod si nullum est in rerum natura, autore Luthero, actũ agit Sirach. Est igitur & in lapsis

aliquo

aliquo pacto liberum arbitrium, per quod secundum Augustinũ iudicantur. Ostendimus igitur non ex autoritate ueterũ orthodoxorũ, quã Lutherus non recipit, nisi quum ipsi commodũ est, sed ex ipsa loci consequentia, friuolũ esse cõmentum quod adfert: quanq̃ ille sensum quẽ adducit, uocat sanissimum, ac persistit in suo negatiuo, donec nos cõfirmauerimus nostrum difficilẽ & coactũ. Vbiq; prouocat ad scripturas, At qui superes eũ scripturis, qui nullius interpretationẽ recipit, præterq̃ suã unius? Quis aũt dedit illi ius hoc mirabile, reijciẽdi quicquid uel orthodoxi, uel Ecclesiæ proceres, uel concilia statuerint, & asseuerandi quicquid ipsi commodũ est pro tẽpore? Aut deponat istud ius tyrannicũ, aut nobis pmittat uicissim illius interpretationes reijcere. Quĩ aũt confirmationẽ exigit ualidiorẽ, q̃ ex ipsa loci cõsequẽtia, qd'à nobis modo factũ est? Iã uide q̃ ipudẽs sit et illud hũc sensum, q̃ hactenus nulli Christiano displicuit, præcipuis Ecclesiæ doctoribus, et in his Augustino placuit, ait pugnare cũ uniuersa scriptura, et hũc unũ locũ detorqueri ad asserendũ liberũ arbitriũ, quũ sint innumera testimonia, quæ non ego, sed diuus Augustinus, Ambrosius, Bernardus, Irenæus, Origenes, Hieronymus, & Hilarius proferunt ad stabiliendum liberum arbitriũ. Hic igitur est primus Lutheri triumphus aduersus Diatribam. Verum si cui uidentur hæc parum di-

lucida, habet aliam rimam qua elabatur. Hic succurrit illi frigida distinctio sophistarum de uerbis indicatiuis & subiunctiuis, deq; categoricis enunciationibus & hypotheticis. Conditionale proloquiũ, inquit, nihil asserit. Addit exemplum axiomate dignum, Si diabolus est deus, merito adoratur: si asinus uolat, asinus habet alas: si liberum arbitrium est, gratia nihil est. Huiusmodi blasphemis ineptijs ludit in re seria, Si diabolus est deus, quæ sacrilega uerba ne ioco quidem pronuncianda fuerant homini pio. Ineptum fuerit hic proferre tropos, in quibus asserit aliquid oratio conditionalis, asserit enim uel quũ tropus est iurantis, uel quũ est per ἀδύνατον siue ἄτοπον, aut etiam per rem confessam colligentis aliquid, aut iuxta communem intellectum aliquid indicantis. Dispeream si quicquam habeo rerum tuarum. Hic, si, non solũ affirmat sed et deierat. Et, si principes non tenentur legibus diuinis, impune faciunt quod libet. Sed absurdũ est dicere, principes nõ teneri legibus dei, non igitur peccant impune. Huius generis sunt illa Lutheri de deo & asino, quibus pulchre congruit quod annectit: Si liberum arbitrium est, gratia non est. Magis quadrabat, Si Lutherus est spiritus sanctus, impium est, illi non credere. Num bella collectio fuerit, Si mihi liberum est claudere aut aperire oculos, sol non est? Nihilo magis congruũt illa quæ profert, si quis dicat cæco,

cat cæco, Si uolueris uidere, inuenies thesaurum: Aut ad surdum, Si uolueris audire, narrabo tibi bonam historiam. Sic potius loquendum erat aurito, Si uis auscultare, docebo te rem utilem: si non uis, ne posthac conferas culpam in me. Item, Si uis intendere oculos, uidebis quod optas: sin minus, tibi imputa quod non uideris. Hæc congruunt libero arbitrio primum condito, & eidem per gratiam liberato. Nec enim dei gratia excludit liberũ arbitrium, sed adiuuat: ueluti quum clarum lumen feriens oculos excutit somnolentiam, ut discussis humoribus clare dispiciat. Quid autem de nondum liberatis? Si Scholasticos audimus, possunt & illi per reliquias liberi arbitrij proficere ad donũ gratiæ. Si non audimus, possent excitari per dei præcepta, minas & promissa, pq; similes modos, ut intelligentes & uoluntatem suam auersam & uires impares, implorent dei gratiam. De his loquor, qui nondum peruenerunt in profundum malorũ, consuetudine peccandi quodam modo uersa in naturam. Hæc est Augustini sententia. Verum ut adr m, his duobus modis extra controuersiam est cõditionalem aliquid ponere, contra Sophistarum leges. Item quũ ex re manifestiore quàm ut negari possit, ratiocinamur, ut, Si deus est animus, animi puritate potissimum colendus est. Postremo iuxta communem sensum ex parte conditionali, colligimus aliquid. Vt si

fideiussor dixerit uenditori, idoneo emptori fundum addixeris, si uoluerit. Hic intelligimus illi rem supperere, emptoremq; soluendo esse, si uoluerit. Atq; hic Lutherus in re sophistica bis sophistam agit. Quod enim à dialecticis dicitur, Cõditionalis nihil ponere, non ad cuiusuis rei significationẽ pertinet, sed ad illius quæ explicatur. Aliud aũt explicatur, et aliud colligitur, iuxta communẽ intellectũ, Veluti quum dicitur: si uolueris, potes euadere in uirũ eruditißimũ, nõ affirmatur illũ uelle, sed ingenium adesse felix colligitur. Itaq; qui pollicendo dicit, Si hoc negociũ bona fide peregeris, habebo te inter amicos intimos, non affirmat eũ bona fide gesturũ, quod mandatur, sed indicat se credere hoc ab illo si uelit, præstari posse. Si quotidianus hominũ sermo talibus tropis plenus est, quorsum attinebat, ut Lutherus nobis ex puerorum scholis adferret sophisma, quo totã scripturã in aliũ sensum detorq̃at? Mire uero ridet, q, hic confugerim ad communẽ usum humani sermonis, ac sibi uidetur campũ magnificum nactus, in quẽ expatietur declaraturus in humanã sapientiam. Ergo inquit, diuinas res & uerba metitur ex usu & rebus hominum, quo quid puersius? Verũ interim ubi ille sensus cõmunis quem antea iudicem fecerat interpretationum humanarum? Si deus nobis dignatus est loqui uerbis humanis, iuxta consuetudinem uulgati sermonis, quæ per-

uersitas

uersitas est ex usu sermonis humani uestigare sententiam? Hoc certe tolerabilius, quàm quod facit Lutherus, qui frigidis nænijs Sophistarum excutit sensum diuinæ sapientiæ, Si diabolus est deus, si asinus uolat, Conditionalis nihil ponit, Et ad impossibile sequitur quidlibet, Et imperatiuus ac subiunctiuus modus nec uerum dicit, nec falsum. Assentior non affirmat hoc esse aut fore quod impat, sed sensus cõmunis colligit esse in illius potestate facere quod impatur, si modo sanus est qui impat. Ne hic occlamet, ergo potest ex se liberũ arbitriũ implere præceptum? Respondebit Aristoteles hoc nos posse qd̃p amicos possumus. Dicent iurecõsulti, hoc nos facere, quod aliorũ auxilio facimus. Si facimus, igitur possumus. Adeo scriptura diuina nõ abhorret à more loquẽdi, sensuq; cõmuni, ut deũ etiã in quẽ nihil cadit humanorũ affectuum tamẽ uelut hominũ more cũ hoĩbus loquentẽ inducat. Quanto igitur congruẽtius est, eã ad hos tropos examinare, q̃ ad pueriles sophistarũ leges? Q. d. si nos urges dialecticorũ præscriptis, qd tibi pderit dialectica quoties in literis sacris duæ negationes nihilo plus efficiunt q̃ una? Vbi negatio postpositа signo uniuersali, facit particularẽ orationẽ, ut oẽs nõ dormiemus. Rursus quũ negatio præpositа signo uniuersali, non facit particularẽ, ut, non uidebit me omnis caro. Itẽ quũ à propositione uniuersali affirmatiua, excipitur propo

sitio

ſitio particularis negatiua. Vt, omnes peccauerunt,
quum nec Chriſtus, nec illius mater peccauerit. Et
quum deus dicitur omnia condidiſſe, quum ipſe à nul-
lo ſit conditus. Item quum per hyperbolen dicitur,
quod exactum ad dialectices rigorẽ falſum ſit, ueluti
quũ ea dicuntur non eſſe, quæ ſunt contempta. Rur-
ſum quũ modeſtiæ cauſa deijcitur aliquid ultra citrá-
ue uerũ, Vt quũ Paulus dicitur apoſtolorũ minimus:
quum per ſynecdochen notatur totum à parte, effe-
ctus à cauſa, aut contra, quum per Metaphoram ali-
ud dicitur, aliud intelligitur. An non his tropis plenæ
ſunt ſacræ literæ? Et unde petũtur hi tropi, niſi ab hu
mana loquendi conſuetudine? quorũ adminiculo mul
to frequentius eruitur ſenſus ſcripturarum, q̃ legibus
dialecticorũ, ne dicam ſophiſtarũ. Nam uera dialecti
ca agnoſcit eius linguæ qua diſputat idiomata. Quæ
ſi neſciat, non eſt dialectica, ſed mataeolectica. Quid?
An non ſeruator ipſe quẽadmodũ aſſumpſit hominis
naturã, ita lingua cõmuni nobis loquutus eſt? Num
meum hoc inuentum eſt? Nónne idem docuit Luthe-
rus, ſcripturam accipiendam, ut iuxta uulgarem lo-
quendi morem, & communem ſenſum ſonat? Vnde
nunc repente alius, irridet, quod & docuit & fecit
hoc ipſo opere, cuius æſtimatione non recuſat, ſuũ do
gma uel ſtare, uel cadere. Et hinc elicit hypbolicam
collectionẽ, q̃ nihil de deo niſi humanũ cogitet Era-
ſmus.

smus. Habemus doctores subtiles, habemus sanctos, habemus irrefragabiles, habemus seraphicos, qd supest, nisi ut hunc uocemus doctorē hyperbolicum? qui certe non minus habet maledicentiæ, q̄ Hyperbolus ille Atheniēsis. Qui dicit, inquit, si hoc feceris, dabo præmiū, non semper intelligit illū posse facere ad quod inuitatur. Sic parētes iubent infantē uenire ad se, ut quū id non possit, cogatur implorare manū inuitantis. Ast ubi dormit interim ipsius dogma, quo docet omnia dei præcepta simpliciter esse impossibilia, non tantū malis, uerū etiā ijs, qui per fidē iustificati sunt, & per gratiā adiuuantur. Iā donemus aliquando parentes sic ludendo puerū ad se uocare, quū sciant eū ingredi non posse, sed cui non uideatur delirus & ineptus, qui totos dies infanti occlamitet, surge, propera illò, recurre huc, tolle hoc, adfer illud, blandiens ut faciat, minitans ni faciat, obiurgans ac cædens, q̄ non fecerit? At diuina scriptura nihil aliud ferè crepat in tot uoluminibus. Nec ulla mater est tam inepta, ut infantem inuitet ad uolandū. Ad fandū & ingrediendum inest naturalis habilitas, quēadmodum ingenio hominis corrupto, insunt semina quædā pietatis. Neq; nihil proficit hæc parentū inuitatio, puer fari iussus, aperit os, ædit uoces incertas, aut balbas. Accurrere iussus mouet tibias, iactat brachia, totoq; uultu significat se conari, quod iubetur. Nec hæc fiūt

Lutherano hoc Gymnasio

à parenti

à parentibus, ut puer intelligat se non posse, sed ut in sitã ad hæc habilitatẽ paulatim exerceat, frustra co/nanti succurrit mater. Ad eũdem modũ nobiscũ agit hinc scriptura, hinc gratia. Itidẽ de medico respõderi potest, qualis ut sit aliquis, qui nonnunq; ea præscri/bat, non quæ morbũ leuent, sed quæ morbũ ostendãt, quis ferat illũ medicũ, qui totos dies aßideat ægroto præscribens nunc hoc nũc illud, obsecrans, territans, inuitãs, exhortans, idq; prædicet se nõ ob aliud face/re, nisi ut ægrotus ĩtelligat se grauißimo teneri mor bo, unde citra medici beneficiũ liberari non queat? Iam ut sit aliquis princeps, qui legem unã alteramue præscribat ciuibus, non q; putet ab illis seruãdas, sed ut eos habeat sibi magis obnoxios, quid illo prodigio sius, qui leges innumeras quotidie ferat, magnis præ mijs inuitans ad earũ obseruationẽ, atrocibus suppli cijs deterrens à uiolãdo, nec aliud agat, q; ut populus intelligat se non posse seruare uel minimã omniũ le/gũ quæ ferũtur? Et hoc stultißimo cõmento adeò si/bi plaudit Lutherus, ut perneget deũ alia uia cõmo/dius potuisse deijcere hominũ insolentiã. Qui hæc cũ tãta scribit assseueratione, nõne dicas cũ deo ab ĩtimis fuisse consilijs? Deus πολυμήχανος est, nec uno mo do oppugnat nostrã arrogantiã. Non raro uexatio dat intellectũ auditui, nec ulla grauiore machina pro strauit insolentiam hominis, q; q; ipse dei filius homo

factus

factus extrema perpessus est pro nobis. Hæc est arx Lutheri munitissima, qua se tuetur. Sed quis unq̃ hoc somniauit, quod hic asseuerat? Paulus dicit, per legẽ cognitio peccati, At mox ostendemus in scripturis sacris multas alias legis utilitates explicari, ac ne legis quidẽ nomẽ mereri, quæ præscribat, quod fieri nullo modo possit, aut quæ non spectet ad aliquã uitæ actionẽ. Ostendimus ociosam esse cognitionẽ absque gratia, & hoc ipsum esse gratiæ, quod peccator implorat opem gratiæ. Alioqui peccati cognitionem magis sequitur uel desperatio, uel cõtumacia, q̃ implorat cœlestis auxilij. Postremo quis est medicus tã inhumanus, ut ea præscribens, quæ tantũ admoneãt ægrotũ morbi sui, talis sit & amicis & inimicis, omnibus insultare gaudẽs. Nã huiusmodi Lutherus facit deũ erga cũctos mortales qui fuerũt, q sunt, quiq; futuri sunt, dũ pfitetur nullũ esse præceptũ tã facile, qn sanctis etiã impossibile sit seruatu, imò qd' durius est asserat peccatũ esse qcquid in iustificatis p gratiã, operatur ipsa gratia. Et hæc somnia q̃ uelut araneus è suo gignit cerebro nobis occinit, p oraculis, postulans ut præ his ueterum omniũ orthodoxorũ, et totius ecclesiæ catholicæ sententiã pro nugamento ducamus. Verũ hæc aliâs. Obijcit q, ex particulari fecerim uniuersalẽ, quasi negem usq̃ usurpari proloquiũ conditionale, nisi sentiatur cõditionẽ posse præstari. Imò cõi usu loquendi.

loquēdi sic accipi dico cōditionis uoces, præsertim in legibus: si bona fide gesseris prætură, euehā te ad cō/sulatū, Sin minus, deportaberis in insulas. Quin potius Lutherus facit ex indefinita uniuersalissimā, qui uult oīa dei præcepta non hoc animo pponi omnibus ut seruentur, sed ut intelligamus seruari nō posse, quū utrūq; testamentū scateat præceptis, exhortatiōibus, dehortationibus, minis terribilibus, ac promissis optabilibus. Sed legē interpretatur uniuersam cū oībus suis appendicibus, nec ullū facit discrimē inter legis partes uarias, inter præcepta legis facillima ac difficillima, inter legē adiuncta gratia, & uacatem gratia, inter hominē peruersum ac satanicū, & hominē piæ uolūtatis. Neq; clamet hæc me calūniari, nisi nō agnoscit dogma suū, hominē iustū in opere quantumuis bono peccare. Si qua exceptio est aduersus usum communem, tamen probabilior est causa tuentis se/se generali cōsuetudine, quàm exceptione. Generalis usus. Per se noti exceptio, eget multa probatione.

91 Donemus deum aliqua præcipere quæ superēt humanas uires, quod genus est tollere crucem, & quale fortasse fuit quod præcepit Abrahæ, ut occideret filium suum primogenitum, an protinus conuenit omnia præcepta, minas ac promissa sic interpretari, ut uel insultantis sint, uel ostendentis nobis imbecillitatem nostram? Sunt quædam præcepta facillima, &

sunt

sunt quæ mali quoq; seruãt metu pœnæ, nec furãtes, nec occidentes, nec blasphemiam in deum iacientes, nec maledicentes patri aut matri. Nam quod Paulus docet, per legem dari cognitionem peccati, aliâs excutietur. Quin arbitror consultius, ut hic obiter eũ ab hac arce deturbemus. Quãdoquidem hoc est unũ præcipuum telum, quo pugnat aduersus eos qui tribuũt aliquid uel libero arbitrio, uel meritis hominũ. Hoc igitur semel illi excutiamus è manibus, ne toties eadem audiamus impune. Primum igitur assumemus id quod cõstat, Paulum apostolum illic agere cum gẽtibus ac Iudæis, sed cum Iudæis præcipue, ut declaret omnibus opus esse gratia quæ per euangelium citrà discrimen offerebatur omnibus: quũ nec gẽtes per naturæ legem, ac philosophiam cognouissent deum, & si cognouerunt, res conditas prætulerunt conditori: nec Iudæos constaret fuisse iustificatos per opera legis, quinpotius legem ipsis occasionem dedisse grauius peccandi. Quædam enim peccata sunt, quæ lex naturæ non indicat omnibus, qualis fortassis est concupiscentia rei alienæ, quæ neminem lædit. Verum dum hæc quoq; Mosi lex prodit esse peccata, magis oneratur conscientia Iudæi. Huius generis sunt & omnes ferè ceremoniæ. Neq; enim naturæ lex sentire poterat esse peccatum uesci carne suilla, ne erat quidem ex sese peccatũ, nisi lex uetuisset. Iudæi uero præ

poſtere ſeruantes legem, circunciſionem, delectum ci
borum, ſabbatiſmos, contactum morticiniorum, neo
menias cæteraq; huius generis ſuperſtitioſe ſeruabãt,
negligentes ea quæ legis erant caput, amorem dei ac
proximi. Potiſſimum uero Paulus ferit ex Gentibus
philoſophos, ex Iudæis Phariſæos ſcribasq;. In his
enim plurimum erat faſtus, & hi potiſſimum reſiſte
bant euangelio. Nã ſapientes illi contemnebant cru
cis ſtultitiam, & crux quæ uocabat ad pœnitentiam,
offendebat Phariſæos falſa iuſticiæ perſuaſione turgi
dos. Sic tamẽ percellit utrosq;, ut utrisq; delinitis ſpẽ
bonã faciat. Gentibus detrahit criſtam primo capite,
Ita inquiens, ut ſint inexcuſabiles, Iudæos deijcit, pxi
mo cap. Si aũt tu Iudæus cognominaris, &c. Rurſus
hic gentes ſubleuat. Quũ enim gentes quæ legem nõ
habẽt, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, &c. Iu
dæos ſubleuat 3. cap. Quid ergo amplius Iudæo eſt,
etc. Ad coarguendas gentes nõ utitur teſtimonio ſcri
pturarũ, quod illarũ impietas eſſet in propatulo, ui
delicet idololatria, & libidinum nefariarum turpitu
do, quæ traducta eſt et ipſorum libris. Ad Iudæos qui
ſibi iuſti uidebãtur coarguẽdos utitur legis teſtimo
nio. Quia non eſt iuſtus quisq;. Nõ eſt intelligens aut
requirẽs deũ. Quæ ne Iudæi torquerẽt uelut in Gẽtes
dicta, ſubijcit Paulus: Scimus aũt quoniam quæcunq;
lex loquitur, his qui in lege ſunt loquitur. Mox uelut
indignanti

indignantibus Iudæis, Nihil igitur nobis profuit lex, Profuit inquit, non ad iusticiã, sed ad hoc ut peccatũ uestrum esset euidentius, ut dißimulare non poßitis. Nã Græcis est nõ γνῶσις quod cognitionẽ sonat, sed ἐπίγνωσις, qd' magis sonat agnitionẽ. Nã qui cognoscit dißimulat ac negligit: q agnoscit, fatetur. Lex enĩ uelut appellãs conscientiã peccatoris, nõ sinit illã dißimulare uitiũ suũ. Non est igitur qd' Iudæus de lege glorietur, quũ per eam magis traducatur ipsius iniquitas. Iã cõstat ea quæ primo ca. Gẽtibus exprobrauit, non quadrare in singulos Ethnicos. Nec enim apud illos nullus erat à nefandis libidinibus immunis, alijsq; factis atrocibus quæ multa cõmemorãs, 1. Cor. 6. sub ijcit: et hæc fuistis quidã siue aliqui. Nõ dicit oẽs. Nec in omnes Iudæos quadrãt illa. Nõ est requirẽs in deũ, uenenũ aspidũ sub labijs eorũ, ueloces pedes eorũ ad effundendũ sanguinẽ, quũ in scripturis sacris legãtur cõplures honorati cognomine iustorũ ac deũ timentiũ. Quin et inter hos q cognõinis huius honorẽ, nec apud deũ nec apud homines, pmerebãtur, erãt q̃plurimi, q non omnino uacabãt timore dei, nec festinabãt ad effundendũ sanguinẽ, nec uenenũ aspidũ portabãt sub labijs. Hæc igitur ĩ genere dicta sunt præsertim in Iudæos q, plerique tales essent, id quod declararunt in condemnatione Christi, ad impiũ facinus concordes, pontifices, seniores, scribæ, pharisæi & populus.

Deinde disqrũt interpretes de qua lege loquatur hic Paulus, quando uocem hãc uarie usurpat in hac ipsa epistola. Satis tamen constat hoc in loco fieri mentionem legis Mosaicæ. Sed quærendum est de qua parte legis loquatur. Mihi uidetur loqui de crassiore parte, quæ præscribit cæremonialia, quæq; uetat manifesta facinora, quæ puniunt etiam leges humanæ. Meminit enim circuncisionis, quo nomine complectitur omnia cæremonialia. Et in peccatis hæc refert. Qui prædicas non furandũ furaris: qui dicis non mœchandum mœcharis: qui abominaris idola, sacrilegium facis. Num hæc faciebant omnes Iudæi? Nec hodie faciunt omnes. Ex his igitur iuxta litteram obseruatis uindicabant sibi iusticiã adeo, ut aut recusarent euangelij gratiam ueluti nõ necessariam, aut negarent eã absq; legis præsidio sufficere. Rursus in sequentibus uidetur intelligere opera legis, circuncisionem reliquasq; cæremonias. Arbitramur enim inquit, iustificari hominem per fidem sine operibus legis. Alioqui si ponas opus legis esse uitare homicidiũ, sacrilegiũ, adulterium, & periurium, item diligere deum super omnia, & proximum sicut teipsum: sine his nemi nem iustificat fides, imò sine his mortua est fides, ne dicam mortifera, si qua tamẽ omnino est. Huic consonant quæ tractat capite 4. de Abraham qui nondum circuncisus per fidem meruit iusticiæ laudem. Neq;

enim

enim euangelium fert illum qui non abstinet à furtis & adulterijs. Ponendum & illud, hic non agi de tota uita Christianorum, sed de his qui ex paganismo aut Iudaismo ueniebant ad baptismum. De quibus in commune dicitur, omnes peccauerunt, & egent gloria dei: non quod omnes ea facinora cõmiserant quæ supra commemorauit, sed quod nullus haberet plenã illam & euangelicam iusticiam, quæ nos iustos reddit apud deum. Distinguit enim euangelium iusticiã Phariſæorum ab euangelica, quemadmodum hic apostolus distinguit iusticiam hominũ à iusticia dei. Nũc autem sine lege iusticia manifestata est, sed addit iusticia dei. Ac mox, Iusticia autem dei, per fidem Iesu Christi. Extra controuersiã est, nec Iudæos quidẽ iusticiam hanc consequutos nisi per donum fidei in Christum. Et ideo Paulus ait, iusticiam dei nunc manifestatam, significans olim fuisse tum in gentibus tum in Iudæis, sed uelut occultam, nunc per euangelium copiosius ac palàm effundi in omnes orbis nationes. Cõsiderandum & illud, aduersus quos hæc adferat Paulus, Nimirum aduersus feroces sibi littera legis placentes Iudæos. His adimens gloriam inanem, dicit legẽ nihil aliud attulisse quàm agnitiõem peccati, hoc est testimonium dãnationis. Hæc enim una præcipua clauis est obseruare quid agat, cum quibus agat, qua occasione loquatur, quid spectet scriptura. Qua qui

dem in re Paulus habet etiam peculiare quiddam, in omnia se uertere solitus ut efficiat quod instituit, non malicioſa callidaq; uafricie, ſed humanæ ſalutis aui/ diſſima charitate. Eleuat, exaggerat, uulnerat, miti/ gat, alia ſubticet, alia differt: charitatis hoc artificiũ eſt non uerſutiæ. Proinde ſi quis in huius epiſtolis ſu/ perſtitioſe uelit urgere uoces ac ſyllabas, in multas incurret abſurditates. Ita quod hic in elatos ac ſuper cilioſos intendit Iudæos dicens, legem talibus nõ cõ/ ferre iuſticiam apud deum, Id Lutherus ſic torquet quaſi lex uniuerſa omnibus præceptis, etiam his quæ fidem pietatem & charitatem præcipiunt, cum ex/ hortationibus, minis execrationibus, obiurgationi/ bus blandicijs, promiſsis, expoſtulationibus additis, quibus undique plena eſt uniuerſa ſcriptura, nihil a/ liud efficiat quàm ut homo intelligat ſe nihil eorum implere poſſe quæ præcipiuntur, etiamſi adſit gra/ tia. Iudæis legis obſeruationem abſque gratia non ſuffeciſſe ad ueram iuſticiam, fatemur & nos. Ve/ rum hinc non conſequitur, legem nihil aliud in omni bus potuiſſe, quàm ut oſtenderet peccatum ineuita/ bile, Nam ideo lex oſtendit peccatum ut uitetur, & uolenti uitare, præſto eſt gratia, nunc quidem copi/ oſior, ſed & Iudæis & Gentibus aderat. Neq; enim hoc Chryſoſtomus ſacriq; doctores imputant natu/ ræ legis quod tantum coarguit peccatum, ſed homi/

num prauo

num prauæ uoluntati, qui nolunt parere legi. Alio/ qui si Paulus sensisset quod interpretatur Lutherus, legis præcepta à nemine posse obseruari, nec in hoc esse data, nequaquam dixisset, His quidem qui secun/ dum patientiam boni operis gloriam & honorem et incorruptionem quærentibus uitam æternam. Ac rur sus: Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum Iudæo primum & Græco. Et iterum: circunci sio quidem prodest si legem obserues, uidelicet osten/ dens legem ad nihil utilem, nisi ad grauandam conscientiam, sed quibus? Non obseruantibus eam, etiamsi iuxta carnem seruare ex parte uiderentur. Quis aũt unquam ueterũ attulit cõmentum quod adfert Luthe rus? ex tenore inquit contextus elucet hic sensus. Imò tenorem iã ostendi longe aliud agere, nimirũ accusa ri maliciam & pronitatem ad malũ, pariter & in Iu dæis & in Gentibus, et ideo deum considerantẽ quod nec lex erat efficax ad abolẽdam hominum maliciã, sustulisse legis onus et ampliasse gratiã, omnibus de/ nunciãdo salutẽ per fidẽ in Iesum Christũ, quẽ pater in hoc miserat, ut gratis omnibus sua peccata cõdona ret. Quod aũt negat hãc iusticiã cõferri ex operibus legis, nõ huc pertinet, opa bona nõ requiri à baptiza tis, sed indicat ad baptismi gratiã admittendos ex æ/ quo uel gẽtes à lege ĩmunes, uel Iudæos legis trãsgre ssores, modo fidãt euãgelij. pmissis. Nõ enĩ imputãtur

uitæ prioris commissa ad euangelij gratiam confugi entibus. Proinde ut uerum est, per legem agnosci peccatum, ita non consequitur quod addit Lutherus, nihil aliud efficere legem, nec in aliud omnino latam fuisse. Nec uero mirum si lex dicitur párere peccati cognitionem, quum in hoc soleant etiam humanæ leges ferri, ut uideant quid sit fugiendum, quid expetendum. Nec enim simpliciter hoc agit lex, ut intelligatur quid fas, quid nefas, quid rectum & prauum, sed ad actiones hominum prodita est lex, ucluti medicina prodit morbos, non in hoc tantum, ut homines intelligant se ægrotos, sed ut ope medicorum sanentur. Quod si uniuersa lex nihil aliud parit quàm agnitionem peccati, hoc est grauamen conscientiæ, quid sibi uolunt tã multa legis in scripturis encomia? Lex domini immaculata, conuertens animas, sapientiam præstans paruulis, In quo corrigit adolescentior uiã suam, in custodiendo sermones suos. Ac rursum, Et eloquium tuum uiuificauit me. Lucerna pedibus meis uerbum tuum, & lumen semitis meis. Si prælucet, utique prælucet actionibus. Iterum, Pronũciabit lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua æquitas. Contra Lutherus clamat, omnia dei mandata nihil aliud esse, quàm irrisionem aut insultationem imbecillitatis & ferocitatis humanæ. Atqui in primo psalmo longe aliud promittit meditãti in lege, quàm

damnatio

damnationem conſcientiæ. Et erit inquit, tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, &c. Vbi memorantur pedes & ambulatio, ibi deſignatur actio iuxta legem. Sed talibus cum qualibus illic agit Paulus, lex nihil aliud erat quàm redargutio malæ conſcientiæ. At ſapienti, ut inquit Solomon, lex fons eſt uitæ, ut declinet à ruina mortis. Rurſum idem capite ſexto: Quia mandatũ lucerna eſt, & lex lux, & uia uitæ increpatio diſciplinæ, ut cuſtodiant te à muliere mala, &c. Lutherus contra facit illam fontem deſperationis. At Paulus cum Galatis 3. idem tractans argumentum quod hic, oſtendit uſum legis. Lex inquit pædagogus noſter fuit in Chriſto ſeu potius ad Chriſtum, ut ex fide iuſtificemur. Priuſquam autem ueniret fides, ſub lege cuſtodiebamur, concluſi in eam fidem quæ reuelãda erat. An pædagogus nullum alium uſum adfert puero, quàm ut intelligat ſe peccare, an potius, dum nondum ex ſe perſpicit, quid ſit expetendum, aut amore recti ducitur, uel pudore, uel metu à turpibus arceatur, ne corruptus undique iam nec philoſophis docilem ſeſe, nec paternis monitis audiẽtem præbeat. Legis igitur diuinæ ſcopus unicus erat, ut uitarentur turpia expeterentur honeſta, ſed humanarum mentium uarietas in cauſa fuit, ut lex in alijs aliud atq; aliud efficeret. Bonis ac ſapientibus erat fons uitæ, infirmis erat cuſtodia quaſiq; can-

celli, ne dilaberentur in extremam impietatem, terrore sublato: simpliciter ignorantibus erat lucerna prælucens ad iter actionum, ferocibus autem ac malitioſe tumidis, carnifex erat, ingerens commiſſorum turpitudinem, & uel ab inuitis extorquens confeſſionẽ. Quod euenit in legibus humanis, idem uſu uenit in diuinis, ſcopus idem eſt, exitus uarius. Qui ſcopũ legis tollit, tollit legis & naturam & uocabulum. Annotatum eſt & illud ab orthodoxis, non dictum eſſe, Ex lege cognitio peccati, ſed per legem: Alioqui uiſus fuiſſet accuſare legis naturam, quod ex ſe pareret uindictam redarguto tantum peccato: ſed dixit, per legem, ſignificans occaſione factum, ut lex quæ data erat ad recte agendum, præuaricantibus auxerit damnationẽ, et quæ parata erat ad conſequẽdã iuſticiã, pdiderit iniuſtitiã. Sed Paulus excuſat legẽ, pronuncians illam eſſe bonam ac ſanctam, nimirũ quod iram operatur, id reijciens in eos, qui eam negligunt obſeruare. Sic intelligendum & illud, Lex autem ſubintrauit, ut abundaret delictum. Nec enim ideo lex data eſt, ut abundaret delictum, ſed hoc hominum uitio conſequutum eſt, ut quod in remedium erat datum, auxerit morbum. Similiter ad Galatas tertio, declarans quis fuerit uſus legis, ita ſcribit. Quid igitur lex? propter tranſgreßionem poſita eſt donec uenerit ſemen, cui promiſſum erat.

Quid

Quid est, propter transgressionem? an ideo, ut lex uiolata proderet hominum maliciam? An potius ut boni redderentur meliores, infirmi tutiores: mali huius peccarent, malicioſi coarguerentur, & ſi non minus peccarent, certe minus læderent, atque ita totus ille populus, cui Chriſtus erat promiſſus, intra legis cancellos cuſtodiretur, ne Chriſtus aduenies nullos inueniret ſanabiles. Etſi nullus erat illorum qui totam legem ſeruaret, tamen erant innumeri qui iuxta communem æſtimationem aliqua ex parte ſeruarent. In his autem ut non erat perfecta iuſticia, ita gradus aliquis erat ad iuſticiam euangelicam. At ſine gratia nemo ſeruat legem ut dignum eſt. Fateor. Sed ea gratia parata eſt, quod in ipſis eſt præſtantibus. Iam & illud peculiare Luthero, ex indefinitis, aut ſingularibus, ploquijs reddere uniuerſalia. Per legem agnitio peccati, Igitur inquit, tota lex cum omnibus præceptis, minis, præmijs, ſupplicijs, maledictionibus & benedictionibus, in omnibus hominibus, omni tempore nihil aliud efficit, quàm ut agnito peccato grauet cõſcientiam, quũ nullũ ſit præceptũ quod homo poſſit ſeruare. Atq cõplures ſunt qui nõ furantur, q nõ peierant, qui nõ occidunt. Sed habet aliud ſophiſma. Fons bonorũ operũ omnium eſt amor dei. Sed præceptum dei iubentis ut

ametur

ametur ex toto corde, tota anima, totis uiribus, à nemine potest impleri. Hoc posito non seruat legem, etiam qui in cæteris eam seruat. Istum nodum eleganter dissoluerunt olim orthodoxi. Quomodo? Nimirum hyperbolen præcepti exigere summum amorem dei, comparatione rerum cæterarum, ut is diligat deum ex toto corde, anima & uiribus, qui illum anteponit omnibus rebus conditis, etiam uitæ & morti, si casus inciderit, ut aut sit offendendus deus, aut mors oppetenda. Quod supereſt hyperboles exigit, ut homo in amando deo studeat proficere, quantum fert imbecillitas humanæ naturæ. Sic et in euãgelio perfectus dicitur discipulus si fuerit sicut magister eius: nõ qd' quisquã sit par Christo, sed quod in eodẽ uirtutis genere uersetur. Ibidem iubentur esse perfecti sicut pater cœlestis perfectus est, nõ quod ullus hominum, aut etiam angelorum accedit, ad perfectionem dei, sed quod in aliquo genere refert patrem, uidelicet in benefaciendo tum amicis tum inimicis. Neque enim mentitus est propheta qui dicit: In toto corde exquisiui te, ne repellas me à mandatis tuis. At mentitur si uerum dicit Lutherus. 3. Reg. 8. sic orat Solomõ, Domine deus qui custodis pactum & misericordiam seruis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo. Si nulli tales sunt, pro quibus orat Solomon? Nec opinor mentitum Ezechiam, quum ait, obsecro domine

mento

memẽto quæso quomodo ambulauerim corã te in ue
ritate & in corde perfecto. Et quomodo in sacris uo
luminibus laudantur quidam, quod cætera pij, in hoc
& illo deliquerint, si nullum præceptum seruari po
test? Deniq; si nos urgeat sophistarum more uerbis,
uicissim & ipsum urgebimus. Quærimus igitur qua
dialectica consequitur, per legem cognitio peccati,
ergo nihil aliud, ueluti si dicas, lactuca soluit aluũ, er
go nihil adfert nutrimẽti. Rursus qua ratione conseq
tur, huic medicus nihil profuit, nisi quod agnito mor
bo grauius discruciatur, ergo nulli in aliud prodesse
potest quisquam medicus. Quod illi non in aliud pro
fuit medicus, non ars in culpa fuit. sed ægroti uitium
non præbentis se medico. Quis autem unquã tyran
nus aut tam ociosus fuit, aut tam morosus, ut leges
daret suis, quæ nihil aliud efficerent, quàm ut ciues in
telligerent nihil earum seruari posse? Solon nullam
legem tulit de parricidio, rogatus quãcbrem, respon
dit se non fuisse suspicatum mores ciuium eò maliciæ
progressuros, Videlicet indicans leges non pertine
re ad ea quæ fieri non solent, sed multo minus ad ea
quæ fieri non possunt. Nulla enim lex uetat, ne quis
noctu sumptis alis euolet è ciuitate. In duodecim tabu
lis lex erat, ut eius corpus qui multis creditoribus es
set obnoxius, nec foret soluẽdo in partes dissecaretur
& quisq; pro crediti portione partem tolleret. Hanc

legem

legē nō in aliud latā interpretātur, nisi ut atrocitate pœnæ confirmaretur fides crediti ac mutui, sine quæ collabatur oportet resp. Neq; enim huius legis ullum extat exēplum. Verum hæc una lex ab Ethnicis erat terroris, nō exempli gratia lata: Lutherus omnes dei leges, cum præmijs, supplicijs, & quicquid ad legem seruandam, uel allicere, uel pertrahere potest, uult esse uel illudentis dei, uel insultantis: ueluti quum pater iocans iubet ad se uenire puerum, quem scit ingredi non posse: uel quum rex, hosti feroci insultans præscribit, quod scit ab illo præstari non posse. Nónne præclarum dedit commentum ad quod exigamus uniuersam propemodum scripturam sacram? Quur igitur appellatur lex, si nihil cōducit ad actiones uitæ, si impossibilis est, & per hoc iniqua? Iureconsulti negant habēdam pro lege, quæ nec sit possibilis, nec rationi consentanea, nec æqua, nec utilis reipublicæ. Addunt & receptam assensu & moribus approbatam esse oportere. Atqui si talis erat lex dei, qualem eam facit Lutherus, populo Israelitico fucus factus est, Primum quum Moses ferret legem, stipulans assensum populi, quod religiosius etiā fit Deut. 29. Etenim si dixisset, trado uobis legem, quam nec seruabitis, nec seruare potestis, tantum prodet uobis animi uestri maliciam, populus haud dubie talem legem recusasset: aut si recepisset, minus sibi displicuisset uiolata lege.

ta lege, quæ non in hoc eßet data ut ſeruaretur, ſed tantum ut agnoſceretur peccatum. Ergo ut aſſequeretur deus quod uolebat, fallendus erat populus, abſconſa decipula. Et ideo Moſes homo callidus tantum temporis conſumit in perſuadenda lege, in exhortando, pollicendo, deterrendo, ne ſentirẽt rem arte geri. Alioqui ſi lex in hoc tantum datur, ut prodat peccatum, ſatis erat nuda præcepta proponere, nunc bona imò maxima uoluminis pars occupatur in perſuadendo. Quod ſi uſq; adeo neceßaria res eſt agnitio peccati, nec alia ratione parari poterat, quàm ut homo deceptus impingeret in legem, quur Lutherus nunc prodidit hoc myſterium, & ſublato fuco fecit, ne homo uelit intendere neruos ad ſeruãdam legem, quam ſcit nullo modo ſeruari poſſe? Saltem loqueretur quemadmodũ loquuti ſunt Moſes, prophetæ, Chriſtus & apoſtoli, cumq; his eccleſiæ doctores. Nam horũ talis eſt oratio, quaſi noſtræ uoluntati ſit imputandũ ſi legem non ſeruauerimus. Sed eſto pariat lex agnitionẽ peccati. Ad quid confert agnitio peccati? Ad ſalutẽ? Non. Sed uel ad deſperationem, uel ad contumaciam, ni accedat gratia. At quanto deo dignius eſt, eã gratiam conferri in obſeruationẽ legis, priusq; homo tã miſerabiliter impingat, tum ſuo tum aliorum malo? Dicet ſic uiſum uoluntati adorandæ non ſcrutandæ. Ergo ſolus Lutherus fuit illi uoluntati à conſilijs?

Quur

Quur igitur prodit arcanum, quod ipse filius non prodidit, quod hactenus uel nesciuit, uel reticuit eccle sia Christi sponsa, quæ sponsi sui spiritū habet, ubicun que ille latitat. Iam si nos roget, quid opus erat libe ro arbitrio, quod ad malum ualeat per se, ad bonum inefficax sine gratia? Respondebimus sic uisum ado randæ uoluntati, & hoc responsum est longe proba bilius, quàm quod adfert Lutherus. Quid autem erit tam insolubile quod non soluet, si permittamus illi, quoties commodum est ad uoluntatem adorādam & deum non prædicatum confugere? Rursum ubi roga rit, quid opus erat deo crucifixo, si lex iustificabat? Respondebitur quum in lege circūcisio sustulerit pec catum originale, quum gratia auxiliās uiribus homi nis, iustificarit, quid opus erat euangelio? Si dicat, ut augeret dilataretq; gratiam: hoc poterat absque mor te filij. Sic uisum inquiet uoluntati adorandæ. Sed ei dem sic uisum, ut homo per liberum arbitrium præ beret aut subduceret se gratiæ. Ita quoties nos desti tuet ratio, aut quoties nostras rationes non recipiet, confugiemus ad uoluntatem adorandam. Vt aūt per suadeat nobis, quod est omnium absurdissimum, totā penè scripturam illudere nobis quoties præcipit, ex hortatur, minitatur aut expostulat, unde petit ar gumenta? Non ab ecclesiæ decretis, quæ contēnit, nō ab orthodoxis scriptoribus, quos conspuit, sed à Grā maticis

maticis & sophistis, Verba subiunctiua optatiua, & imperatiua nihil ponunt. Quia pater iocans dicit infanti, Accurre huc, quum ingredi non possit. Et diues irridens pauperem, dicit, Da mihi talentum, quum sciat illi obolum non esse. Et ut ipsius exemplis utar, sic inquit, loquuntur dialectici, Si diabolus est deus, merito adoratur. Sic ait scriptura, Si seruaueris mandata, conseruabunt te. Et quemadmodum irrisor alienæ calamitatis dicit cæco, Si uolueris uidere, rem tibi gratissimam indicabo. Hoc potissimum telo triumphat noster inuictus Achilles, aduersus cuius potentiam nec portæ inferorum quicq̃ ualent. Sed ubi interrim grauitas scripturarũ diuinarum? ubi sensus communis? ubi consuetudo legum humanarum? ubi legis uocabulum, si tantum aperit peccatum & exasperat concupiscentiam? An non hæ sunt adamantinæ rationes, quibus nobis rem & absurdam & inauditã persuadeat? Hæc inquit, carni uidentur absurda, sed spiritui nequaq̃. Et interim oẽs qui dissentiunt carnem facit, sibi spiritum uindicans. Id præstare debebat potius q̃ prædicare. Nunc aliud nobis loquitur ipsius gloriosa prædicatio, aliud scripta, sannis, ronchis, morsibus, strophis, glorijs & conuicijs referta. Verum ut finiamus quod cœptum est, Quid est quod hic Paulus ait? Omnes peccauerunt, & egent gloria dei. Et ad Galatas 3. Concluſit scriptura omnia sub peccato? Re-

ſpondeo, ſi peccatum interpretemur crimen, hoc eſt capitalem culpam, Paulum illic loqui non de ſingulis hominibus, ſed de ſingulis hominũ generibus. Nulla enim erat natio non inquinata grauiſſimis peccatis. Quod ſi qua fuiſſet non egens gloria dei, fuiſſet Iudæorum natio, quæ legis à deo traditæ prærogatiua gloriabatur. Verum poſteaquam hæc quoq; erat inquinatiſſima, reſtabat, ut quod ait, Omne os obſtruatur, totusq; mundus ſubiectus fiat deo. Et tamẽ inter Iudæos Chriſtus repperit alienos ab his criminibus quæ cõmemorauit. Sed tanta paucitas non excludit generale proloquium, iuxta ſcripturæ linguam, atq; etiam iuxta uulgarem loquendi conſuetudinem. Gentiũ impietas erat in aperto. Verũ ſimul atq; Paulus p ſcripturas docuiſſet, Iudæorũ quoq; gentẽ eſſe corruptiſſimã ſubiecit quod modo recitaui, ut omne os obſtruatur, & omnis mũdus ſubditus fiat deo, ac mox uniuerſas orbis nationes cõplectens, omnes inqt peccauerunt, & egent gloria dei. Atq; in his ipſis q iuſti habebãtur, quoniã nõ uacabãt culpis leuioribus, non erant iuſti corã deo, quẽadmodũ ait, Quia ex operibus legis nõ iuſtificabitur omnis caro corã deo. Deus enim perfectiorẽ quandã requirebat iuſtitiã, quã hominũ infirmitas per legis præcepta nõ ualebat aſſeq. Proinde detractũ eſt aliquid legis oneri, & acceſſio facta eſt gratiæ per mortẽ Chriſti: & gratia quæ prius uelu-

Roma.3

us ueluti latebat in paucis Iudæis, uberius effusa est in uniuersum terrarũ orbem. Ita factũ est, ut per legẽ non tantũ sit agnitio peccati, & ex agnitione uindicta, ex uindicta exitiũ, sed ex addita gratia, gratuita peccatorum remißio, & legis facilior obseruatio. Quod enim facit homo in homine formando, idẽ fecit deus in formandis seculis. Ab impfectis orsus paulatim uenit ad perfectiora, à carnalibus, ut loquitur Paulus, ad spiritualia. Cæterũ elementa quæ traduntur rudibus, nõ huc tantũ spectant, ut qui discit agnoscat se nihil scire, sed ut paulatim pertingat ad perfectam scientiã. Et interim dum in elementis uersatur, collaudatur, aut certe tolcratur à præceptore pro ratione temporis, donec profecerit ad exactiora. Ita deus q̃ diu uoluit Iudæos esse sub pædagogo lege, boni cõsuluit illã qualẽcunq; iustitiã, quã legis obseruatio præstare potuit. Ast post Euangelij pditam lucẽ, post effusam largißime gratiam exegit perfectiorẽ quandam iustitiam, quam lex illa non præstitit, sed tamen huc præparauit, nõ hoc tantũ quod pderet peccatũ, uerũ etiã quod à multis sceleribus cohercuit, quod ad aliquẽ iustitiæ gradũ puexit, pinde quasi pædagogus suo functus officio, philosopho maiora docturo, traderet adolescentẽ. Plus igitur exigitur abijs qui facilius præstare possunt ardua, id uerũ est, qd̃ qdẽ attinet ad nos, in quos incidit aduẽtus gratiæ. Cæterũ qd̃ ad tẽ

pora pertinet, quæ præcesserunt Euangelij prædicationem, quàm multiplex fuerit legis usus, iam docuimus. Quur igitur Paulus scripturæ testimonium, Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, & cætera, quæ diuersis ex locis contexuit, torquet citra exceptionem in omnes Iudæos? Scio quosdam hic allegare consuetudinem diuinæ scripturæ, quæ quum mundum, populum, aut si quod est aliud congregationis nomen diuidit in duas partes, in utrisque seruat generalitatis enunciationem. Velut quum Ioannes ait, Et mundus eum non cognouit, hoc dicere uidetur, quod totus mundus ignorauerit Christum. Quod autem illic non usurpat mũdi uocabulum pro mundanis affectibus, quẽadmodum alibi Vos de mundo non estis, declarant quæ præcedunt continenter, In mundo erat, & mundus per ipsum factus est. Simile est quòd cap. 3. dicit Ioannes baptista, Et testimonium eius nemo accipit. Atqui iam Iesus habebat discipulos, qui receperãt ipsius testimoniũ. Item Esaiæ 66. Et ueniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit dominus. Simile huic est, quod habetur Iohelis 2. Et erit post hoc, effundam de spiritu meo sup omnem carnẽ. Rursum Psalmo 144. Alleuat dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos. Tale est & illud Pauli Philipp. 2. Omnes quæ sua sunt quærũt, non quæ Iesu Christi. Et psalmo 13. quem locum hic citauit apostol-

uit apostolus, Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usq; ad unũ. Generalitatis speciem habent & illæ pronunciationes indefinitæ, Velut illa Pauli, Prædicamus Iesum Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Videtur enim de uniuersis loqui, quum de plerisq; sentiat. Exemplorum huiusmodi, quum immensa uis sit in sacris uoluminibus, aut eius partis uniuersitatem accipimus, de qua sentit scriptura, aut per hyperbolen de omnibus dictum accipimus, quod in plerosque cadit. Quæ ratio mihi sanè magis probatur hoc loco. Quod ipsum tamẽ bifariam interpretari licet, ut uel ad partes uniuersi, uel ad singula quæq; quæ complectitur uox generalis respiciamus. Veluti ciuitas cõstat ex duobus hominũ generibus, ecclesiastico & prophano. Ecclesiasticus complectitur episcopos, presbyteros, diaconos, &c. Prophanus principem, præfectos, senatum, magistratus, ac plebem. Regnum item constat prouincijs & ciuitatibus. Quũ igitur totã ciuitatẽ corruptam dicimus, non utiq; sentimus singulos homines esse corruptos, sed uel nullũ ordinẽ esse syncerũ, uel maximam hominum partem corruptam. Sic & totam domum corruisse dicimus, cuius pleræq; partes sic corruerunt, ut sit inutilis. Sic intelligendum arbitror, Ite in orbem uniuersum, prædicate Euangelium omni creatu-

turæ. Nullus apostolorum peragrauit orbem uniuersum, quod tamẽ iussi sunt facere. Hæc hyperbole tempestiua fuit hoc loco, quo summa uehementia deprimenda erat fiducia legis, & attollenda uis gratiæ. Ita mũdus omnis subiectus est deo, dum agnescit peccatum suum, dum nulla est mundi pars pura à peccatis, dumq; plerique mortales legẽ dei transgressi sunt. Sic & oẽs Iudæi dicuntur declinasse, quod apud illos & sacerdotium, & presbyteriũ, & pharisæi cũ scribis, & populus maxima ex parte desciuissent à uera iustitia. Siquidem & probabile est, & à doctis uiris propositũ, eo tempore uenisse Christum, quo tũ apud Iudæos tum gentes ad summũ malitiæ gradũ peruenit humanũ genus. Ea res satis inclaruit in Iudæis tanto consensu tãq; ptinaci uesania Christum insectantibus usq; ad crucẽ. Quur aũt hunc tropum malim, q̃ eum qui nonnullis magis arridet, ut omnis, uniuersitatis uocẽ, ad unius partis consummationẽ referamus, hoc est ad omnes malos, duabus potissimum causis commoueor, Primum frigidior sermo uidetur, si quis dicat, inter impios nullum esse qui requirat deũ. Quis enim nescit impios impios esse, & pios pios? Deinde sensus hic non perinde conducit ad hoc, quod hic agit apostolus. Nam illud agit, ut omnes prioribus diffisos, pertrahat ad Euangelij gratiam. Quod si distinxisset pios & impios, quisq; sibi blanditurus erat, uelut

uelut inter pios numerando. Verum ad detrahendam uniuersis inutilem fiduciam, generali proloquio complexus est omnes, ne numerosissimæ impiorum turbæ suffragaretur rarissima bonorum paucitas: quãquam nec hi sic erant boni, ut omni uacarent malo, & qui uere boni sunt, etiam leuem culpam pro magna sibi patiuntur imputari. Cum his igitur non erat apostolo lucta. Cum agmine malorum certamen erat. Iam iustitia quæ gentibus ac Iudæis sufficiebat ad salutem, ante proditum Euangelium, ea non sufficiebat postquam eius clarissima tuba per uniuersum orbem personuerat, plus enim iam exigebatur ab his quibus plus erat datum. Itaq; factũ est, ut qui prius erãt pro sua portione iusti, iam fierent iniusti, nisi confugerent ad Euangelium. Nec mihi quidem necesse uidetur, ut ad hunc locum explicãdum originale peccatum accersamus. Quadrat enarratio, etiamsi de malis hominum moribus et affectibus interpretemur, qui parentes primos delinquendo referunt, quod ante Christum adeo faciebat maxima pars mortalium, ut non solum per omnes mũdi nationes impune regnaret malitia, uerum etiam apud Iudæos rarum esset inuenire iustum. Nec defuerunt orthodoxi, qui locum hunc cum his quæ disserit cap. 5. interpretati sunt de commissis hominum, non de peccato quod uocant originis, Et quadrat enarratio iuxta

regulas quas indicauimus. Ad hæc quod habetur ad Ephesios 2. Et eramus natura filij iræ, sicut & cæteri, non uidetur ad peccatum originis pertinere. Siquidem Paulus illic damnat conuersationem suam in Iudaismo, conferens illum cum uita gentium. Atqui tũ Paulus per circunciſionem liberatus erat ab illo peccato. Et quæ præcedunt indicant eũ de personali peccato sentire, Facientes, inquit, uoluntates carnis & cogitationum, & eramus natura filij iræ. Quo loco diuus Hieronymus admonet natura uocem φύσει Græcis ancipitem esse. Potest enim natura malus dici, cuius natura talis est, aut qui sic natus est, aut qui ad malitiam natura compositus. Primo modo nec diabolus natura malus est, nec quisquam hominum, sed natura canis est adulator, iracundus leo, noxia uipera. Iuxta secundum modum homo natura malus dici potest, quia nascitur cum natura corrupta. Iuxta tertiũ dixit Iuuenalis de Græcis, Natio comœda est. Simile fuerit, si nos dicamus Germanos natura bellatores esse. Hoc pacto possunt omnes homines natura dici mali, quod ad malitiam natura proni sint. Iam est & quartus modus, quo quod penitus adest homini, natura inesse dicimus, Ita modis omnibus miseros natura miseros & ad miseriã natos dicimus. Ac Hieronymus admonet quosdã hoc loco pro natura trãstulisse, prorsus uel omnino, nec eam interpretationẽ

improbat

improbat. Qui fugerunt naturæ uocabulum, metuisse uidentur ne iuxta Manichæos aliquis suspicaretur esse naturas duas, alteram malorum causam, alteram bonorum. Iuxta duos postremos modos accipiendum arbitror illud Pauli, Eramus filij iræ, uel ob corporis infirmitatem quo circundati sumus, uel ob uitã undiquaq; uitijs corruptam. Vnde non poteramus explicari sine dei præsidio. Hæc ita differimus ut nec aliorũ iudicio magnopere repugnemus, nec tollamus peccatum originis, quod ex alijs scripturæ locis satis euidenter asseri potest, sed ut hoc telum extorqueamus liberi arbitrij iugulatorib. qui tantũ tribuũt huic peccato, ut minimum discriminis faciant inter hominem & satanam. Hæc paulo uerbosius à me disserta sunt optime lector, ne toties impune Lutheri κοκυσμὸν audiamus, occinentem nobis, per legem cognitio peccati. Quod Apostolus scripsit, agnoscimus, quod Lutherus hinc colligit reijcimus. Iam fingat legem ad nihil aliud conducere, quàm ut prodat peccatum, quem habet usum? Vt homo territus imploret opem dei. Si non est in spiritu quomodo orabit, orando prouocaturus iram dei, iuxta Lutheri dogma? Si est, quare non implet legem auxilio spiritus? Sed hæc aliâs fortassis incident. Tantum obiter indicasse sat esse puto. Nunc ad institutum redeo. Adijciam illud, Paulus illic omni machinarum genere pugnat aduersus Iudæ

dæos arrogantißimum ac pertinax hominum genus, qui legis ſtudio moliebantur Euangelij gratiam ſubuertere, Multa aliter dicturus, ſi in hoc ſeculum incidiſſet audiſſetq; meras neceßitates luſus & inſultationes, nõ quod ſibi nõ conſtet Paulus, ſed quod rebus præſentibus accommodanda ſit oratio, quodque magni referat, quibus modis cauſam agas. Iam in collectionibus noſtris Lutherus præſtat artificem quem ſolet. Quoties inquit deus dicit, fac, audi, ſerua, ſi audieris, ſi uolueris, ſi feceris, ergo nos poßumus libere, aut deus nos irridet. Quæſo ubi ſic argumentatur Diatribe? Ergo poßumus libere, Si uolueris, ergo potes uelle libere. Nam libere niſi fallor, Lutherus ſentit abſque gratia. Imò ſic argumentatur: Non iſta toties nobis occineret, ſi nulla eſſet in homine libertas, et ſi nullũ eſſet liberum arbitrium. Verba Diatribes ſunt hæc. Quinquam hic locus quem adduximus ex Eccleſiaſtico, peculiariter quadrare uidetur in primos illos progenitores, tamen aliqua ratione, ad uniuerſam Adæ poſteritatem pertinet. Non pertineret autem, ſi nulla eſſet in nobis liberi arbitrij uis. Quinquã enim arbitrij libertas per peccatũ uulnus accepit, non tamen extincta eſt, &c. Eat nunc Lutherus & recitet nobis illud, ergo potes libere. Intereſt enim aliquid inter libere poſſe, & ſimpliciter non poſſe.

posse. Imperator ædicit suis, ut omnes ad præscriptum diem adsint cum equis, & graui armatura. Ad id inqẽs si nõ suppetat peculiũ, petant à me. Erũt qui non possint ex sua pecunia, sed nemo non poterit accedente Cæsaris donatiuo, quod nulli negatur. Quanquam nulli tam præsto est Cæsaris auxilium, quam homini pro suis uiribus agenti, præsidium dei. His fundamentis auspicato, ut ipsi uidetur, iactis, impingit mihi probabilem illam opiniõem, quasi uel nunc pronunciem, ac non pugnem potius aduersus opinonem Lutheri, uel eam solam quam dixi probabilem tuendam susceperim. Sed age respondeamus etiam iniquæ calumniæ: primum in recensendis meis cogor hic, ut aliâs sæpe, Lutheri fidem desiderare. Opinionem probabilem sic proponit Diatribe. Ergo qui longissime fugiunt à Pelagio, plurimum tribuũt gratiæ, libero arbitrio penè nihil, nec tamen in totum tollunt. Negant hominem posse uelle bonum, sine gratia peculiari, negant posse incipere, negant posse progredi, negant posse perficere, sine principali perpetuóque gratiæ diuinæ præsidio. Horum sententia satis uidetur probabilis, quod relinquat homini studium & conatum, & tamen non relinquat quod suis ascribat uiribus. Hactenus sic habẽt mea uerba in Diatriba. Opinio dicit, hominem

ex sese

ex seſe non posse uelle bonum, uidelicet efficaci uolun tate sine gratia, nec progredi, nec perficere, sine prin cipali præsidio gratiæ. Quum gratiam appellat prin cipale præsidium, nimirum indicat & liberum ar bitrium posse nonnihil suis præsidijs, licet inefficax sit si desit gratia, inefficax dico non quod nihil faci at, sed quod absq; præsidio nihil efficiat, quando mi hi cum calumnioso res est. Hanc sententiam nõ dico solam esse tuendã reiectis alijs, sed probabilem appel lo, nec taceo causam quur uideatur probabilis. Quur autem? Quod relinquat homini studium & conatũ, utiq; per liberum arbitrium, nec tamen relinquat qđ suis ascribat uiribus. Qui sic? Quia liberi arbitrij ui res, non sufficiunt ad salutem parandam absq; præsi dio gratiæ, & hoc ipsum quod potest liberũ arbitriũ est ex dono dei. Quod si Lutherus contendat, per hãc opinionem tolli liberum arbitrium, agat cum Augu stino, Ambrosio, Bernardo, qui quum hanc senten tiam summa ui defendant, tamen ijsdem in libris cõ stanter asserũt liberum arbitrium. Quæ si ob id mihi dicitur probabilis, quod adimat nobis fiduciam nostri nõ sublato tamen in totum libero arbitrio, desinet ui deri probabilis, si Lutherus persuaserit ob hoc pror sus tolli liberum arbitrium. Nunc uide quomodo Lu therus pugnantia facit, quæ non pugnãt. Quod ego dixi nos non posse uelle efficaciter absq; gratiæ præ

sidio

fidio, ille interpretatur simpliciter non posse uelle, et ne desit hyperbole, mutat bonum in quicquam boni. Rursum posse, uertit in libere posse. Hæc sanè pugnant, nihil omnino posse, & simpliciter ac libere posse. Verum ista pugna uerborum ac sententiarum nõ est in mea Diatriba, sed in deprauatione Lutheri. Difficillimum est cum eo disputare, qui quoniam initio errauit in opinionũ distinctione, toto sermone cõfundit argumentum: præterea tanta est loquacitas, tãta uerborum, sannarum & conuiciorum congeries, ut ista quamuis expeditam materiam queant obscurare. Si quærat à me an homo posit ex se uelle bonum, iuxta quorũdam opinionem, quam nec tueor, nec impugno, respondeo non solum posse uelle, uerumetiam efficere, sic ut initio nulla adsit peculiaris gratia, sine cuius tamen acceßione non perficitur quod cœptũ est: iuxta probabilem opinionẽ, respondeo uelle quidẽ posse, sed inutili uoluntate, quẽadmodum & Balaam Numerorũ 23. dicit: Moriatur anima mea morte iustorum, & sint nouißima mea horũ similia. Tale uotũ per occasionem frequenter incidit etiam impijs hominibus, sed frustra. Cæterum uoluntas efficax, nõ est absq; gratiæ peculiaris præsidio. Dicet hic Carolstadius, deum uelle in nobis, nos nihil agere: Imò nostra uoluntas, simul & agit & agitur: agit naturæ uiribus, agitur ab auxiliante gratia. Ergo est aliquid pure nostrum in

strum in opere bono? Respõdeo. Si nostrũ dicis, p quo nemini debemus gratiã, nihil est nostrum in benefactis. Quid ita? Quia quicquid sunt aut possũt naturæ uires, ex dei dono profectũ est. Ergo nec optare bona nec utcũq; uelle possemus absq; gratia? Iã distixit cobria Diatriba gratiã generalem pijs cũ impijs cõmunẽ, à gratia iustificante, siue ad iustitiã inuitãte. Verũ hæc toties quũ recinã, tamẽ Luthero surdo canitur fabula, ut ipse uideatur somno profundiore sterterc, q̃ fingit Diatribã. Iã ut magnope uideatur dialecticus, p fert inauditũ sophisma. Ex his uerbis, si uolueris, quoniã cõditionalis est sermo, colligo hoĩnẽ aliquo pacto posse uelle & nolle. Nã iure cõsulti docẽt conditionẽ adiectã, quæ præstari nõ possit, irritare cõtractũ, ueluti si qs dicat, Dabo tibi hũc equum, si ipse dixerit se uelle tuũ esse: Ergo inq; ex codẽ fonte manat dulce et amarũ? An sobrius erat Lutherus quum hæc chartis suis illineret? Vbicũq; apponitur conditio, ibi aut res est anceps, aut dubia loquẽtis sentẽtia, aut utrũq;. Ducã te si uirgo es. Res certa est, sed dubius est qui loquitur. Addico tibi fundũ, si pecuniã ante proximas calẽdas numeraris, hic et res et loquẽtis aniũs anceps est. Sed ineptus esset si q̃ sciret illũ aut nolle aut nõ posse præstare conditionẽ contractũ pageret, testes ac stipulationẽ adhiberet, tabulas obsignaret, arrã accipe ret, daretue. Sed dei loquẽtis aniũs anceps esse nõ potest. Non

test. Non igitur præcipit, quæ simpliciter fieri nõ pos/
sunt. At præscit futurũ, ut quidam nolit: sed lex in cõ
mune fertur oĩbus, ut q legi parucrint, laudẽ ferãt, q
parere noluerint, uideãtur digni supplicio. Quid aũt
si ex eodẽ uerbo sequatur uelle et nolle? Qui dicit, si
uis, discede, nõne facit illi liberũ si uelit mãere? Quũ
eadẽ animi ps expetat honesta, et refugiat cõtraria.
an prodigiũ est ex eodẽ fonte proficisci uelle et nol/
le? Nónne eadẽ ratio, pbat. et in probat? Nónne eadẽ
animi uis odit et amat? Iã qd huic annectit nugam cẽto
tale est, ut prsus nõ intelligã. Nec enim cõgruit huic
loco, & uidetur omnino sine mente dictum. Aut in/
quit, Diatribam appellãs, & tu magis rides hic homi
nem, quæ dicis eum posse seruare, quæ non potest uel
le nec optare, omitto qd' hic ne nõ sit hyperbolus, si
cut antea addidit libere, nũc addit optare, si me urges
eadẽ opiniõe sicut homo potest uelle, ita potest serua
re præcepta. Nõ potest efficaciter absq; gratia, quẽad
modũ nec præstare iussa: sed ita gratia temperat acti
onẽ suã, ut locũ relinquat et naturæ uirib. Hac chordæ
sine fine oberrat Lutherus, nõ potest absq; gratia, er/
go simpliciter nõ potest. Similiter & qd'in fine dico,
pnunciãs opinionẽ quæ mihi uero pxima uidetur, ad
id torquet, qcqd tota argumẽtatiõe, quæ nũc ad hãc,
nũc ad illã spectat, sparsum est. Et hic locus hoĩni glo
riosissimo uisus est etiam ouatione dignus. Sic inquit

sequelis

sequelis et uerbis sapiẽtiæ suæ capitur ratio, ut nesci at qd aut de quo loquatur. Nisi quod digniſsimũ est li berũ arbitriũ talibus argumẽtis sese mutuo deuorãti bus et cõficiẽtibus defendi, quõ Madianitæ mutuis cæ dibus sese perdiderũt, &c. Miror si hic homo poterit unq̃ seneſcere, qui sibi nusq̃ nõ suauiſsime plaudit, etiã ubi ſtultiſsime rẽ geſsit. Nõ talib. aranearũ telis capi tur ratio, sed irretiũtur muſcæ ſtultarũ cogitationũ: nec hic ullæ sunt ratiões quæ se mutua cæde cõficiũt, sed in ipsius argumẽtis est ingẽs armatorũ exercitus, è serpente natus, q se mutua cæde ꝓmũt. Quid enim habet hic Lutherus niſi uoces duas, sed nudas, quũ e/ go nõnihil addideri, In fine inqt dicis hominẽ, nec uel le bonũ abſq; gratia, & hic dicis poſse seruare præce pta sine gratia, sic enim interpretatur omniſcius Lu/ therus. His nec illa frigidiora sunt q̃bus in ſcholis lu/ dũt pueri. Mus arrodit caſeum, mus est ſyllaba, ergo ſyllaba arrodit caſeum. Nec interim ꝑpendit, quod in tractandis ſcripturis, quibus illum oppugno, ſi coner etiam illud extorquere, quod in fine remitto, ius hoc est pugnantium. Sed in promptu est aliud terribile te lum, Eccleſiaſticus non dicit ſi habueris ſtudium, uel conatũ seruãdi q̃ nõ aſcribitur uiribus tuis, Sed ſic di cit, ſi uolueris seruare mãdata seruabũt te. Esto, Ergo nos inqt, ĩferemus, igitur poteſt seruare mãdata. Fate or. Totã igitur plenitudinẽ poteſtatis seruãdorũ mã

datorũ

datorũ ei tribuimus. Quur ita? Alioqui rideret Eccle siasticus hominis miseriã, si seruare iuberet quæ sciret illum non posse seruare: nec satis esset adesse conatum & studium, ut effugiat suspitionem irrisionis, nisi ser uandi uim illi inesse significaret. Respondeo, Vim all quam inesse significat omnibus, plenam uim Luthe/ rus hyperbolus hyperbolicãs addidit de suo, more suo. Est aliquid in nobis, sine quo non assequimur salu tem. Hoc exigit conditio præcepti, reliquum deus de suo promisit. Si Cæsar edicat, qui transfugerint ad me, tuebor ab hostibus, nõ poterant transire, nisi Cæ sar fecisset potestatem, nec transfugæ forent tuti ab hostibus, nisi Cæsaris præsidio, interim & ipsi mili/ tantes. Quid imputabunt sibi qui transfugerint, aut cui imputabunt exitium suum, qui non transfugerint præbita facultate? An hic Cæsar dicetur illos irride/ re? Vbi uoluntas humana pro suis uiribus agit, cum operante gratia, ibi nec conatus est inanis, imò ne/ cessarius, nec inest illis plena facultas retinendæ salu/ tis. Hoc genus argumentis, uelut præstigijs undiq; sca tet Lutherus, quæ terrent conspecta eminus, propius inspecta, mera sunt deliramenta. Sed huiusmodi mul/ ta præterire conor, ne liber nullum habeat finem, si ad loquacissimas illius nænias, quibus ille scatet usq; ad nauseam uomitumq;, studeam respondere. Nihil autem agit Lutherus, distinguens conatum & studi/

um seruandi à seruando, quum utrunq; sit alteri coniunctum: qui alterum negat utrunq; negat: qui alterũ recipit, recipit utrunq;. Quisquis seruat, non sic seruare intelligitur, quẽadmodum securis secat, uolente & agente fabro. sed suam actionẽ actioni numinis accõmodat. Et tamẽ hoc qd'ex ecclesiastici uerbis colligũt Pelagiani, probabilius consequitur, q̃ quod colligit Lutherus, liberum arbitriũ esse nomen inane sine re, neq; quicq̃ agere uel in bonũ, uel in malũ, sed omnia simpliciter in nobis agere deũ, absoluta necessitate, si ue spectes generalẽ actũ primæ causæ, siue gratiæ peculiaris energiã. Hanc impiã, stultã, & insanã opinionem, si telũ quod præbet Ecclesiasticus excussisset è Lutheri manibus, non sine causa cit assem hunc locũ, idq; pugnãti satis esset: reliqua debebãt aliâs trãsigi.

93 Quod si locũ Ecclesiastici Pelagiani detorquẽt huc, ut excluſa gratia totũ tribuãt libero arbitrio, mea nihilo magis refert, q̃ q, Lutherus per hunc locũ deprauatũ in totũ submouet hominis liberũ arbitriũ, in his quæ faciũt ad salutẽ. Ego cũ Augustino gratiã iungo cũ libero arbitrio, sic tamẽ, ut gratiæ totum asscribatur, si successerit. sin minus, per non accõmodatũ ad gratiã liberũ arbitriũ homo iuste dãnetur. Hoc enim est quod hic agit Ecclesiasticus, ut excludat impium murmur hominũ, qui suũ malũ reijciunt in deũ quasi sic finxerit hominẽ, ut nõ posit nõ peccare. Quod

si per

si per hũc locũ prorsus tollitur liberũ hominis arbitri
um, aërem uerberat ecclesiasticus, & in stultitiæ cri
mẽ, quod apud rhetores turpissimũ est, incurrit, ea lo
quens, quæ non solũ nihil faciunt ad id quod agit, ue/
rũ etiam officiunt causæ. Nihil refert, inquit, utrũ in
totũ tollas liberũ arbitriũ, an uiriculas tribuas ineffi/
caces. Manet enim irrisio præcipientis, minitantis, &
pollicẽtis. Imò plurimũ refert. Qui per liberũ arbi/
triũ pro uiribus naturæ non præbent se gratiæ, aut
gratiam acceptã negligũt, sibi debent imputare, non
deo, q̃ pereunt. Ex illis igitur quantũlibet imbecilli/
bus arbitrij uiribus, declaratur iustũ dei iudiciũ. Quẽ
admodũ scribit Augustinus in epistola ad Valentinũ,
Si non est, inquit, dei gratia, quomodo saluat mun/
dũ? Et si non est liberũ arbitriũ, quomodo iudicat de
us mundũ? Nimirũ hoc illic agit Ecclesiasticus, ut de/
monstret homini non esse causam, quur in deũ confe/
rat sua mala. Quemadmodũ autem negandum non
arbitror, q̃ deus quædã præcipit interdũ, non addita
gratia, aut etiã subtracta gratia, quo cõmonstret ho
mini, q̃ nihil possit absq; gratiæ præsidio, ita iuxta
Ambrosianã opinionẽ generaliter nemini negat gra
tiã præstãti qd̃ in ipso est, nec subtrahit eã cuiq̃, nisi q̃
gratiæ defuerit. Præcipe aũt malis, necaddere gratiã
ĩdurare est. Neminẽ aũt indurat, nisi merita præcesse
rint, ut peccatũ qd̃ accrescit ex rebellione, ita sit pec/

catum, ut & pœna sit peccatis prioribus debita. Itidem probabile est, dei gratiam ijs maxime paratam esse, qui iuxta naturæ legem, pro suo modulo bene uixerunt: etsi deus nihil non potest, tamen neminem ad huc legimus ab eo conuersum, qui destinata malitia peccarit. Nam in Paulo iudicij fuit error, non affectus, eoq; dicit, Ignorans feci, & ideo misericordiam consequutus sum. At Alexandrum, Hermogenem, et Phygellum non legimus resipuisse. Et Matthæi 10. iubet apostolos ingressos Euangelij prædicandi gratia ciuitatem, exquirere quis sit in ea dignus: non me fallit hoc Augustinum referre ad electionem dei, sed quomodo apostoli discent hoc ex alijs ciuibus, an electi sint, nec ne? Equidem arbitror hoc ad uitam sine malitia actam, referendum, tametsi non sine peccato. Ad hæc credibile est, illum apud Corinthios qui patris uxorem sibi adiunxerat, uel errore peccasse, q̃ crediderit licere, uel carnis infirmitate superatũ. Arbitror enim illam mulierem fuisse nouercam ei qui duxerat eam patre defuncto. Hanc autem regulam ostendit Augustinus, ut quoties legimus, Indurabo illius cor, aut, seduxi prophetam illum, tradidit illos deus in reprobum sensum, intelligamus mala merita præcessisse. Iam ut reijciamus opinionem recentiorũ, tamen prima deflexio ab innocentia, per baptismum gratis collata, fluxit à libero arbitrio, per quod homo se

mo se potest à gratia auertere. Imò dicet Lutherus, à subtracta gratia. Verum, sed ut subtraheret sese gratia, liberum arbitrium aliò se flectens causam dedit. nec enim Adam opinor ideo lapsus est, quia subtraxit se gratia, sed quia per liberum arbitrium aliò se uertit, q̃ debuit. Porrò an Adam potuerit absq; noua gratia perpetuo carere malo, an potuerit proficere, an uitam adipisci æternam, excutere super his scholasticorũ opiniones, non est huius loci, præsertim quũ hæ non confirmentur euidentibus scripturarum testimonijs. Iam quod scripsit Paulus, per legem cognitio peccati, dubium non est, quin accipiatur de lege præcipiente, cui non adest gratia. Agit enim illic aduersus impios Iudæos, qui contẽpta gratia, fidebant operibus legis, quam tamen non obseruabant. Probabilis autem opinio, nusq̃ separat præceptum à gratia, sed ita, ut nihilo minus suas partes agat liberum arbitrium. Bonis igitur prælucet lex, quasi uiæ mõstratrix: errantes simpliciter, addita gratia reuocat in uitam: malicioſos & obstinatos magis indurat, ut intelligãt aut si ipsi excæcati nolint, saltem alij perspiciant illos suapte culpa, iustoq; dei iudicio perire. Hæc multum absunt ab opinione Lutheri, qui diceret nec Ioannem baptistam, nec uirginem sacratißimam Iesu matrem, quantũuis gratia locupletatos ullum dei præceptum seruare posse. Si Pelagius ex hoc loco stabilit

errorẽ ſuum, nihil facit nouum, faciunt idẽ peſtilenti ores hoc hæretici, nec ea res officit orthodoxorũ ſen tentiæ. Et licet diuerſæ multorũ opiniones certatim ſingulæ pro ſe rapiant hunc locũ, omnes tamẽ in hoc conſentiũt, q; ſtatuunt liberum arbitrium aliquo mo/ do, ſimulq; ſubuertunt Lutheri ſententiã, qui nusq; re cipit ullo pacto liberũ arbitriũ, niſi q; nũc cõmentus eſt factitiũ quoddã in rebus inferioribus, in quibus re gnat homo: qd'tamen rurſus deſtruit, quũ ait hic etiã omnia nutu dei geri. Ad hæc ſi uariantes interpretũ ſententiæ tradunt hæreticis ſcripturæ locum, ut uelu ti uacuum occupent, accidit hoc in pleriſq; locis, ut aliqua in parte diſſentiant. Quod ſi quæcunq; uarie/ tas interpretationis abrogat autoritatem ſcripturæ, ſemper erit hæreticis in manu uarietatẽ inducere, ſe/ cus interpretando, quàm quisq; aliorum fuerit inter/ pretatus, quẽadmodum hic facit Lutherus. Sed mul/ to etiam iniquius eſt, ex interpretum uariantibus ſen tentijs ſic reijcere ſcripturæ teſtimonũ, ut qui reijcit, ſibi uelit ſcripturam habere pondus, quum & ipſe ua riet à cæteris, niſi certa, perſpicua, ac uehementer cõ munita rationibus afferat. Poſtremo qui uariant, ua/ riant in aliqua parte, Lutherus in totum diſſidet: & ibi multi conſentiunt orthodoxi, hic nulli præter pau/ cos, ab Eccleſia communiq; ſenſu reiectos. Quo uero uideatur argutior, annotat & illud, ex his Eccleſia/ ſtici uer/

stici uerbis conseq, etiã fidẽ esse in hominis potestate, quũ ea sit rarũ et singulare donũ dei. Si singulare uocat eximiũ, nobiscũ facit. Quod aũt Paulus scribit nõ omniũ esse fidẽ, arguit hominũ malitiã, auertentẽ se/se ab Euãgelio, uelut à luce oblata gratis oĩbus. Itaq; quẽadmodũ hoc donũ nulli negat diuina benignitas, nisi q repulerit: ita nulli subtrahit, nisi culpa posidẽtis offensus, aut ob peculiarẽ causã ad tẽpus, ut lapsus hominis uertatur illi non ad exitiũ, sed ad uirtutis in/crementum. Quanq; quorsum hæc adfert Lutherus? Nõ enim loqtur illic Sirach de dono fidei iustificãtis, sed de obediẽtia, quã uel natura conditus conditori, uel ex pacto redemptus debet redẽptori. Est aũt mutua fides, pmittentis ac profitentis. Sic itaq; loqtur de us: si tu præstiteris fidẽ in seruãdis mãdatis, ego præ/stabo fidem in promissis, ut aũt præstes, partim tui est arbitrij. Et ad hũc modũ nugatur iste, qui solus in loco apte, concinneq; citat scripturas diuinas, iugulatq; Diatribã suo gladio. Porrò q addit in hoĩbus plena potestate regnare satanã, si de impijs loqtur, & si nõ recipimus opinionẽ scholasticã, nemo dicit talẽ posse cõuerti sine præsidio gratiæ: si de iustificatis p fidem, aut mentitur Lutherus, aut mentitur Paulus Rom. 5. Vbi autem superabundauit delictum, superabundauit & gratia, ut sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in uitam æternam.

Nob. sanum sanum sanat.

Nisi forte perfricabit faciem, dicens in eodem homine regnare satanam & spiritum Christi, quanq̃ hoc ipsum plena potestate, Lutherica est hyperbole. Aliud est esse peccatũ in sanctis, aliud regnare. Iã enim Christi morte iustificatis scribit. Nõ ergo regnet peccatum in uestro mortali corpore, ad obediendũ concupiscentijs eius. Per obediẽtiam enim admittitur regnum peccati, quo recepto, desinit regnare gratia. Tantum autem abest, ut in iustis regnet satanas, ut in impijs etiam diuina bonitas temperet illius tyrannidẽ. Proinde satis impudenter hic colligit Lutherus locum Ecclesiastici, ne tantulum quidem facere pro libero arbitrio, quin potius nõ alio loco magis destrui liberum arbitrium. Agnoscis hominis hyperbolen, quam tamen admiror non ultra prouectam. Quicquid autem conuiciorum hic congessit in rationem siue humanam sapientiã, in miseram ac ridiculam Diatribam, eadem opera congessit, in Ecclesiæ doctores, Ambrosium, Bernardum, speciatim in Augustinum, qui quum aliâs frequenter, tum libro ad Valentinum de gratia & libero arbitrio cap. 2. ac deinceps aliquot, ex huiusmodi locis asserit esse liberũ arbitriũ. De mandatis enim sic loqtur, Quomodo iubet, si nõ est liberũ arbitrium? Citat ex Psalmo, In lege domini uoluntas eius, Colligens per uolũtatem hominẽ in lege dei consistere. Citat ex Paulo, Noli uinci à malo.

Rom. 6

Rursus

Rursus ex psalmo, Nolite fieri sicut equus & mulus. 94
Ex prouerbijs, Noli repellere consilia matris tuæ, Et, noli esse sapiens apud temetipsum. Et, noli deficere à disciplina domini, Et, noli abstinere benefacere egenti, Et, noli fabricari in amicum tuũ mala. Rursus ex psalmis, Noluit intelligere ut benefaceret. His commemoratis, sic colligit, Talia innumerabilia in ueteribus libris diuinorum eloquiorum, quid ostendunt nisi liberum arbitrium uoluntatis humanæ. Similibus locis compluribus ex nouo testamento recitatis, ita concludit, Nempe quum dicitur, noli hoc, & noli illud, & ubi ad aliquid faciendum? uel non faciendũ diuinis monitis opus uoluntatis exigitur, satis liberũ demonstratur arbitrium: mox colligit quod proposuerat Ecclesiasticus, Nemo ergo deum causetur in corde suo, sed sibi imputet quisq; quum peccat, neq; quũ aliquid secundum deum operatur, alienet hoc à propria uoluntate. Et hæc qui scribit, non excludit gratiam à bona uoluntate, quum interim asserat liberũ arbitrium. Quanq̃ in his testimonijs quæ hactenus adducit, ut ostendat dei præceptis nominatim appellari uoluntatem hominis, non est perpetuo uerbum noli, sed hoc interpres addidit de suo. Verum alia permulta refert Augustinus ex arcanis uoluminibus, eodem modo ratiocinans quomodo ratiocinatur ebria Dialectica. Quod si Lutherus negabit hic se recipere Au-

gustini autoritatem, deponat igitur eiusdem autoritatis præsidiũ, in eo quod pro ipso facit. Iactat enim sententiam Augustini suam esse sententiam. Impudenter aũt dimidium sententiæ pro se rapit, dimidium reijcit, quanq̃ falsissimum est Augustinum hoc asserere, quod asserit Lutherus, quẽadmodũ in priore libro declarauimus. Tametsi non in hoc mihi dicũtur hæc, ut Lutherũ opprimam autoritate doctorũ ecclesiastico rũ, quod etiam si iure possim, tamen frustra cum illo coner: sed ut ostendã illius petulantiam, qua lasciuit in Diatribam, non magis ad meam ptinere contumeliam, q̃ ad aliorũ quidem omniũ, sed præcipue Augustini, cuius unius autoritati solet deferre: nec hæc argumẽta nõ esse tam absurda, quin ualeant in pugna, qualia sunt, quæ scholastici uocãt ante oppositũ. Neq; tamen nos mouet, quod Lutherus in triũphis suis, sub inde nobis recinit sua dogmata. Non enim curamus
95 qd assueueret, sed qd pbet. Quoties aũt ille subsannãs repetit, nostra Diatriba, nónne eodem iure quoties illũ cito dicere possum, noster scurra, aut noster thraso, sed absit, ut imiter quod dãno. Hoc caput ita claudit noster nomothetes, atq; eũ locũ et similes, Si uolueris, si audieris, si feceris, non ostẽdere, nisi qd facere debeãt hõies. Quis unq̃ dictus est hoc debere facere, qd nõ potest, nisi ipsius culpa factũ est, ut non possit? Tametsi ne lapsis quidẽ negatur reditus ad uitã. Potest igi-

test igitur peccator resipiscere? Quid ni? præsidio gratiæ, si adiungat quod in ipso est. Excutit locum quem adduxeram ex Genesis 4. Nónne si bene egeris, recipies, sin autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit? &c. An hic locus tam euidens non erat idoneus qui proponeretur in argumẽtando, præsertim quum Chrysostomus, Hieronymus, alijq; scriptores hinc colligant humanæ uolũtatis libertatẽ. Inepte uero uociferatur Lutherus, hic rursus omnia tribui libero arbitrio, nihil relinqui spiritui aut gratiæ. Cœperat Caim excidere à gratia in qua erat, & idcirco deus admonitione pulsat animum illius. Hæc erat gratia, quam Augustinus uocat operantẽ. Iam si Caim non spreuisset, non defuisset uberior gratia, qua potuisset impijs animi motibus resistere. Quod excidere cœperat, utiq; per liberũ arbitriũ factũ est, quod si accõmodasset ad oblatã gratiã, nõ pueniisset ad parricidiũ. Vnde aũt spreuit oblatã gratiam, nisi per liberũ arbitriũ? Nec pudet Lutherũ toties in hoc libro nobis occinere, q; absq; gratia tribuã libero arbitrio potestatem efficaciter uolendi agendiúe bona, quum toties inculcem, in benefactis me non separare gratiam à libero arbitrio. Rursus quoties appello liberum arbitriũ, ille ĩterpretatur simpliciter liberum, quũ nõ semel aperiã quid sentiã, ueluti paulo inferius, Si non est homini ullo pacto libera uoluntas,

ad bonum

ad bonum, aut si ut quidã aiunt, nec ad bonum nec ad malum, quid sibi uolunt hæc uerba, Si uolueritis, si no lueritis? si nullum omnino est liberum arbitriũ homi nis nec ad bonũ, nec ad malũ, quod docet Lutherus, quorsum ptinet illa terribilis exaggeratio Adæ, sub ducta gratia suo relicti arbitrio? An aliquis relin qui potest rei quæ non est? Quid autem erat necesse hic uerba fundere, dum serio docet nos in hoc sermo ne, Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illi us, uerbum futuri temporis usurpatum pro imperati uo, ne promißionem esse putaremus, non præceptũ, & ne deus uideretur mentitus, quia nõ euenerit quod futurum prædixerat. Quis hoc uocabat in dubium? Quanq; interim uidetur oblitus, quod ante reieccrit, in literis sacris usum communem loquendi, & ad dia lecticæ proprietatem nos reuocauerit. Atq; hoc frigi dum commentum tanti facit, ut in ius uocet interpre tem, qui uerbum futuri temporis non uerterit in mo dum imperatiuum, quasi hic tropus non paßim sit ob uius in sacris literis, non occides, non mœchaberis, di liges proximum tuum, &c. doctorem seuerum. Oc cinit nobis subinde suum dogma, ex uerbis imperati uis non colligi facultatem uolendi aut nolendi. Atqui nos cõtra Lutheri dogmata pugnamus, & argumen ta flagitamus, non asseuerationes. Regum est præscri bere leges, non disputatorum. Quid attinet hic obij

cere scr

cere scripturæ testimonia, aut Ecclesiæ pceres? Hos fortiter negligit. Scripturis si decem milia testimoniorum produxeris, habet bipennem, qua dissecat nodos uniuersos: Hæc ostendunt, quid homo facere debeat, nõ quid posit. Similibus machinis aggreditur 96
tertium locum, Posui ante faciem tuam uiam uitæ & mortis, elige quod bonum est, &c. Si Luthero concedimus, omnia præcepta ueteris & noui testamenti, omnes exhortationes, omnes minas, omnia promissa præceptis addita, nihil aliud efficere, q̃ ut homo agnoscat se nihil posse nec in bonum, nec in malum, habet ut dicebam quo discutiat huius generis omnia testimonia. Atqui hoc quod ille ueluti confessum assumit, uertitur in controuersia, quin potius reprobatur & exploditur ab omnibus, præsertim si hoc illi permittamus, ut quoties aliquid tribuo libero arbitrio, patiamur excludi gratiam. Quid agas cum tali disputatore? Quoties id facit Lutherus, facit autem perpetuo, toties intellige lector hominis insignem impudentiam, qui dissimulet, quod potissimum ago in hac disputatione, ut actum gratiæ coniungam cum actu liberi arbitrij. Fatetur hominem stare in biuio. Sed negat ullam uiam patere, uel ad dextrã, uel ad sinistrã. Vox autem permittentis, ut utram malit uiam ingrediatur, nihil aliud efficit, nisi ut homo intelligat neutram uiam patere, nec ad bonum, nisi adsit auxilium spiritus,

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA W POZNANIU

ſpiritus, nec ad malum, niſi permittat deus. In priore nónne Lutherus imprudens mecum ſentit? Ego dico poſſumus ingredi dextram uiam auxiliante gratia, Lutherus idem fatetur, alijs uerbis, dicens, ſi adſit ſpiritus. In altero quemadmodum non inficias eo, fieri poſſe, ut deus huic aut illi ob nobis incognitas cauſas, non permittat ingredi ſiniſtram uiam, generale tamen eſt, homines ſuapte uoluntate ruere in peccatum. Et tamen uiam ad bonum appellat impoßibilẽ, quũ fateatur p acceßionem gratiæ patere. Rurſus inique facit, qui ſingula loca excutiat ad unicam opinionem, quum hæc loca ſic proferantur in media diſputatione, ut ad alias quoque non reiectas opiniones poßint accommodari, & quocunque modo ad harum quamlibet applicentur, certe hoc efficiant, ut illud abſurdißimum Lutheri dogma exploda tur, hominis uoluntatem nec ad bonum nec ad malum uel tantillum poſſe. Alioquin quibus placet opinio Scholaſtica, reſponderent in hominis eſſe poteſtate utram uellet eligere uiam. Ergo prorſus excluditur gratia? Nequaquã, ſed præſtantibus quod in ipſis ſitum eſt, nunquam deeſt, neque defuit, nẽque defutura eſt diuina gratia. Nec deſinit nobis ueterem occinere cantilenam coccycem imitans, Verba legis nõ oſtendunt quid poßit uoluntas, ſed hoc agunt, ut humanam cæcitatẽ illuminent. An ſtatim agnoſcit peccatum

catum, qui nouit legem? Multi criminati sunt legem ut iniquam, deoq; indignam. Nec defuerunt, qui Mo/ sen dicerent fucis ac præstigijs imposuisse crassæ mul titudini, quemadmodum Minos imposuit Cretensi/ bus. An statim illuminatus est, qui cognoscit pecca/ tum suum? Multos ea res coniecit in desperationem, multos efferauit ad immanitatem. Aut igitur non na/ scitur ex lege, aut inutilis est cognitio peccati, nisi ad sit gratia, Quæ si desit, quid ad rem facit cogni/ tio? Sed esto, sit homo sanabilior agnito peccato, an peccatum non possit cognosci, nisi tot præceptis ageretur, ut homo intelligat nihil præcipi, quod ab ipso præstari queat? Si dicit, posse auxilio gra/ tiæ, nobiscum facit, sed ubi est interim illud para/ doxon, nec hominis illustrati per fidem & charita/ tem ullum esse opus bonum? An seruare præceptum opus malum est? An qui seruat nihil agit? Nam id docuit Carolstadius. Et ubi est illud apud istos πο/ λυθρύλλητον, hominẽ nec in bonis nec in malis quic quam agere, sed deum omnia agere in nobis? Ab hoc scopo non oportebat Lutherum discedere. Ita/ que illa tria uerba, quæ sine fine nobis recinit, per legem cognitio peccati, satis opinor, demonstra/ tum est in superioribus, quàm impudenter torque/ at ad sui dogmatis defensionem. Nec ad id solum

ualent

ualent præcepta legis, & alia ratione potest homo cognoscere peccatum suum, q̃ si præcipiantur impoßibilia. Quomodo Paulus cognouit peccatũ suum? Admonitus est erroris. Citius homo cognoscat suũ peccatum, si lex præscribat æqua, rationi consentanea et poßibilia, Citius homo credat se uacare peccato, si de us omnia præcipiat impoßibilia, Citius hac ratione fiat, ut homo peius de deo, melius de scipso sentiat. Et
97 tamen hoc nugacißimo nugamẽto sic fidit Lutherus, ut minitetur sese nobis ad uniuersa scripturarum testimonia, cantionẽ eandem cantaturum. At quoties id faciet, toties ineptißim à nobis audiet impudens scripturarum contortor. Rursus ingeritur illud egregium dogma de differẽtia præceptorũ & promißionũ & à grãmaticis petitur discrimen imperatiui modi, & indicatiui. Imperandi uerba non docent hominem posse, sed indicatiua, id quum pueris sit notißimum, miratur nos theologos bis pueros sic ineptire. In quẽ dicit hoc conuitium? In me? Nunq̃ hoc docui. Quis autem theologorũ tam uecors est, ut ignoret, quod iste tanto docet supercilio? Imperandi modum præscribere non pronunciare, ut mox inquit, seruata, facta, elecꝛa & impleta uelitis, idq; nostris uiribus, simul atq; audieritis uocem imperantis, fac, serua, elige. Quis credat hunc hominem esse sobrium?. Quis unq̃ dixit ilico factum, quod imperatum est? Verum ni sic loquutus

quutus esset, oratio non habuisset hyperbolen Luthe
ranam. Norunt idiotæ quod qui optat, non statim ha/
bet quod optat, & conditionem esse suspensam, & ta
men si quis dicat auaro, Si tanto studio seruasses uxo/
rem quanto seruasti pecuniam, haberes castam, aut
utinam tam diligenter seruasses uxorem quàm pecu/
niam, idiota scribet dicam iniuriarũ. Reus clamabit
uerba optandi et subiũctiua nihil ponere, at iudex ex
sensu communi dicet illi mulctam. Quid autem sciũt
pueri in triuijs? Imperandi uerba præscribere quid
debeat fieri, non quid possit cui loquimur. Verum ijdẽ
pueri sciũt, si quis imperet quod nullo modo fieri pos
sit, aut esse stultum aut ridiculum aut tyrannum. Faci/
at huius rei periculum Lutherus, si mihi parum fidit,
ingressus ludum litterarium, præcipiat huic elemen/
tario ut Homericam Iliadem recitet memoriter, illi
præscribat, ut Terentium uertat Hebraice, alij ut sub
uolet in tectum, alijs item atq; alijs similia, quid dictu
ri sunt? Quid? nisi hic homo aut insanit aut est ebrius,
aut deridet nos. Norunt pueri discrimen inter impan
di modum et indicandi. Sed quis docuit illos hanc illa
tionem, quam Lutherus tantopere ridet in Theolo/
gis? Nimirum natura sensusq; communis, à quo mirũ
quàm excidit Lutherus, dum undiquaq; captat suo do
gmati nimium adamato patrocinium. Et tamen qui
sic loquitur pueris, minus ridicule faciat, quàm Luthe

rus qui hoc tribuit omnibus dei præceptis. Nam ille quædam præscribit quæ progessu temporis fieri possent. Deus, si Luthero credimus, ea præcipit, quæ nullo studio, nullo temporis spacio queant perfici, ne spiritu quidem in nobis operante: cuiusmodi leges nullus adhuc tyrannus tulisse legitur, neq; quisquam legum nomine dignaretur: ac sententiam tam absurdam, & tantopere pugnantem cum sensu communi, quem Lutherus facit iudicem scripturarum, tribus uerbis approbat è Paulo decerptis, Per legem cognitio peccati: quasi lex ea præscribens, quæ fieri possunt, non ostendat peccatum improbis, ut uel metu pœnæ abstineant à scelere, quo uel minus sint nocẽtes uel certe minus noxij, uel si non abstinent careant excusatione: bonis ut uitatis malis expetant honesta.

98 Posteaquam aperuit sibi uiam expeditam discutiendi quicquid adfertur è sacris litteris, eadem bipenni soluit quæ profert Diatriba ex Deutero. tertio & trigesimo. Verba inquit, imperatiui modi, & testimonia citata, aliud probant quàm ipse proposuerat. Proposueram lib. arb. nihil posse sine gratia, & hæc docent illud omnia posse, ac se solo, ut Lutheranice dicã. Huiusmodi næniæ nobis tota hac disputatione perfrendæ sunt. Quare uelim te semel meminisse lector, meã Diatribam proposuisse uarias opiniones non reiectas ab ecclesia: & in disputãdo non respicio tantũ ad unam:

ad unã: nec hoc hic proprie agitur ut illam probem, cui in fine testor me potißimum hærere, sed ut Luthero telũ è manibus excutiam, per scripturas quæ tribuũt aliquid lib. arb. siue plus iuxta quosdam, siue minus iuxta alios. Nam in hoc uariãt etiam orthodoxi. Vtcunq; horum quisq; rapuit scripturã, certe hoc effecimus quod uolebamus, nimirum declarare falsum esse quod Lutherus asseuerat, ex litteris sacris nihil aliud doceri, quàm nullum esse liberum arbitrium. Iam quum ipse suas scripturas impudentißime torqueat, si 30 uicißim meas torsissem ad uictoriam, duntaxat inter pugnandum, ut ostenderem scripturarum loca cum locis in speciem pugnare, quo collatione facta posint in cõcordiã redigi, quid absurdi feciſſem, præsertim quum id & professa sit & præstiterit Diatriba? Adeo ne rudis est disputatoriæ palestræ, ut nesciat discrimen inter pugnantem & docentem, inter argumentantẽ & pronunciantẽ? Quoties Diuus Thomas colligit hũc in modũ. Io. 6. dicit dominus: nisi manducaueritis carnem filij hominis & bibe ritis eius sanguinẽ, ergo hoc sacramentum est de necessitate salutis. Ex scriptura ꝓducta falsam colligit sententiam, nonnunq; blasphemam, & agnoscimus ius huius palestræ. Mihi sine fine Lutherus expbrat meas ἐπὶ φορὰς, imò ne meas quidem, sed quas depraua tione iam fecit suas. Quod si maxime inter pugnan

dum hoc agens, ut quocunque modo tela excuterem aduersario, eumq; uinciã, absurdis epiphoris fuissem usus, nihil alienum à consuetudine Theologorum fecissem. Nunc in meis uerbis nusquam est illatio, cui toties tam scurriliter insultat, liberũ arbitrium omnia posse sine gratia, et se solo. Vbi Lutherus didicit eam dialecticam, potest, ergo per se potest omnia. Et non potest perficere sine præsidio, nihil igitur omnino potest ex sese. Qui dicit Cæsarem posse capere ciuitatẽ, an is affirmat illum id posse sine militum auxilio? Sed inter argumentandum inquit, non meministi gratiæ. Nesciebam mihi rem esse cum homine tam obliuioso, ut idem ad singulos uersus fuerit opus repetere. Nam crebro & gratiæ memini. Nec id faciebat ad argumentationem. Tantum illic cito loca quæ utcunq; accepta destruunt Lutheri dogma, uidelicet omnia dei præcepta esse impossibilia. Si ea testimonia uidentur docere, liberum arbitrium per se totum posse, quod tamen à me nusquam est dictum, tanto imprudẽtior est Lutherus, qui negat per scripturam doceri posse omnino quicquam esse liberũ arb. Quum igitur hoc conuicium partim sit iniquum, partim falsum, tamen ueluti præclarum sophisma nobis toties occinit, gestiens, ludens, lasciuiens, ac tantum non triumphãs. Nec uidet interim homo solus oculatissimus quàm se cordatis ridiculum præbeat, dum ipse ridet Diatribam.

In duo-

In duobus ijsq; haud longis capitibus, quot insulsa, p/
fert dicteria. Appellat suam Diatribam, excutit uter
num Diatribæ, desiderat memoriam in Diatriba, colli
git eam uel nihil intelligere uel non affici causæ, obij
cit uicium rhetori turpissimum, stultitiã, quod ea pro
ferat quæ causæ cui adest, officiũt. Ridetur Diatribe,
quæ sibi suauissime blanditur, perpetuo disputat con
tra suum ipsius statum, & omnia ridicule & dicit &
facit. Sed illud unum dictum est de dictis melioribus,
Domina inquit, Diatriba uos male infertis, nec pro/
batis sequelam, sed cæcitati & oscitantiæ uestræ ui/
detur id sequi & probari: & tamen hoc genus illati/
onibus. D. Augustinus toties asserit liberum arb. Vbi
estis Lutheri sodales, qn hic glorioso duci uestro da/
tis plausum, qn acclamatis, euge, pulchre, laute, lepi
de, nihil supra. Melius apud Horatiũ scurrantur No/
mentanus & Balatro. Quid his iocis insulsius, quid
conuicijs dementius? Talibus flosculis lusit in regem
Angliæ, nec caruit applausoribus, ut nusquam non in
ueniunt simile labra lactucas. Quid infert Diatriba
spermologe? Nihil aliud quàm per scripturas statui li
berum arb. Ergo inquit liberum arb. sine gratia po/
test totum. Ista tua sequela est nõ Diatribes. Nam pol
licitus fueram me prolaturum è scripturis loca, quo/
rum alia uiderentur in totũ tollere liberum arb. alia
statuere. Post citationem quid supererat? Nimirum

ut exponerentur ea quæ uidebantur in totum tollere. Rursus eorum quæ statuebant, sic temperaretur interpretatio, ut summa principalis aßcriberetur gratiæ, sic tamen ut hominis uolũtas suis quoq; partibus fungeretur. Nónne quod pollicita est Diatriba præstitit? Sed suo loco. Non igitur sui oblita est Diatriba, sed tu impudens, qui quod alio loco promissum est, exigis alio. Imò illud deprehendi in hoc disputatore peculiare, ad singulas argumẽtationis partes ita depugnat, quasi ibi sit uictoria, ad singulas præfatur, perorat, triumphat. Nec tamen perinde molestus est stolidis conuicijs, ut eadem plus milies occinendo. Hic igitur lectorem admonitum uolo, ne si toties refellam, quoties ille hoc ingerit, uolumen crescat in immensum, ut quoties dicam Lutherus κοκκύζει, intelligat me næ nias huiusmodi studio præterire.

Idem mendacium recinit nobis capite proximo, Diatriben ubiq; fingere talem hominẽ, qui uel possit efficere quod præcipitur, uel saltem intelligat se non posse. Diatribe iuxta quorundam opinionem assumit, omnem hominem naturæ uiribus eò posse proficere, ut deus illi non sit suam negaturus gratiã. Assumit iuxta aliorum opinionem, liberum arbitrium, omnia & posse & facere, auxiliante gratia. Quid Lutherus? Aßumit omnes homines esse uinctos, miseros, captos, ægros, mortuos: nec his contentus, facit omnes

sic excæ

sic excæcatos, ut se liberos existimēt ac sanos. Quum naturæ lex neīni nō adsit, quæ plurima dictat hoīni, uel expetenda uel fugienda, qui fieri potest, ut omnes homines etiam ante gratiam, tales sint quales fingit Lutherus? Quæ lex docuit philosophos, ut tā præclara multa traderēt de uirtutis habitu, & hinc manantibus officijs? Sed apud Lutherum semper hyperbolē hypbole, uelut ansam ansa trahit. Tali homini opus erat lege, quæ tā multa præscriberet impossibilia. In quē usum? Grauē inquit, & seriū, ut homo cognoscat peccatū, & imploret medicū. Iā ostendi id cōmodius potuisse fieri, si lex præcepisset possibilia. Sed melius inqt homo cognoscit suā miseriā, si uiderit legē seruari nō posse. Atq; Pharisæi credebāt se seruare legem. Nō igitur lex semp parit cognitionē peccati, aut si parit frequēter parit inutilē. Sed demus parere, Quō lex docet hominē nullo pacto seruare posse, qd' præcipitur? Quō uero persuasum habebit homo se debere seruare, qd' nō est in ipsius potestate? Aut quō sibi psuadebit deū esse tā misericordē q̄ hic eū facit Lutherus, si tā duras præscribit leges hoīni nihil cōmerito, nisi qd' originē duxit ab Adā? Verū hoc quoq; donēus, hoīnē agnoscere suā extremā calāitatē. Quid tū postea? Implorabit misericordiā doīni, Implorātis uocē statī audit deus. Nā hic deū quem aliās facit quouis tyranno crudeliorē, quippe qui nihil cōmeritū, pro mera uolū-

tatis suæ libidine tradit æternis ignibus, hic subito tã facit misericordem, ut ad primam statim clamantis uocem ex carne faciat spiritum, hoc est ex organo satanæ, templum dei. Quur igitur non audiuit uocem Balaam, dicentis Num. 23. Moriatur anima mea morte iustorum. Verum hæc imploratio unde proficiscitur? A gratia. Quid igitur implorat, quod habet, an quod non habet? Si implorat sine gratia, peccat implorando iuxta Lutherum. Imò etiã in gratia. Quomodo igitur prouocando deum, prolicit illius misericordiam? Si qui implorat habet quod petit, quomodo statim audit deus? qui iam dedit priusquam rogaretur? Quod si Lutherus ponit quoddam confinium inter eum qui iam habet gratiam iustificantem, & eũ qui non assequutus est, sed huic præparatur, ubi est illa hyperbole, quæ faciebat omnem hominem ægrum, captum, ferocem, ac sibi placentem? Sentit opinor, extra gratiam: Sin aliter, multo est impudentius. Homo igitur peccando prouocat misericordiam, si extra gratiam, aut si in confinio carnis & spiritus. Quur igitur sic uociferatur in eos qui putant hominem, eleemosynis, ieiunijs, precatiõibus, sacra lectione, alijsq; studijs moraliter, ut dicunt bonis, ambire & impetrare gratiam, quum ipse dicat ad primum statim clamorem paratam esse gratiam? Vtrum facilius est, Clamare, an benefactis diu multumq; ambire, Iam quod

subinde

ſubinde Lutherus ſic mecum agit, Liberum arb. hoc aut illud poteſt, ergo poteſt ſuis uiribus, absq; gratiæ præſidio: Si mihi fas eſt eodem in ipſum uti iure, ſic colligam, Lex parit cognitionem peccati, cognitio peccati parit agnitionem noſtræ calamitatis, agnitio parit imploratione opis diuinæ, imploratio dei miſericordiam, ergo lex ex ſe perficit, ut homo cognoſcat peccatum, & cognitio peccati ſine gratia facit, ut agnoſcat, hoc eſt fateatur peccatũ, agnitio per ſe facit, ut imploret dei miſericordiam, imploratio tantum ualet, ut deus non poßit imploranti negare miſericordiam. Vbi hic Lutherus ponit initium gratiæ? Poſteaquam deus audijt? Quicquid igitur præceßit, geſtum eſt extra gratiam, ſub plenaria Satanæ poteſtate. Et tamen illa ſic geſta tantum ualent, ut cogant deum ad protinus impartiendam ſuam gratiam. Et hæc qui docet, quibus ſannis irridet in aſſertionibus, imò quoties uocat eos impios, qui putant hominem per opera moraliter bona naturæ uiribus eò poſſe proficere, ut deus ex ſua bonitate non ſubtrahat auxilium gratiæ, præſtanti quod in ipſo eſt. Quoties clamauit illos peiores ipſo Pelagio? Quanto autem impudẽtius eſt quod hic Lutherus tribuit cognitioni, et imploratione? Plus enim facit qui ſibi diſplicens ex agnitione ſcelerum, dat eleemoſynas, ieiunat, uerſatur in ſacris libris, adeſt ſacris, audit conciones, orat,

manens tamen interim in peccatis & in affectu peccandi, quàm qui tantum intelligit præcepta seruari non posse, & implorat misericordiam, ut deus conferat salutem æternam. Nam gratia iuxta Lutherũ nõ tantum ualet, ut homo posit, uel minimum seruare præceptũ. Quid igitur? Vt quæ erant futura capitalia, per dei misericordiam uertantur in uenialia. Itaq; nec cognitio peccati, nec imploratio proficit huc, ut homo seruet præcepta, sed tantum ut agnoscat se esse deploratæ calamitatis. Deinde deus qui fuit tam durus in præceptis, tã erit subito benignus, ut absq; præceptorum obseruatione, imò perseuerantibus in præuaricatione, tantum si clamẽt, & credant fide Lutherana, daturus sit uitam æternam. Citat ex Esaiæ 61. Ad euangelizandum pauperibus misit me, ut mederer contritis corde. Quod quidam legũt pauperibus, Hieronymus uertit, et Hebræis sonat mites minimeq; feroces, At Lutherus fecit omnes homines cœcos ac sibi placentes. Dicet, ante legem. Ergo post legem sibi omnes displicebãt? Non, sed lex quosdam deiecit, quosdam indurauit. Lex non confert gratiam. Vnde igitur hæc quosdam emollit? Quia reperit materiam molliorem & gratiæ capaciorem. Audierunt ex Gẽtibus & ex Iudæis Euangelium, aliquot ilico paruerunt, pleriq; summis uiribus restiterunt. Vnde discrimen? Quia aliud semen cecidit in terram bonã, aliud

in diuer-

in diuersam. Vnde differentia terræ? Ex prauis cupiditatibus, uitiatisq; moribus. Sed hæc corruptela unde, nisi ex libero arbitrio? Simplex animus, aut per imprudẽtiã errãs, ager est, rudis quidẽ ille, sed facile capax boni seminis. Hyperbolicũ est et illud qd'ait, aut deus præcipit ĩpoßibilia, aut frustra est spũs. Nec deus simpliciter præcipit impoßibilia, nec frustra est spũs, sine cuius auxilio non ꝓuenitur ad salutẽ æternã. Iã q̃ sunt isti cõtriti corde q̃bus medetur Christus? Qui agnoscunt suã infirmitatẽ, et implorant dei misericordiã. Hi si iã hoc ipso sani sunt, qd agit medicus? Si nõ sunt, aut cœci sint oportet, aut mediũ quiddã est inter illos et hos, qd'Lutherus negat. Dominus ait, nõ ueni uocare iustos sed peccatores, Iustos appellãs qui sibi iusti uidebantur, peccatores qui malum suum agnoscebant. At qui Phariſæi maxime tenebant legem, nec tamen illis omnibus lex pepit agnitionẽ peccati. Lex igitur ut dixi, nec solũ hoc efficit, nec in omnib. et hæc habilitas aut inhabilitas ꝓficiscitur à lib. arb.

In proximo capite Lutherus κακῶζῃ, satis apte 101 »
mentionem faciens robustæ offæ. Totus enim hic sermo sapit culinam, in qua nõ sobrius uidetur hæc scripsisse. Quid aũt leporis habet miscere robustã offam? Et sunt quibus hic locutuleius uideatur etiã festiuus. Quales offas Diatriba misceat alij uiderint, illud ĩ cõfesso est, Lutherũ talia miscere pharmaca, ut pluriꝰ

simplici

simplicium animos infecerit. Et quēadmodum iocus insulsus de offa resipit crassum spiritum quo ducitur, ita quod paulo post nostram illationem appellat Leuiathan, id est additamentum, ut uideatur & Hebraice scire, sapit eum spiritum cuius afflatu multas hyperbolas addidit scripturis sacris, quæ sanum illarum sensum subuertunt. Quid dicit Leuiathan? Ergo liberum arbitrium habet plenam omnium potestatem, ergo se solo potest, ergo potest suis uiribus, ergo non eget auxilio spiritus. Hæc de suo addit Lutherus ille Leuiathan, quum mea Diatriba lōge aliud loquatur. Hoc mendacium quum plus centies recinat, credit ita fore, ut uideatur esse uerum, sed longe fallitur. Qui quod manifestæ uanitatis est subinde repetit, non hoc efficit ut quod dicit uideatur minus falsum, sed ut ipse impudentior. Quorsum enim attinebat illud sophisticum nugamentum, si uoluero bona terræ comedetis, quasi quisquam possit frui bonis terræ deo nolente. Quid hoc est aliud quàm tēpus & chartas perdere? Ex hoc capite coarguitur Lutheri uanitas, toties aliâs dictum & hic repetit, me totam potestatem tribuere libero arb. Et tamen ipse citat hæc mea uerba, Quid attinebat dicere, si uolueritis bona terræ comedetis, si nulla est libertas uoluntatis? An qui dicit, si nulla est, tribuit totam potestatem hominis uoluntati? Ac mox, quorsum attinet eos hortari, qui nulla ex

parte

parte suæ potestatis sunt. An hæc sunt uerba totum nostro tribuentis arbitrio? Et tamen his citatis Lutherus subijcit: Quorsum attinet citare locos, qui se solis nihil probant, & adiecta sequela omnia tribuunt libero arbitrio. Duo falsa ceu linum lino connexuit. Nam & hæc loca hactenus ecclesiæ probauerunt liberum arb. aliquid posse, nec mea sequela totam potestatem attribuit illi. Quoties autem blaterauit me tota disputatione separare gratiam à libero arb. Et tamen hic refert hæc mea uerba. Euidentius uero Zacharias liberi arb. conatum indicat & gratiam conãti paratam. An excludit gratiam, qui dicit eam paratam? Verum quo magis eluceat hominis insignis impudentia, referam & alias aliquot sequelas ex Diatriba. Citato Esaiæ testimonio sic infero, Si non est homini ullo pacto libera uoluntas, aut si, ut quidam aiunt, nec ad bonum nec ad malum, quid sibi uolunt hæc uerba, si uolueritis, si nolueritis? Ac mox: Nõ uideo, quo modo uitari possit, quin hic quoq; peccatoribus tribuamus uoluntatem, aliquo modo liberam ad electionem boni. Idem efficit similitudo de homine uinculis astricto, qui nulla ex parte liber est. Paulo post sic infero. Et ubi sunt qui negant hominem quicquam agere, sed pati tantum ab operante gratia? Ac mox, Cæterum quid imputes illi, qui nihil potest agere neq; boni neq; mali. His qui nullo modo suæ uoluntatis

tatis compotes sunt,& c. Et aliquanto post. Hæc omnia frigeant oportet semel inducta necessitate, uel benefaciendi uel male. Et rursum. Si cuncta fiunt necessitate. Ac mox, Nonne frigĕt omnia præclara præcepta Christi, si nihil tribuitur humanæ uoluntati? Itẽ ubi toties est operum bonorum ac malorum mentio, ubi mentio mercedis, ibi non intelligo, quo pacto locus sit meræ necessitati. Non pergam referre plura, ne molestus sim lectori. Huiusmodi sequelis quum plena sit ea pars Diatribes, quæ citat scripturas pro libero arbitrio, tamen Lutherus perfricta fronte, toties nobis exprobrat illationem, quæ totum tribuat humanæ uoluntati exclusa gratia. Illationes meæ, ponunt paratam gratiam agenti quod in ipso est, excludunt meram necessitatem, quam inducit Lutherus, tribuũt aliquid libero arbitrio, sed modica ex parte. Quem igitur habent locum illa stolida conuicia, Diatribam aliud pponere, aliud pbare, nescire qd loquatur, pugnare secũ. Nõ libet regerere cõuicia, res ĩdicat, qualis rhetor sit Lutherus, et q̃ sibi cõstet homo uere nusq̃ immemor aut dissimilis sui, dũtaxat in cõuiciando.

102 Obijcitur aliud crimẽ miseræ Diatribæ, In his quæ recensuit nihil facit discriminis inter uoces legis & euangelij, tam scilicet cæca est & ignara, ut quid lex quid euangeliũ sit, non uideat. Imò Lutherũ nihil pudet confingere. Vbi facio uerba legis ex uerbis euangelijs

gelij? An quia refero quædã loca quæ magis ad gratiam inuitare uidentur, q̃ præscribere quid sit faciendũ? Sit ita, nónne hoc quoq; sibi sumpsit Diatriba, ut ex inuitationibus, promissis ac blandicijs dei, probaret non omnino nihil agere uoluntatẽ humanã? exempli causa sumatur illa uox maxime euãgelica, Venite ad me omes qui laboratis & onerati estis, et ego reficiã uos. Si nihil agit uolũtas hominis, quur illi dicitur uenite. Nemo dicit uincto, ueni ad me, dabo tibi cibũ, sed ultrò cibũ illi defert, aut prius soluit. Hic nõ præscribũtur opa legis, fateor, sed exigitur auscultatio uerbi, quæ præparat dono fidei. Rursum, Pœnitentiã agite, ĩstat regnũ cœlorũ. Promittitur hic regnũ cœlorũ, sed agenti pœnitẽtiã. Si nihil agit humana uolũtas ad resipiscendũ, quur huc hortatur euãgeliũ? Dãda potius erat pœnitẽtia q̃ præcipienda. Itidem apud Esa. 45. Congregamini & uenite. Et ijsdẽ dicitur: cõuertimini ad me & salui eritis. Quid est cõgregamini, quid est conuertimini? relinquite idola, cõgregamini cum Iudæis in eandẽ ecclesiam, & per fidem salui eritis. Et qui dicit consurge, uidetur appellare uoluntatẽ iacẽtis. Qui dicit excutere de puluere, quid dicit aliud, quàm relinque uitiorum sordes, Qui dicit solue uincula colli tui, uocat ad pœnitentiam. Deinde sequitur uox euangelica, Gratis uenundati estis, & sine argento redimemini. Rursus in his, si quæritis

quærite,

quærite, Vox est obiurgantis quod non toto pectore quærerent. Conuertimini & uenite, hortantis est ad plenam seriāq; uitæ mutationem. At huius generis ferè sunt euangelica promissa, ut habeant iussionem seu conditionem annexam. Quod genus est illud, Quærite, petite, pulsate, uoces sunt præcipientis: inuenietis, accipietis, aperietur uobis, uoces sunt promissionis. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, Saluus erit uox est euangelij, sed addita est conditio, si credideris, quæ si desit, inanis est pollicitatio. Itaq; promissa quibus ad obseruationem præceptorum inuitamur, nonne superuacua sunt pariter ac præcepta, si nulla est humanæ uoluntatis actio? Quis igitur confundit euangelij uoces cum legis uocibus. Sed Lutherus miscet uera falsis. Si Diatriba tantum proposuisset se dicturam de præceptis ac supplicijs, habebat utcunq; Lutherus quod arroderet: nunc quum proposuerit præcepta, promissa, blandicias, exhortationes, obtestationes, expostulationes obiurgationes, minas, terrores, exprobrationes, execrationes, quorsum hic attinebat distinguere uerba legis & euangelij, nisi ut suā ostentaret admirabilem Theologicæ rei cognitiōem? Hic rursus accipe lector, quàm sibi præsens sit ubiq; Lutherus. Hæc uerba quæ citaui ex Esaia, cōuertimini ad me & salui eritis, dicit esse uoces euangelij, Et mox docet in his uerbis Zachariæ, Conuertimini

timini ad me, contineri legem uniuersam cum omnibus suis præceptis: in alteris conuertatur ad uos, totũ euangelium. Eadem uox apud Esaiam est euangelij, apud Zachariam, non solum est legis, sed uniuersam legem complectitur. Ostensum est nullum hic ex Esaia locum productum, qui non habeat aliquid præcepti, eoq; uanum esse quod Lutherus ait, omnia esse uerba consolationis siue promissionis, excepto primo loco: docui etiamsi citra controuersiam essent euangelij, tamen facere ad liberi arb. probationem. Omitto κοκκυσμὸν de uerbis imperãdi, & q, ex his colligo liberum arb. non egere gratia, quæ mendacia toties occinit, ut pigeat toties refellere.

Homo ad maledicendum copiosus, quod antea dixit summam cæcitatem, offam robustam, Leuiathan, hic appellat lethargum, tandem attingens aliquid argumentorum. Diliges dominum deum tuũ, &c. Præceptum est omnium maximum, & uerba sunt imperandi. Ex hoc autem quoniam non colligitur aliquas liberi arbitrij, nec ex alijs præceptis colligi poterit. Quid si negem quod sibi sumit Lutherus? Citabit mihi doctores scholasticos. Impudẽter mihi citat scholasticos, qui nullius doctoris neq; scholastici neq; non scholastici recipit autoritatem. Nunc quum fateatur scotistas ac recentiores diuersum sentire, quur potiorem habet autoritatem alterius classis quàm alteri- 103

us? Si ipsi ius est eam usurpare quæ p ipso facit, mihi ius erit amplecti quæ pro me facit. In hoc rerum statu quomodo probabit Lutherus quod asseuerat? An quia pauci diligunt deum ex toto corde? Ita ne consequitur, non diligunt ex toto corde, igitur non possũt? Sed demus hominem non posse quod uerba præcepti sonant, quæ tandem est illa collectio, non potest hoc, ergo nullum præceptum potest. Multi abstinẽt ab homicidio, qui nec deũ perfecte diligunt, nec proximum quantum debent. Et huius præcepti diliges, peculiaris quædam est ratio: Præcipitur enim id quod non solũ hic semper augescat, uerum etiam perfectionem accipit post hanc uitã in pijs. Quid igitur sibi uolunt illæ hyperbolæ, ex toto corde, ex tota mente, ex totis uiribus? Vt deus præ omnibus diligatur, sic ut illi nec uxor, nec liberi, nec mors, nec uita præponatur. Ad hæc perfectio charitatis non hinc est matura, quod nihil possit accedere, sed quod pro nostra imbecillitate suum quendam modum attigit. Neq; protinus dicitur præcepti transgressor, qui nõ ad plenum præstitit, præsertim in his quæ paulatim increscunt, quorũ de numero est fides & charitas in deum. Tolerat deus infirmos donec proficiant, & adiuuat proficientes. Iuxta hanc rationem et exigit deus perfectam charitatem, & nos præstantes quod in nobis est, illius adiuti gratia, pficere possumus quod exigitur. Habet igitur &

hic

hic suã functionẽ lib. arb. quam exigit præceptũ. Ne/
q; cõsequitur, si nulla legis obseruatio grata est deo
extra fidẽ & charitatẽ, igitur præceptũ obseruando
uiolat, cuius fides & charitas est imperfecta.

Pergit lasciuire Lutherus, quando res mire succe 104
dit ut ipsi uidetur, Irridet oscitãtẽ Diatribã, quæ ex
Zachariæ uerbis, conuertĩni ad me, conatũ humanæ
uolũtatis collegerit. Quasi qui tenens lumẽ, clamet er
ranti in tenebris, huc uerte oculos. Inuitus huiusmodi »
nænijs perdo tum meum tũ lectoris ocium, tamen o/ »
peræprecium est ostendere, q̃ grauem ac serium mũ
dus habeat euangelij reuocandi ducẽ. Et noua inquit,
grammatica, cõuerti significat idem quod conari, ut
sit sensus: Conuertimini ad me, id est, conamini cõuer
ti, & conuertar ad uos, id est, conabor conuerti ad
uos, ut etiam deo aliquando conatũ tribuat, forte &
ipsi gratiam paraturũ conãti. Si enim cõuerti uno ali
quo loco significat conari, quur nõ ubiq;? Vbi est nũc
chorus nouus euangelicus, qui talibus facetijs applau
dat?. Tam blasphemis nugis scurratur iste, qui iactat »
spiritum euangelicum. Hæc enim non in Diatribẽ ca
dunt, sed in Augustinum, Hieronymum, Ambrosium,
Chrysostomum ac cæteros ecclesiæ doctores. Quis
dixit conuerti idem significare quod conari? Diatri/
bæ uerba sic habent, Zacharias et liberi arbitrij cona
tum indicat, & gratiam conanti paratam, nimirum

significans utrunq; ex illius uerbis colligi. Qui dicit puero euades in uirũ doctũ, quid indicat, nónne, ut gnauiter incumbat studijs? Ergo euadere est studere. Qui dicit uillico, fac ut ruri commodius habitem, nõne significat se uelle ut ædificet? Ergo commode habitare est ædificare. Sic enim raciocinatur Lutherus, Qui auerso dicit, huc te conuerte, aliquid indicat, quod in ipsius potestate est facere. Sed hactenus tantum scurratur, Nunc blasphemias euomit. Conuertar ad uos, id est conabor conuerti, &c. Sed unde probat hoc scurrile sophisma, Si usquam conuerti significat conari, quur non ubiq;? Par pari referam. Si furere dicitur homo qui non est sanæ mentis, quur non idem significat, quum scripturæ deo tribuunt furorem? Si qui irascitur, huic effervescit sanguis circa cor, quur non idem accipimus de deo, quum in scripturis irasci dicitur? Si dolet qui misereatur, quur non tribuimus deo dolorem? Iam si maxime fuissem interpretatus, conuertimini ad me, conamini conuerti ad me, multo tolerabilius esset commentum, quàm quod adfert Lutherus facite omnia præcepta, quorum nullum facere potestis. Verum hæc numerentur inter Lutheri delicias. Obijcit quod in testimonio Hieremiæ, Si separaueris preciosum à uili, simpliciter dixerim indicari libertatem eligendi, quasi plenam libertatem arbitrio tribuam, excluſa gratia. Atqui Lutherus quod centi-

es dictũ

es dictũ erat in Diatriba, debebat etiã hic meminisse. Quid enim erat necesse, ad singulos uersus eadẽ uerba repetere, quasi pueris loquerer, non Theologis, nõ enim dicã Luthero, quẽ nihil fugit, nihil latet, nihil præterit. Sed tandẽ hæc uana iubet ualere, ad quæ tamen nunquam nõ redit, docetq; nos autoritate quadam heroica conuertendi usum bifariam in sacris literis usurpari, Vsu legali, ut sit uox exactoris & imperantis, quæ non conatum, sed totius uitæ requirit mutationem, Conuertimini quisq; à uia sua mala, Cõuertere ad dominum. Ibi enim inuoluit actionem omnium præceptorum. Quid signi? Vt satis inquit, patet. Vsu inquit, euangelico est uox consolationis & promißionis diuinæ, qua nihil à nobis exigitur, sed nobis offertur gratia dei. Docuit nos Lutherus duplicem usum huius uerbi. Priorem hyperbolicũ sic probat, satis patet, debebat addere totum exigi, quum nihil poßit seruari. Quis autem mortalium unquam dixit, conuersionem esse præceptorum omnium obseruationem, ac non potius initium piæ uitæ? Sed satis sit hoc dixisse Lutherũ. Posteriorem quomodo probat? Psalmus 125. Quum conuerterit dominus captiuitatem Sion, aut ut ipse docet nos loqui zion. Item illud conuertere anima mea in requiem tuam. Quid hic serium docet Lutherus? Quum ipse dominus ait se conuertere, declarat gratiã suam. Quis hoc negat? Pro

bare debebat, quoties dominus dicit cõuertimini, esse uerbum euangelicum. Pronunciauit enim omnia quæ citantur ex Esaia, esse uoces euangelij, primo excepto loco. At in his quæ non excipit est uerbum conuertendi, & huic similia. Sed huius distinctionis quẽ habet autorem? Quem nisi seipsum? Probabilior est igitur ueterum orthodoxorum distinctio, quoties deus dicit conuertimini, requiri nonnihil ab homine, ut se præbeat oblatæ gratiæ: quum dicit, & ego conuertar ad uos, promitti gratiam paratã. Quale est illud Hieremiæ, si conuerteris, conuertam te. Audis utrinq; fieri conuersionem, in altera significatur actus humanæ uoluntatis, in altera gratiæ præsidium. His tam feliciter dissertis, in ouatione monentur immundi sophistæ cum oscitante Diatriba, ut distinguant uerba legis & euangelij, sed distinguant iuxta Lutheri gnomonem, qui non potest errare. Vide uero quàm nusquam non agat hyperbolum. Verbum conuertimini requirit à nobis omnia præcepta legis, ego conuertar nihil prorsus exigit, ne fidem quidem opinor.

Aggreditur ab his felicibus exordijs locum ex
105 Ezechielis decimooctauo. Viuo ego dicit dominus, nolo mortem peccatoris, &c. Attende lector hominis impudentiam. Mea uerba quæ refert sic habent. Toties repetitur in hoc capite, auerterit se, fecerit, opatus est in bonam & in malam partem, et ubi sunt qui

negant

negant hominem quicquam agere, sed pati tantum ab agente gratia? Hæc Diatriba. Nunc audi Lutherũ. Vide quæso egregiam consequentiam. Conatum & studium probatura erat liberi arb. & probat totum factum, impleta omnia per liberum arbitrium. Vbi nunc sunt quæso, qui gratiam & spiritum requirant? Sic enim argutatur dicens, Ezechiel dicit, Si auerterit se impius, & fecerit iusticiam & iudicium, uiuet. Ergo impius mox ita facit, & potest facere. Ezechiel significat qd fieri debeat, diatriba intelligit et fieri, & factũ esse, iterũ noua grãmatica nos doctura, quod idem sit debere & habere, idem exigi & præstari, idem postulare & reddere. Hæc ad uerbum Lutherus, & postea sunt qui mirentur me non illi respondisse ad singula? Ad ista tam temulenta, tam manifestæ uanitatis ac maliciæ quid respondeas? Mox factum esse, mox haberi non solum sine fronte, uerum etiam sine mente de suo addidit uerus ille Leuiathan, posse fieri colligo, licet opitulante gratia. Sed simili impudentia addit ille, sine gratia totum posse uoluntatem hominis, quum hic ipse locus, quem incogitans refert, tantum excludat eorum opinionem, qui docent hominem in bonum nihil prorsus agere, sed tantũ pati ab agẽte gratia. Hãc nõ agnoscit, quũ Diatriba nominatim designet Carolstadium. Si q hæc scribit sobrius est, ego nunquam uidi temulentum.

Iusdē sobrietatis est, quod hæc duo uelut inter se pugnantißima opponit. Vbi sunt qui negant hominis uoluntatem quicquam agere, sed tantum pati? Et ubi sunt quæso qui gratiam & spiritum sanctum requirunt? Quasi nullo modo fieri posßit, ut simul agant naturæ uires cum agente gratia. Atqui fatetur ipse ni fallor, in cunctis actionibus naturæ, primam causam principaliter agere cum secundarijs. Nec adhuc improbata est illorum opinio, qui miracula non distinguunt à communibus actionibus naturæ, nisi raritate. Sed ut omittamus quædam miracula quæ ad tempus olim fiebant, & nunc pro tempore rarißime fiunt, in actionibus gratiæ uidemus Christi spiritū semper suum actum coniungere cum affectibus uiribusq; naturæ, ne quod gerebatur, ostentum uideretur abominandum. Nullus enim appetit portenta, sed refugit, horretq; potius, pronus ad ea quæ cum natura cognationem habent. Talem ferè cōperies fuisse spiritus actionē in apostolis alijsq; pijs hominib. Nec hoc inficiatur Lutherus, Quur igitur se miscet aliene sentētiæ? Rursus hic κοκκύζει, Pelagiū clamare nobiscū, Quid imputes illi, qui nihil potest agere neq; mali neq; boni? si nihil aliud clamasset Pelagius, orthodoxus fuisset: Nunc inter hæreticos numeratur, quia separauit actionem humanæ uoluntatis ab actione gratiæ. At Lutherus sic fugit hæresim Pelagianam, ut dum

impro

improuide resilit à calcaria, præceps feratur in carbonariam, quũ inter utrunq; tutißimũ pateret iter.

Rursus ad eundem impingit lapidem infelix Diatribe, in testimonio quod citat ex Ezechielis ca. 18. Nolo mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat, ex uerbis consolationis facit uerba legis. Nam hoc commentum suo more, quoniam semel arripuit, sine fine urgebit. Si nullum est hic uerbum legis, quur ante docuit, conuertendi uerbo totam legem cũ omnibus præceptis contineri? Respondebit hic accipiendum iuxta usum Euangelicũ. Hoc Lutheri impudens somniũ est. Nõ enim potuit id ex sacris literis ullo docere testimonio. Aliud est, si deus promittat se conuersurũ Sion, aliud si peccatorẽ hortetur, ut conuertatur, aut ut se conuertat: nam & hoc inuenitur & magis exprimit uocem Græcam ἐπιστρέφετε. Nam quod adferebat è psalmis, Conuertere anima mea in requiẽ tuã, magis facit aduersus ipsum. Quoties enim homo seipsum hortatur ad contemplationem rerum cœlestium, intelligitur uoluntatis actio, sese ad gratiam accommodantis. Quid autem sibi uult, nolo mortem? Si Lutheranam recipimus interpretationẽ, idem est, ac si dicat, Ego sum misericors, non irascor, nolo punire, nolo uos mori, uolo ignoscere, uolo parcere. Si non irascitur peccatori deus, tot scripturæ loca nobis mentiuntur, una cum Paulo, qui scribit Romanis 1. 106

Reuelatur enim ira dei de cœlo ſuper omnẽ impietatẽ & iniuſtitiã hominũ, & proximo capite, Theſaurizas tibi irã in die iræ, etc. Ac mox, Ira, indignatio, tribulatio, anguſtia in omnẽ animã hominis operantis malũ. Audiſti Lutheri gloſſam, audi nunc ueram interpretationem: Nolo mortẽ peccatoris, id eſt, nolo peccatorem manere in ſuis uitijs, ne moriatur. Quid igitur uis? Volo ut cõuertatur à turpibus ad pietatẽ, et uitã adipiſcatur æternã. Declaratur inqt his uerbis dei bonitas ppenſa ad miſericordiã. Fateor maxime. Sed ira & mors intẽtatur tacite, pſeueranti in peccatis, uita pmittitur cui? Peccanti? Nequaq̃. Sed conuertenti ſe. Pulſat animũ peccatoris, gratia, cui ſi deſit, ſi claudat oculos & aures, quid facias illi, qui ſeruari recuſat? Offert deus peccatori uitã, offert obliuionẽ priſtinorũ delictorũ, ſed offert reſipiſcenti. Deſine tu eſſe peccator, mea ira ptinus uertetur in miſericordiam, & mors uita cõmutabitur, Alioq ſi deus omnino non uult mortẽ peccatoris, quur tot milia peccatorũ conijcit in gehennã? Quis aũt neſcit in ſcripturis magnã eſſe tum locorũ, quæ teſtãtur inſignẽ dei miſericordiã? expoſitam, obuiã, paratam, expromptã fatemur, ſed reſipiſcẽtibus. Quicqd igitur eſt taliũ ſolatiorũ in ſcripturis, ſic inuitat ad gratiã, ut tamẽ à peccatore exigat prioris uitæ mutationẽ. Vnde conſtat & ex illis uerbis quantũuis Euangelicis non abſurde col-

ligi libe-

ligi liberũ arbitrium esse nonnihil in rerum natura, qd negat Lutherus. Tale est quod refert ex Exod. 20 Ego facio misericordiam in multa milia. Hæc uerba sunt Euãgelij, fateor: at seqtur, iis qui diligunt me. Est hoc satis? Non. Sed adiecit, & custodiunt præcepta mea. Hoc additamentũ callide reticuit Lutherus, quẽ admodũ & illud qd præcesserat, Ego sum deus fortis zelotes, uisitans iniquitatẽ patrũ in filios, in tertiã et quartã generationẽ. Vides promissa iũgi terroribus, nec misericordiã pmitti quibuslibet, sed amãtibus & præcepta seruantibus. De eo qd adfert ex Mat. 11. Venite ad me oẽs, iã ante diximus. Huius generis est & illd apud Paulũ, Surge q dormis, & exurge à mortuis, & illucescet tibi Christus. Surge et exurge uerba sunt gratiæ pulsãtis: illucescet tibi Christus, uerba sũt cõsolationis & pmissionis. Quoniã aũt omniũ orthodoxorũ cõsensu, mortui quos ad uitã reuocauit dominus repræsentãt nobis formã peccatoris ad pietatẽ resipiscẽtis, nõ arbitror esse sine mysterij significatione q dominus neminẽ unq excitarit, nisi prius appellatũ qd tamẽ ab apostolis nõ est itẽ obseruatũ Luc. 7. dicit adolescẽti, Adolescẽs tibi dico surge, Mar. 5. archisynagogi filiã appellat, Thabitha cumi, id est, puella tibi dico surge. Quo loco monẽt Hebraice piti, cumi esse uerbũ geminæ trãsitiõis, q̃si dicas, attolle teipsam. Similiter et Marthæ fratrẽ iclamat, Lazare ueni foras.

Vnde

Vnde falsum est quod hic colligit Lutherus, nec ex uerbis legis, nec ex uerbis Euangelij confirmari uim liberi arbitrij, quum declararim ex utrisq; probari.

107 Quid autem mea Diatriba colligit ex his uerbis, Nolo mortem peccatoris? An aliquid præcipi, quod exigatur? Imò sic ratiocinatur Diatriba, An deplorat pius dominus mortem populi sui, quam ipse operatur in illis. Si ille non uult mortem, utiq; nostræ uoluntati imputandum, si perimus. Hæc Lutherus dissimulat, multisq; uerborum inuolucris obscurat rem, proferens nobis nouas leges, quas arbitratu suo figit ac refigit. Vox inquit, legis non fertur nisi ad eos, qui peccatum non sentiunt nec agnoscunt, Ita uerbū gratiæ non uenit nisi ad eos qui peccatum sentientes affliguntur, & tentantur desperatione. Leges istas hyperbolicas fortiter reijcimus. Imò lex & bonæ mētis hominibus prælucet, ne peccent: & promissionis uerba toties apud populū fiūt rebellem, ac dei bonitatem sibi uertentem in licentiam peccandi. Nec hoc præcepto, Diliges dominum deū, &c. indicatur hoc nos debere, quod præstare non possumus, sed admonemur deum omnibus rebus conditis esse præferendum, & in hoc amando semp esse proficiendū, id quod est in potestate hominis, opitulante gratia.

108 Superest igitur, ut triumphū agat Lutherus, si modo illi concedimus, nolo mortem peccatoris, significare non

re, non iraſcor peccanti, ſed uolo ut conuertatur, id eſt, nihil ſeruet præceptorum, quæ ſeruare nõ poteſt, tantum accipiat gratiam, & faciat quæ uelit. Quo modo triumphat igitur? Ratiocinatur nullum locum adduci potuiſſe, qui magis doceret liberum arbitrium ſe ſolo non poſſe, niſi ad peius, niſi deus tanta lenitate offerret paratam miſericordiam. Quid ſentit Lutherus, quum ait ſe ſolo? An quisq̃ hoc docet liberum arbitrium aliquid ad iuſtitiam efficaciter poſſe, ſeclusa gratia? Quum ſe gratiæ pulſanti accommodat, aut ſi mauis præbet, ſolũ non eſt. Rurſum quid ſentit, quũ ait, niſi in peius? Atq dogma ipſius erat, liberũ arbitrium prorſus eſſe nomen inane, nec in bonum quicq̃ poſſe, nec in malũ, nec cum gratia, alter ſine gratia quicq̃ agere, ſed agi à deo. Aliâs tribuit homini liberum arbitriũ in rebus inferioribus, aliâs negat eum feſtucam de terra poſſe tollere ui liberi arbitrij. Sic ſibi conſtat, qui mihi toties obijcit, quod cauſæ ſtatum nõ obſeruẽ. Vt reliquam hominis battologiam omittam, quid ſibi uult Lutherus his uerbis, niſi deum eius leuitatis eſſe credas, quod nulla neceſsitate ſalutis noſtræ, ſed mera uoluptate loquacitatis, uerba promiſsionis effundat tam copioſe. Quod hoc nouum eloquentiæ genus? An nõ uidetur hoc uelle dicere, quod hæc tam multa uerba, quibus in ſcripturis deus inuitat peccatores ad reſipiſcentiam, nihil faciunt ad noſtram

ſtrã ſalutẽ, ſed ita libuiſſe deo pro ſua leuitate, proq; loquacitate uoluiſſe garrire. At ſi dixiſſet, niſi credis fortaßis effugiſſet ſermõis abſurditatẽ. Nõ credimus hoc ô bone, Imò pſuaſum habemus deũ et minis et terroribus, & blãdimẽtis ac pmißis idẽ agere, ut noſtrã uincat duritiẽ, et ad uitæ correctionẽ inducat, niſi qđ ſecundũ euentũ feroces & elatos magis terret minis & afflictionibus, ad deſperationẽ tendentes reuocat blãdicijs. Illis remittit minas ſi cõuertantur, his pollicetur paratã gratiã, ſi ſe recipiant. Ad hoc aũt ut ad moniti minis, aut inuitati promißis conuertamur, nõ nihil agit liberũ hominis arbitriũ. Alioq; quur alij cõuertuntur, alij magis indureſcũt? Hic Lutherus ut excludat omnẽ humanæ uoluntatis actionẽ, repperit alid ſophiſma, dei uoluntatẽ arcanam in his rebus non eſſe requirendã, ſed adorandam. Habet iterum bipennẽ, qua poßit omnes quæſtionũ nodos diſſecare. Nos non negamus dei uoluntatẽ in quibuſdam ſic agere, ut conſiliũ illius ſit nobis adorandũ magis q̃ ſcrutandum, Verum hic ex ſcripturis argumẽtamur aliquid eſſe ſitũ in uoluntate hominis, quod tantũ habeat momẽti, ut hic pulſatus gratia, conuertatur et ſeruetur, ille magis auerſus pereat. Quod ſi nihil eſt imputandũ hominis arbitrio, ſed ſoli diuinæ uolũtati, quur deus toties expoſtulat in ſcripturis, quod nec præcipiẽs, nec pollicens, nec territans, nec blandiens ſit auditus?

Aut

Aut qua frõte clamat, quur moriemini domus Israël, cuius arcana & adorãda uolũtate fit ut moriantur?

Hic prodit nobis distinctio dei prædicati, & dei ut est in sua natura, quo nouitate uerborũ uideatur rem hactenus inauditã adferre, quũ tritissima distinctione potuerit solui quæstio, quomodo deus nolit mortẽ peccatoris, et idẽ uelit: nõ uultenim uolũtate signi, et idẽ uult uoluntate efficaci. Aut uult, & non uult, iuxta conditionẽ. Non uult, si ipse uelit cõuerti: uult, si nolit resipiscere. Quanq̃ hanc distinctionem, dei prædicati & nõ prædicati, iã excluſimus, Nos enim hic colligimus dei uoluntatẽ in ſacris literis nobis expreſſam. Arcanã illã in ſua caligine recondi. ã adoramus, nõ excutimus. Quoniã aũt frequẽter nobis occinitur deus prædicatus & nõ prædicatus, ne Lutherus uideatur hoc commentũ de ſuo pferre capite, citat nobis Paulũ 2. Theſ. 2. de antichriſto loquentẽ, Extollitur ſupra omne qd' dicitur deus, aut qd' colitur. Hic nouus interpres exponit, qd' dicitur aut qd' colitur, deũ prædicatũ. Verba Pauli non adfert de ſuo capite, fateor, ſed interpretationẽ et coactã nec cõſiſtentẽ cõmentus eſt ex ſuo cerebro. Primũ qs ueterũ ſomniauit hoc qd' hic adfert Lutherus? nũ Hieronymus, nũ Ambro. nũ Chryſoſto. nũ Theophylactus, nũ Augu. nũ Beda, nũ Thomas? Theophylactus interpretatur antichriſtum euerſurũ cultũ idolorũ quo ſolus ipſe p deo habeatur, 109

annotans

annotans et illud, q. Antichristus nõ dicet se esse deũ, sed factis ambiet, ut pro deo habeatur. Verum interpretationes ueterum contemnit Lutherus. Ex ipso igitur Pauli sermone nouum illius commentum examinemus, cuius uerba data opera non recensuit, ne hæc statim proderent plus q̃ ferream interpretationem. Primum dictum et cultum deum, interpretatur deũ nõ ut est, sed ut nobis innotuit. Quæro à Luthero, an qui adorat deum, recte dicatur illum colere, Fatebitur opinor. At ipse paulo ante dixit, arcanam illam uoluntatem, hoc est dei naturam ut est, summa ueneratione adorandam, & hic aliud interpretatur. Imò maxime colimus illam ineffabilem, incogitabilem, & imperscrutabilem dei naturam. Et ne quid hic tergiuersetur Lutherus, quod interpres uertit, quod colitur, Græcis est σέβασμα, ἀ σέβομαι, quod est religiose uenero rem maiestate præditam. Ad hæc quoniam Lutherus hic Coricij specus meminit, ubi maiestas numinis submouet humanam cogitationem, ibi maxime locum habet adoratio. Præterea quod separatim dictum est à Paulo, Lutherus coniungit, quod dicitur, aut colitur deus, quum Pauli uerba sic habeant, supra omne quod dicitur deus aut quod colitur. Græci sic legunt, ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν, ἢ σέβασμα, id est, super omnem qui uel deus dicitur, uel aliud quiddam ueneratione religiosa dignum, ut

per

per σέβασμα intelligamus phana, aut simulacra gentium. Nam hæc particula, quod dicitur, ad utrũq; disiunctim refertur, ad deũ & ad nomen σέβασμα, quod interpres expreßit periphraſi. Ideo Paulus addidit, quod dicitur, ut oſtendat nec eos eſſe deos, qui dicuntur dij, nec eſſe ſebaſmata quæ dicuntur ſebaſmata. Nuſquam enim Paulus nomen dei tribuit, niſi uero deo. Aut ſi tribuit alijs, addit aliquid, unde intelligas eum de dijs falſo habitis dicere, ueluti quum dicit, deum huius ſeculi. Et 1. Corint. 8. Nam & ſi ſunt qui dicantur dij. Eodem uerbo ſignificauit & hic ſe de dijs falſis loqui. Porrò σεβάσματ῾ uocabulo idem apud Lucam in Actis utitur. Præteriens enim, 17
inquit, & uidens ſimulacra ueſtra, inueni & aram in qua ſcriptum erat, ignoto deo, Quod interpres uertit ſimulacra, Græce eſt σεβάσματα, quæ uox & templa & aras, & ſacella & delubra, & ſimulacra complectitur. Et eandem uocem hic Lutherus expo/nit cultum deum. Mane lector nondum habes omnem fucum, quo Lutherus eſt in hac interpretatione uſus. Arte inuertit ordinem ſermonis. Quis enim neſcit plurimum intereſſe, utrum dicas, hic artifex prædicatur, & hic prædicatur artifex. Nam in poſteriore ſubauditur uerbum ſubſtantiuum eſſe, in priore nequaq̃. In priore is qui eſt artifex, dicitur eſſe celebri fama: in poſteriore dicitur quiſpiã eſſe artifex, qui forte nõ

est artifex. Iam si Paulus deū et sebasma præposuisset uerbo dicitur, erat utcūq; sensus ambiguus, nunc quū utrūq; posteriore loco sit, non potest alius accipi sensus, q̄ esse qui dicātur dij, quū non sint: aut esse sebasmata, quū non sint. Ostendi paucis, qua religione, qua scientia, qua fide Lutherus, contēptis omnibus et uetеribus et recētioribus tractet nobis sacras literas, quo cunctis sit perspicuū, qd illi tribuendū sit in cæteris.

110 Quāq̄ hic nihil opus erat illa distinctione uolūtatis, quandoquidem deus & uoluntate signi, & uoluntate efficaci uult peccatorē si perseueret, ire in gehēnam. Huic distinctioni locus erat, si qs hūc in modū fuisset argumētatus, Si quicquid uult deus fit, quur non oēs peccatores conuertūtur? Vult omnes conuerti uoluntate signi, uoluntate efficaci non itē. Posset id efficere si uellet simpliciter. Vbicunq; igitur Lutherus premitur argumentis, confugiet ad illam uoluntatē dei imperscrutabilem, & ibi faciet deū non prædicatū, ubi nos asserimus prædicatū. Cū hoc uiro, qui nullas aliorum leges agnoscit, & tot leges subinde nouas nobis præscribit, pugnare difficillimū est. Exigit à nobis, ut fateamur esse quandā dei uoluntatē impscrutabilem, Fatemur. Iam uult adorari, Adoramus. Quid tū postea? Ergo uera sunt Lutheri paradoxa. Quæ? Totā scripturā sacram plenā esse præceptis minis ꝓmissis, & blandimētis, Nec his omnibus moueri animos hominum

minũ, nisi si qbus uelit impartiri peculiarẽ gratiã iu
stificantẽ: Per leges & minas tantũ indicari peccatũ,
p promissa et blãditias tantũ indicari paratã gratiã.
Nec his tamẽ prodesse delatã gratiam, nec illis inten
tatam legẽ, eo q̃ neutrorũ uoluntas ullo pacto sit libe
ra, nisi deus sua uoluntate, de qua loqui fas non est,
utrosq; trahat ad salutẽ. Et tamen illis qui nihil ex se
potuerũt, pinde quasi potuerint, imputatur culpa: &
dãnantur immeriti (quod postea ingenue fatetur) ne
deus uideatur iniustus: et his nihil pmeritis, imò ne co
natis quidẽ aliqd promereri, datur īmortalitas. Nihi
lo secius tamẽ interim deus dicitur iustißimus, quũ iu
stitiæ sit tribucre cuiq; præmia pro meritis. Verũ hic
habet aliud paradoxon, fidẽ prorsus interisse, nisi de⁄
us uideatur iniustißimus, & credatur iustißimus. Hic
est qui mihi obijcit, q̃ ex indefinita faciã uniuersalẽ:
Præcipit quod nec præstare nec uelle possumus, & ta
mẽ præstare debemus: & imputat uolũtati nostræ ui⁄
tiatæ, nõ p nos, sed per primos parentes, & imputat
etiam iustificatis. Quur aũt imputat, quod neq; nos
præstare possumus, nec ipse uult mutare? Vocat deum
non prædicatum, & sic elabitur.

Αὖθις αὖ κοκκύζω p obijcit mihi, quod oblitus sta⁄ 111
tus, aliud probem quàm proposucrim. Citaturus scri
pturarum testimonia sic exordior, optans ut superet
ubiq; ueritas, quæ fortasis ex collatione scripturarũ

uelut ignis ex colliſione ſilicum emicabit. Principio negari non poteſt, in ſacris literis plurima eſſe loca, quæ planè ſtatuere uidentur liberum hominis arbitrium. Rurſus in iiſdem eſſe nonnulla, quæ uidentur in totũ tollere. Conſtat autem ſcripturam ſecum pugnare non poſſe, quum ab eodem ſpiritu tota proficiſcatur. Prius igitur recenſebimus ea quæ noſtra confirmant, mox ea quæ ex aduerſo ſtare uidentur, diluere conabimur. Audis exordium huius argumentationis ex locis in Diatriba. Iam ſi loca nec plane ſtatuerent liberum arbitrium, nec plane tollerent, tamen in argumentando fueram meo functus officio. Sic in argumentis ante oppoſitum, ut loquuntur ſcholaſtici, citant & colligunt theologi, nonnunquam in utranq; partem, in fine res componitur ad æquilibrium ueritatis. Mox uno loco citato, refero uarias de libero arbitrio opiniones, quarum aliquot ſic reprobo, ut declarem mihi cum illis pugnam non eſſe: quaſdam indico non reijciendas, tales tamen ut ſi uel ulla uincat, iaceat Lutheri dogma. Ad has communiter refero quæ ex ſacris uoluminibus profero teſtimonia. Cum quibus autem opinionibus mihi præcipue res ſit, non diſſimulo. Et in has communiter torqueo iacula diſputationis. Hoc autem loco quid dico? Hæc inq̃ omnia frigeant oportet ſemel inducta neceſſitate, uel beneſaciendi, uel male. An hæc ſunt uerba totum tribuentis

libero

libero arbitrio? an potius excludentis Vuicleui opinionẽ, quam Lutherus calore raptus in assertione probat, in qua tamen sibi non constat. Non igitur Diatriba frequẽter oberrat eadem corda, sic enim habet codex pro chorda, sed Lutherus nimium frequenter errat corde.

Multis tandem prætermißis, aggreditur illud Deuter. 30. Mandatũ hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neq; procul positum, &c. Hic mire triumphat glorioſus miles, ex grammatica nos docens, quid sit supra, infra, ante, retro, ad dextram, ad læuam. Ex his uerbis dixi significari procliuitatem seruandi præceptum, argumẽtans non pronuncians, & si pronunciassem, quid erat periculi, quum ipse dominus in Euangelio dicat, Iugum meum suaue est, & onus meum leue. At hic exclamat, Quid iam Christo, quid iam spiritu opus? Quàm stultus Christus, qui etiam fuso sanguine spiritum illum non necessarium nobis emit, ut faciles efficeremur in seruãdis præceptis, quales iam ex natura sumus, aliaq; multa huius farinæ blaterat, semper excludens gratiam à libero arbitrio (Nam huius uocis publicum usum semel impetrauimus) gratiam tot locis adiungimus, ut efficax sit hominis uoluntas. Dißimulat autem quod hoc loco subijcit Diatriba. Si nihil horum ullo pacto situ est in nostra potestate. Qui dicit ullo pacto, non to- 112

tũ tribuit libero arbitrio. Vnde præcepti difficultas? A segni uoluntate. Vnde facilitas? A gratia et à prõpta uoluntate. Negat hic supra referendum ad uires, sed ad locũ, iuxta grammaticã quam sciũt & elementarij pueri. Accipio: ergo quæ supra nos sunt, intelliguntur esse in tectis, quæ infra, in cella uinaria. Imò apud pueros grammaticos, supra, infra, procul, prope, frequentius referuntur ad dignitatẽ aut facultatem, q̃ ad loci situm. Quũ scribit Ouidius, Quamuis abiectus & infra te quoq; sum, inferius quo nihil esse potest, nũ intelligit se iacuisse sub pedibus hominis, q & ipse substratus fuerit pedibus omniũ. Rursum quũ dicimus, procul abes ab eo quẽ exprimere studes, longo locorũ interuallo distat ab illo? Itẽ qui dicit, Propius accedis ad rẽ, significat breuius esse spatiũ? Quum legis in Euãgelio, supra oẽs est, utrũ intelligis Christũ omnes excellere dignitate, an esse in editißimo loco? Hæc ad grãmaticam quã nos docet Lutherus. Sed donemus id quod est, Mosen non absq; tropo quidẽ, tamen significare præceptũ illis sic exhibitum, ut sit in prõptu, ut non sit è lõginquo petendũ: Quò tẽdit hæc oratio, nisi ut Moses adimat populo omnẽ excusationẽ, si quod præceptũ est negligãt seruare. In quẽ sensum citat hoc testimoniũ & Paulus ad Ro. 10. si credimus Chrysostomo ac Theophylacto. Iã ut hic non sit sensus Mosi, tamen ego iure argumentantium uerba

pro me

pro me torqueo. Deinde quod in promptu est, utiq; procliuius est, q̃ id quod aliunde petendũ est. Nunc ui deamus interpretationẽ Lutheri: Moses, inquit, testatur se suo functũ officio, proposuisse legẽ, in qua nihil erat, quod quisq̃ seruare poterat, ne qd haberẽt quod expostularent cũ Mose, qui quod iussus erat præstiterat, sed cũ deo qui legẽ tam durã imposuisset suo populo, quã debebant seruare, ni mallent perire. Et tamen qui iußit fieri legẽ, sciebat illos nihil omniũ efficere posse. Nec idem latebat Mosen, opinor, qui tot prolixis concionibus agit cũ populo, tot sacramentis ac cerẽmonijs obstringit, haud in aliud, nisi ut fallat, & in foueam illiciat, quo lapsi cognoscant se non posse præstare quod exigitur. Lutherus pulchre declarauit, excusatum esse Mosen, sed impudenter adijcit, nullam excusationem habere populum, impudentius etiam fingit deum talem, qui tam multa præcipiat, exigat, inculcet, territans, minitans, interficiens, quorum nihil omnino possit seruari. Interim suũ dogma nobis recinit. At hoc ipsum est, quur illi reclamamus. Probationem ex Paulo, Per legem cognitio peccati, demonstrauimus esse duram, absurdam & inconsistentem. Vbi inquit, in his Mosi uerbis liberi arbitrij mentio? Non dixi mentionem esse, sed hinc manifesto colligi aliquid in homine posse uoluntatem, quod ni adhibuerit, sua culpa damnari: si adhibuerit, 113 114

per gratiam opitulantem seruari. Iam frequenter audiuimus κοκκυσμὸν illum, uerba imperandi, exigendi, minitandi, hortandi, non statuere factum, aut facultatem faciendi, sed ex his iuxta sensum cõmunem, cui Lutherus supra detulit arbitrium interpretandi scripturam sacram, colligitur. Idem respondimus ad cauillum de uerbis subiunctiuis, optatiuis, imperatiuis, & indicatiuis imperandi sensu usurpatis. Non statuunt factum aut facultatẽ faciendi, sed indicant esse facultatem aliquam, nisi qui præcipit, aut stultus est, aut insanus, aut tyrannus. Iam de uoluntate inscrutabili, ut fatemur alicubi locum habere, ita clare negamus in tot præceptis habere locum. Asseuerationes nihil moramur, scripturam et argumẽta requirimus. Hoc loco sibi canit encomium, Eat inquit, nunc Diatriba, & dicat, qui fieri possit, ut homo unus priuatus uideat, quod tot seculorum proceres non uiderũt. Quid autem docuit hoc dignum triumpho? Supra & infra, procul & prope, esse aduerbia loci. Sed tacuit, frequentissimo omnium usu ad dignitatem, similitudinem aut facultatem usurpari, quemadmodum usurpat apostolus. Quod si Lutherus nullo pacto uult à simplici uerborum usu discedere, quomodo populus habebat præceptum in ore Mose narrante? In ipsius magis erat ore, in populi auribus. At quomodo in corde, quum multi legem auersarentur? Paulus interpretatur

pretatur in corde per fidē, in ore per cōfeßionem. Et hæc ipſa uerba habere in ore, habere in corde, utcūq; interpreteris, p tropū indicant illis in peliui eſſe ſeruare ſi uelint. Nimirū parata gratia, quod tenebāt, intelligebant, meminerant, ore recitabant, ut nihil ſupereſſet, niſi ut factis exhiberent. Nec hic deſinit nobis ſtatum & opinionem probabilem, & plenam humanæ uoluntatis excluſa gratia, poteſtatem occinere, non exiſtimans exoriturū quenq;, qui lecta noſtra Diatriba deprehendat ipſius improbitatem in mentiendo. Quid agas cum tali diſputatore, qui ſingulis capitibus hæc iterum atq; iterum repetit, infigit, inculcat, quo uel tædio ſubmoueamur à refellēdo. Neq; deus uoluit & uideri crudelis ac iniuſtus, & credi miſericors ac iuſtus. Imò plurimis argumentis declarauit nobis ſummam iuſtitiam & clementiam ſuam, ut his perſpectis, crederemus eandem in alijs ubi noſter intellectus non aſſequitur conſiliū diuinæ prudentiæ.

Hactenus ſibi uidetur ſtrennue depulliſſe quæ pro- 116
lata ſunt ex uetere teſtamento, ac promittit ſe ijſdem armis depulſurum quæcunq; uel prolata ſunt, uel proferri queant ex alijs ſcripturæ locis. Quibus armis? Aliquot paradoxis, quibus cum nobis bellum eſt, & aliquot mendacijs. Quorū unum eſt, me aliud propoſuiſſe, aliud defendere. Et ſi quis argumentis pugnās plus extorqueat ab aduerſario q̄ propoſitum eſſet,

tãto magis iacet is qui oppugnatur, ueluti si quis bellans cum principe ob unius arcis ditionem, toto eum regno expellat. Quod tamẽ falsissimũ est. Nusq; enim separo liberũ arbitrium à gratia. Alterum est quod fingit toties, me unam probabilem opinionem ꝓposuisse, quũ ut minimum tres ꝓposuerim, quarũ nullam reijcio. Tertiũ q, quoties dicitur uoluntas hominis aliquid posse, ait consequi, q, suis uiribus totũ poßit, Perinde quasi qui puero bono ingenio nato, cui adsit idoneus præceptor, dicat, Potes in doctum uirum euadere, si uelis, sentiat illũ id posse citra præceptoris operam, citraq; studium. Et hæc toties recinit, ut si toties refellam, nullus sit futurus modus uoluminis. Omitto hic scurriles hominis iocos de acie muscarum, deq; Achille talis exercitus. Conserunt Aegyptij, quid possint muscæ. Et nobis domi sunt similes facetiæ, sed nec libet, nec uacat scurrari, etiamsi sales isti tam insulsi non tam in me cadunt, q̃ in probatißimos Ecclesiæ doctores, & in primis Augustinũ, cuius autoritate iactat se niti in hoc dogmate. Quibus autem armis submouet Achillem muscarũ? Matth. 23. Quoties uolui congregare filios tuos, & noluisti? Vnde sic ratiocinabar, Si cũcta fiunt necessitate, quur accusatur nostra uoluntas, quæ nulla est, iuxta Lutherũ? Respondet ille, probabilem opinionẽ statuere liberum arbitrium nihil posse sine gratia: & hic locus docet eius omnipo

omnipotẽtiam. Reſpondeo, utrunq; falſum. Nam nec argumenta diriguntur ad unam opinionẽ, nec hic tã agitur de cõfirmanda opinione mea, q̃ de reſellenda Lutheri neceßitate. Id uerba mea indicant, Si cuncta inq̃, fiunt neceßitate. Si hæc muſca excludit neceßitatẽ merã, quam Lutherus aſſeuerauit, quamq; ſemper execrati ſunt omnes orthodoxi, & in bonis & in malis, nónne ſatis pugnauit? Nec probatur uoluntas libera ac potens in omnia, quæ prophetæ dixerunt, ſed auxilio paratæ gratiæ ſuis uiribus aliquid poſſe in his quæ exiguntur.

Verum hic recurrit ad duos illos deos, quo commento ſibi unice placet, quorum alterum nunc mutatis uocabulis appellat incarnatum & crucifixum, alterum appellat deum reuerendum, antea dixerat adorandum, non colendum, quaſi qui adoret in ſpiritu non colat. Siquidem deũ nominatum, quem interpretatur prædicatum, docuit eundem eſſe cum culto, ſignificans alterum deum adorari quidem, at neque prædicari, neque coli. Hæc ſunt non muſcæ, ſed nouorum uerborum portenta, quæ Lutherus pro ſuo arbitratu nobis gignit è ſuo cerebro, monctque, ut alterum illum deum, ſinamus in ſua luce, nos tantum diſputemus de deo crucifixo. Quis erat igitur ille deus, cuius ſapientiam Apoſtolus loquebatur occulte inter perfectos, quum apud infirmiores nihil 117

ſciret,

sciret, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum? & quid est quod alibi dicit, Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda dei? Philosophi naturæ uiribus perspexerunt inuisibilia dei, cognouerũt sempiternam eius uirtutem ac diuinitatem, & eos qui spiritum hauserunt cœlestem uult deum illum sinere in suo latibulo. Vndiquaq; fas est scrutari deum, ex rebus conditis, è scripturis, ex sensu spiritus, & experimentis. Tametsi fateor esse scrutandi modum, dum in hoc corpusculo peregrinamur. Nec est idem omnium modus. Habet suas quisq; dotes. Sed age tractemus de deo crucifixo. Nónne illius uerba produximus? Homo loquebatur hominibus, nimirum humano more, & nos illius uerba iuxta sensum communem interpretamur. Sic loqueretur medicus ægroto pereunti, quod ipsius fidelibus monitis obtemperare nollet, sic pater filio male morigero. Quis angelus docuit Lutherum, aliud loqui deum crucifixum, aliud uelle deum illum qui habitat lucem inaccessam? Sinat ipse Lutherus illum deum, quem à nobis non uult attingi. Quur illius consilium effert & asseuerat, quasi uixerit cum illo? Fatemur deum in hoc missum, ut omnia faceret diceretq;, quæ pertinent ad hominũ salutẽ: fatemur hæc omnia multis nihil profuisse, plurimis cessisse in maius malum, hactenus conuenit inter nos. Sed ubi controuersiæ nodus? Quod nos tribuimus uel meritis hominum

præc

præcedentibus, uel humanæ uoluntati auertenti sese ab oblata gratia, hoc Lutherus uult ascribi arcanæ uoluntati, qua deus ex proposito aliquos relinquat et reprobet, ut pereant. Nec nobis quærendum quur ita faciat, sed reuerendus deus, qui talia & possit & uelit. Saltem addidisset Lutherus, & iuste uelit, quanq̃ nobis causæ sunt incognitæ. Sed delectatur paradoxis. Expendamus rursum, quid inter nos conueniat, quid non. Esse quandam arcanam dei uoluntatem nobis inscrutabilem, cõuenit: esse quædam, quorum causas perscrutari, nec debemus, nec possumus, conuenit. Verum illud non cõuenit, in omnibus præceptis, in omnibus promissis, minis, terroribus, expostulationibus, blandicijs, hanc uoluntatem uelut ἀπὸ μηχανῆς θεὸν adorandam tantũ esse. Si Lutherus dixisset, aliquot homines speciali dei uoluntate, uel reprobari, uel attrahi, tolerabilius esset. Nunc illius dogma est quod oppugno, Omnes qui seruantur, omnes qui pereunt, nulla sua culpa, nullo merito, sed mera necessitate, quod ad ipsos attinet, seruari aut perire, quum longe aliud sonent uerba dei crucifixi, qui ut celarit alicubi uoluntatem patris inscrutabilem, certe non fefellit nos: nec ea loquutus est, quæ pugnant cum illa uoluntate tantum adoranda. Christus promittit salutem, si ad ipsum uenire uoluerimus, nimirum indicans per nos stare, quo minus seruemur. At

arcana

arcana uoluntas nihil tribuit humanæ uoluntati, sed hominẽ mera neceſsitate adactum, uel ſeruat uel perdit in æternum. Et tamen Petrus negat apud deũ eſſe προσωπόλημψιαν. Vbi deſtituitur humana ratio, liceat tunc ad adorandam uoluntatẽ, uelut ad ſacram anchoram confugere. Hic quid opus eſt, quum in promptu ſit probabilis & naturæ conſentiens ratio, quur alij pereant, alij ſeruentur. Si quis ponat eſſe ſyluestres homines, quibus non eſſet auditum Euangelium, moueri quæſtio poterat de arcana uoluntate. De his non agit Lutherus, ſed de his qui audierunt Euangeliũ, et noluerunt obtemperare. Sed omnia mauult Lutherus q̃ ſuum deſerere dogma. Hic nodus illi ſoluẽdus erat. Nam quod excuſat etiam Iudæis exhibitum fuiſſe deum incarnatum, haud grauate illi concedimus, Nihil enim refert ad hanc quæſtionem.

118 Illud propius ad rem pertinet quod adijcit, obijci poſſe, ſicuti iam obiectum eſt à nobis, eum ad hãc uoluntatem adorandam non inquirendam confugere, ut eludat nodũ quæſtionis, quẽ diſſoluere non poſsit. Hic reſpondet, Non eſt meũ inuentũ, ſed diuinis ſcripturis firmatum præceptum. Sic enim Paulus Ro. 11. Quid igitur queritur deus? Quis uoluntati eius reſiſtit? etc. Et an non habet poteſtatem figulus? &c. Hic locus poſt ſuo tempore tractabitur, & in Diatriba tractatus eſt. Nunc illud tantum dicam, Si Paulus prius q̃ ad

usq̃ ad hæc uerba ueniret, docuit nihil omnino mo/menti in nostra uolũtate sitũ esse, nec ad bonũ nec ad malũ, recte citat hunc locũ Lutherus: sed si & in his quæ præcedũt & quæ sequuntur, apostolus declarat aliqd et in nobis sitũ esse, ut seruemur aut pereamus, quærat alid' testimoniũ scripturæ. Præcedũt aũt hæc, Ignoras quoniã bonitas dei ad pœnitentiã te adducit: Secũdũ aũt duritiẽ tuã. &c. & mox audis patienti am boni opis. Sequũtur hæc, In te aũt bonitatẽ dei, si pmanseris in bonitate, alioqui & tu excideris. Et illi si non pmanserint in incredulitate, inserentur. Sequi/tur & illud, Obsecro igitur uos frãtres, ut exhibeatis corpora uestra, &c. An hæc sunt uerba nihil omni/no tribuentis humanæ uoluntati, sed omnia referen/tis ad meram necessitatem? Quur igitur Paulus impo nit homini silentium? Non quia respondebat: sed quia contumaciter & impie. Simpliciter percontantibus non dedignatur respondere deus. Sed diuinæ prouidentiæ consiliũ, quur Iudæos quibus erat promissus, expectatus, exhibitus reiecerit, hoc est, passus sit defi cere, quũ, phibere posset, & gẽtes à deo alienissimas subito recepit ad euangelij gratiam, quũ eas posset in sua impietate relinquere, non uult à nobis ultra q̃ sat est inqri, nec tamẽ quoslibet submouet ab hoc scru tinio, sed impie disputantes, nec huius mysterij capa/ces. An hunc locũ nemo uidit ex tot hominũ milibus,

qui

qui nec recipiunt neceßitatem iſtam, & aliquid tri/
buunt libero arbitrio? Verum de his fuſius in ſequen/
tibus. Nunc mihi uide lector, quàm apte citet locum
Eſaiæ 58, qui nihil non docte, nihil non in tempore
promit è ſacris literis, nihil neſcit, nusq̃ hallucina/
tur, nusq̃ oſcitat. Sic apud Eſaiam loquitur deus: Me
enim de die in diem quærunt, & uias meas ſcire uo/
lunt, quaſi gens quæ iuſtitiam fecerit, & quæ iudici/
um dei ſui non dereliquerit. Rogant me iudicia iuſti/
tiæ, & appropinquare deo uolunt. Quid hic agit de/
us Luthere muſcarum propulſator, pro muſcis nobis
tales obijciens fumos? An hoc agit, ne populus ſcrute
tur arcanam illam dei uoluntatem? An potius arguit
eos, q ſabbatiſmis, ieiunijs, ſacrificijs, ſimilibusq; cor/
poralium rerum obſeruationibus, uindicabant ſibi iu
ſtitiam, quũ eſſent hypocritæ, ueriq; legis uiolatores.
» Si proferam Hieronymum ſic enarrantem, dicet eſſe
ſacrarum ſcripturarum contaminatorem. Quid di/
cet, ubi uiderit in eundem ſenſum enarrantem Oeco/
lampadium? Fortaßis & huic adimet ſpiritum, po/
ſteaq̃ deſijt in omnibus aſſentiri. Quid igitur ſuper/
eſt, niſi ut ſcriptura ſeipſam interpretetur? Hæc præ/
cedunt, Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta uocem tu/
am, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & do/
mui Iacob iniquitates eorum. Hoc exordium nihil ad
inquiſitores arcanæ uoluntatis. Habent legem in ore,
ſcrutantur

scrutantur quid præcipiam, quid uelim, quum nolint ea seruare, quæ legis præcipua sunt, uidelicet amorẽ erga deum & proximum. Hoc est quod dicit. Me ete nim de die in diem quærunt, &c. Et perinde quasi legem seruauerint, petunt à me ueluti debitũ factis præmium, ac tantum non expostulant cum deo tanquàm parum memori. Sequitur enim, Rogant me iudicia iusticiæ, & appropinquare deo uolunt. Iuxta septuagin ta, Petunt à me iudicium iustum, Quare ieiunauimus & non aspexisti, humiliauimus animas nostras & ne scisti? Audis Iudæos hypocritas sua iactantes opera, Quibus respondet deus. Ecce in die ieiunij uestri, inuenitur uoluntas uestra, aliaq; multa quæ testantur illorum opera speciem habuisse pietatis, quum reuera essent impia. Talibus testimonijs Lutherus dogma paradoxotaton euincit, Hercules cum muscis depugnans. Fatetur in causis quarum ratio reddi potest non admiscendam uoluntatem illam maiestatis, sic enim nunc uocat deum non prædicatum, uerbis nouis lasciuiens. Quid ego audio, nõ potest reddi causa qua re pereant impij, pij seruẽtur? Imò toties causam reddunt sacræ litteræ, exprobrantes illis incredulitatem & inobedientiam. Apud Esaiam sic loquitur: Quiescite agere peruerse, discite benefacere, Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite uiduam & uenite & arguite me dicit dominus.

Nónne uult etiam noſtro iudicio uideri iuſtus, ſic dã/nans rebelles? Item in euangelio quum ait, Venite be nedicti, &c. qui eſurientem pauiſtis, nudum ueſtiſtis, &c. nónne cauſam exprimit, quare dignetur illos æ/terna uita. Similiter & ijs qui ad ſiniſtram, reddit ra tionem quare iubeantur ire in ignem æternum. Item quum dominus deplorat interitum populi Iudaici, an tacet cauſam quum ait, Quia noluiſtis. Eſaiæ 65. cõ/memorans diuerſa præmia piorum & impiorum nũ tacet cauſam? Et uos inquit qui dereliquiſtis domi/num, qui obliti eſtis montem ſanctum meum, qui po/nitis fortunæ menſam & libatis ſuper eam, numera/bo uos in gladio, & omnes in cæde corruetis, pro eo quod uocaui & non reſpondiſtis, loquutus ſum & nõ audiſtis & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui elegiſtis. Audis hic Luthere uerbũ electiõis, qđ ex diametro pugnat cum neceſsitate, audis ſpretã ad meliora uocãtis dei gratiã. Huiuſmodi teſtimõijs ſcã tẽt undiq; ſacri libri. Quod ſi Lutherus uelit ſerio de ſcribere, Vbi ſit adhibenda uoluntas arcana, ubi ado/randa, ſic expedite fecerit, ſi dicat adhibendam quo/ties ipſe hæret in argumentis.

119 In proximo cap. nihil adfert noui, tantum recinit ea q̃ toties refutauimus, niſi qđ docet nos, nihil obſta/re, quo minus mera neceſsitas cohæreat cum cõiuncti one ſi, & cum uerbis ſubiunctiuis. Audi lector graue

documen

documentũ. Nónne inqt, q dicit: Alia carmina scribas oportet mi Meui si uelis æquare Virgiliũ, &c. Quis nesciebat in quauis oratione locũ esse ironiæ? Nũc expertus sum fidem tuã, dicitur ei cuius pfidia nobis cõperta est, nec tamen sunt hic uerba subiũctiua aut imperatiua. Quid tũ postea? Si sic huic aut illi liceat uel irrisionis, uel ioci, uel fallendi gratia loqui, nũ ideo per uniuersam legem omnia uerba subiunctiua, imperatiua et optatiua sunt ĩterpretãda?. Quanq̃ nec hoc exemplũ quadrat ad id quod probare conatur. Neq; enim simpliciter erat impossibile Meuio scribere carmina qualia scribebat Virgilius, Lutherus docet, quicquid præcipit deus esse nobis simpliciter impossibile. Nec illud p Luthero facit, quod adfert de Dauid. Si cum Dauide cõparari uoles, similes psalmos ædas necesse est. An prorsus fieri nequit, ut aliquis scribat tales psalmos, quales scripsit Dauid? Potest fieri, sed non humanis uiribus. Nec id nos affirmamus. Sed Dauid cum illa scriberet, utrum sic erat afflatus, ut ipse nihil ageret, sed ita deus per illum psalmos ædebat quemadmodum potuisset per arborem aut asinam, an illius mens & uoluntas aliquid agebat cum afflante spiritu? Si Lutherus negat aliquid egisse, nos contra dicemus illum & egisse quiddam naturæ uiribus, & hac actione dei fauorem promeruisse. Si nobiscum sentit, dissentit à Carol-

stadio, atq; à seipso potius, nisi forte lutum agit aliquid in manu figuli.

120 Sed in quas non rerum formas se transformat hic Proteus quo posßit elabi? Vide quam rimam commentus est. Quanquam inquit, his uerbis indicatur liberũ arb. nihil omnino posse, tamen simul indicãtur omnia futura quæ præcipiuntur. Quomodo? Deus dabit homini uoluntatem seruandi præcepta, ita fiet ut præcepta uicißim seruent hominem. Sed quid sentit quum ait, dabit uoluntatem? Dabit uoluntatem suam, & illa dei uoluntas aget in homine ipsius uoluntate nihil agẽte? Absurdũ. Sed gratia mouebit hominis uolũtatẽ ad seruandũ præcepta, eadẽq; semper aderit, ut perficiat. Ergo uoluntas hominis acta aget. At Lutherus negat esse ullam hominis uoluntatem in benefactis aut malefactis, semel inducta necessitate rerum omnium absoluta. Voluntas enim nõ est, quæ libera nõ est. Sed fatetur tamen hæc uerba, si uolueris, si seruaueris, seruaberis, absurda frigidaq; esse, si nullo pacto fieret quod dicitur. Nunc indicant dei prædestinationem nobis incognitam. Qui sic? Vidẽtur hoc uelle dicere, Si talis apud deũ fueris, ut hac uoluntate te dignetur, seruãdi præcepta, seruaberis. Quo tropo ĩtelligi datur utrũq;, scilicet et nos nihil posse, & si quid facimus, deum in nobis operari, Ita simul uerũ fieret ut nihil posßimus eorum quæ præcipiuntur, & simul

omnia

omnia poßimus: illud noßtris uiribus, hoc gratiæ dei tribuendum. Hæc Lutherus. Si sentit nos nihil posse sine gratia quod per se efficax sit ad salutem, non reclamo, patiarq; hoc tribui uiribus humanis, sed quomodo nos omnia possumus deo in nobis operante, si noßtra uoluntas nihil agit? Ducem regijs copijs adiutum dicimus aliquid posse. Cæterum nemo dicit securim posse extruere domũ, aut cubiculum posse scribere carmina, in quo poeta scribit. Hoc aduersus Carolstadij sententiam. Proinde hac ratione non uitatur frigus illud uerborum, Si uolueris si feceris. An non poterat hoc dicere, deum alios prædeßinasse alios non, niſi legis omnia uerba huc torqueantur? Deinde nonne frigidus esset, qui totos dies securi diceret, seca trabem hanc hoc modo, illam illo, similiaq; præscriberet dolabris, terebris, & circinis, nihil aliud significans quàm se statuisse per ea instrumenta facere, quæ præciperet? Verũ hæc Luthe. tã frigide refert, ut nec ipſi commentũ uideatur admodũ arriſisse. Sic illis inquit, dicerem, qui non cõtenti uellent esse, &c.

Adductis aliquot locis ex nouo testamento, in quibus fit mentio mercedis, sic colligit Diatriba. Vbi toties est mentio bonorum & malorum operum, ubi mentio mercedis, ibi non intelligo quo pacto locus sit neceßitati. Neq; natura neq; neceßitas habet meritũ. Hic Lutherus obijcit mihi opinionem probabilem, ui 121

delicet Augustini, quum ego plures proposuerim. Deinde dum nondum definio, sed tantum pugno cum hoste, satis est excluisse meram necessitatem. Et si tantũ tuerer hic probabilem opinionem, falsum est, quod toties ingerit Lutherus, Sic enim inquit, Diatriba locũ hunc intelligit, ut Christus & spiritus dei nihil sint. Imò uoluntas nihil efficit, quod ad salutem pertinet absq; spiritu, sed agit cum spiritu, & agendo simul meretur. Hoc sanè dignius est spiritu sancto, si dicimus illum sic temperare uim & actionem suam, ut hominis uoluntas simul operetur cum agente gratia, quàm si dicamus spiritum sic agere in nobis, quemadmodum in boue aut in asino. Verum Lutherus ut unã Diatribes sequelam irrideat, tot ipse sequelas absurdissimas nectit, Liberum arbitrium est, ergo spiritus non est: Liberum arbitrium potest, ergo sine gratia potest omnia. Voluntas hominis agit, ergo sine spiritus præsidio agit totum. Non est mera necessitas, ergo est plena libertas. Nil medium est apud hyperbolum nostrum. Et admiratur si quum nostra uoluntas agat cum principaliter agente gratia, dicimus hominem aliquid mereri.

παίγνιον.

822 At tandem desinit nugari Lutherus, doctorẽ agit, Definit arbitratu suo quid sit lex, quid euangelium, quid meritum, quid merces, quid promissio, quid ex

hortat

hortatio, sed ita commode ut omnia pulchre quadrent ad uictoriam. Quid ni uincat Lutherus, si iuris hoc illi concedamus? Atqui hoc est nomotheten agere, non disputatorem. Sed audiamus definitorem, Euangelium constat promissis, & exhortationibus, lex præceptis ac minis. Hanc distinctionem docendi gratia ita recipiemus, si fateatur in utroq; testamento inesse utrunque, & alteram rem alteri connexam esse. Gratiam gratis nihilque promeritis per euangelium offerri fatemur, si sentiat de meritis præcedentibus, iuxta opinionem Augustini, Sin sentiat nihil operum exigi à nobis ad consequendam æternam salutem, reclamamus. Cæterum quod exhortationes definit nihil aliud esse, quàm ut his deus iam iustificatos ac misericordiam consequutos excitet, ut strenui sint in fructibus donatæ iusticiæ & spiritus, charitatemq; exerceant bonis operibus, & cætera, non satis intelligo. Primum uidemus in sacris litteris multas exhortationes atque etiam obsecrationes ad rebelles. Deinde quomodo iubentur esse strenui, qui nihil agunt, sed tantum patiuntur agentem gratiam? Postremo quomodo fit hic mentio bonorum operum, quum uoluntas hominis nihil operetur iuxta Lutherum neque boni neque mali? Aut quo sensu tropóue sese exercere dicuntur, qui tantum patiuntur agentem

» ſpiritum? Atq; hic rurſus obiurgatur miſera Diatri-
ba, quæ nullum norit diſcrimen inter legem & euan-
gelium, inter uetus & nouum teſtamentum. Quid ſi-
gni? Quia nihil ferè niſi præcepta uidet, quibus for-
mentur homines ad bonos mores. Quæ uero ſit rena-
ſcentia, innouatio, & regeneratio, & totum negoci-
um ſpiritus, prorſus nihil uidet, adeo ut uehementer
ſtupeat, hominem tam diu in ſacris litteris uerſatum,
nihil omnino in illis ſapere. Hos uerborum fumos of-
fundit oculis ſimplicium, mortificatio, renaſcentia, ne-
» gocium ſpiritus. Quid ad hæc reſpondebimus, niſi Lu-
therum glorioſiſſime mentiri, quum tot locis in lucu-
brationibus meis doceam ea de quibus iactat me ni-
hil omnino ſcire, niſi q. aliter Lutherus mortificat
ac regenerat, quàm ſolent orthodoxi. Manifeſtam ha-
bet uanitatem & illud, Diatribæ nihil uidere niſi præ-
cepta, quum toties mentionem faciat promiſſionum,
inuitationum & blandiciarum. Sed ex his colligo re-
quiri officium uoluntatis humanæ. Quid ni id faciã?
quum efficacius id colligatur, ex his quàm ex nu-
dis præceptis. Minus enim inepte faciat princeps, ſi
populum irriſurus, tantum ferat leges minaces, qua-
rum nulla ſeruari poſſit, quàm ſi addat exhortatio-
nes, obſecrationes, blandicias & pollicitationes. Vbi
tandem igitur eſt iſta confuſio, legis & euangelij?
Nuſquam niſi in ſomnio Lutheri. At ex uoce merce-
dis colli-

dis colligo meritum aliquod hominis. rem prodigi osam. Verum ipse Lutherus nos docuit scripturam esse claram, & accipiendam sine tropis, iuxta sensum communem, quemadmodum interpretatus est illud, Præceptum non est supra te nec infra, nec procul. At quis est qui si quem audiat dicẽtem, Dabitur tibi merces amplissima, non statim intelligat ab eo cui fit promissio requiri nonnihil officij? omnes fatebuntur. Sed Lutherus fortiter negabit. Hic locus inqt, merces uestra copiosa est in cœlis, promissionis & consolatiõis uerba habet, non præcepti. Quid, an ego negaui esse consolationis? Minime, sed ex uoce mercedis arguo nonnullam operam nostræ uolũtatis, quam Lutherus uult prorsus ociosam esse. Gaudete & exultate uerba sunt cõsolationis, sed annexum est præceptum tollendi crucem, quod aliâs proponit. Si merces non est sine opera, sicut nec pater sine filio, nec cõductor absque locatore, nec emptor absq; uenditore, Si consolatio & exhortatio confirmat eos qui laborant in obseruando præcepto, quid sibi uult quod ait Lutherus, nihilo magis hæc uerba congruere libero arbitrio, q̃ lucem tenebris, nisi quod nusquam non loquitur hyperbolas? At multo minus intelligo quid sibi uelit huius capitis clausula, Nos disputamus de libero arb. sine gratia potissimum. At ego pugno aduersus Lutheri dogma, quod negat quicquam esse liberum arbi-

trium in rerum natura, sed nomen inane. Nam probabilis opinio, semper coniungit lib. arb. cũ gratia.

125 Didicimus quid sit merces, uerbum exhortationis, quæ non magis conueniat merito, quàm tenebræ luci. Nunc definit meritum. Sensus communis definiret meritum, officium præstitum, cui debetur gratia mutua. Sed autore Luthero quid est? Meritũ est merces proposita, nec aliud quicquam quàm promissio quædam. Euge negat esse liberum arbitrium, qui quid libet ut libet tanta libertate definit? Ita depositum erit, promissio rei restituendæ, quam nemo seruandã tradidit. Et mutuum erit pollicitatio reddendæ pecuniæ, quam nemo credidit, subitoq; mutabuntur etiam personæ, ut quod erat huius fiat illius, uelut hic meritum hominis, facit esse promissionem dei. Qui promittit hoc aut illud facienti mercedem, non declarat qd ille posit aut nõ posit, tantũ ostendit qd accepturus sit si fecerit. Ridicula inqt consequentia, oĩbus in stadio proponitur brabium, ergo omnes possunt currere & obtinere? Imò ridiculus fuerit agonothetes, si claudum hortetur ut in stadio currat, accepturus brabium si primus metam attigerit. Hic idem est exigẽs, hortans et consolans. Idem qui iubet tolli crucem, quique Petro dicit, sequere me: Idem qui exhortatur, idem qui cõsolatur promisso præmio. Quoniam autem hæc inter se connexa sunt, & aliud ex aliud

lio pendet, ex omnibus recte colligitur aliquid in nobis situm ut præstemus, ut totum nostris uiribus peragamus nihil opus, quandoquidem is qui præcipit, hortatur & promittit, idem addit certanti uires. Proinde nullum hic habent locum sophisticæ tricæ, Condicionale proloquium nihil affirmare. Sed his tam crassis ualere iussis explicat nodum quomodo cum absoluta necessitate, cumq; natura cohæreat mercedis uocabulũ. Cum necessitate coactionis non cohæret præmium. Quis enim inuito dat mercedem, sed cum necessitate immutabilitatis pulchre conuenit. Nõ excutiam hic quantum interſit inter eum qui facit invitus, & illum qui coactus est ut uelit, quum ex se nolet. Nam gratia nolentẽ & auersum repperit, Luthe rus assumit duo quæ negant orthodoxi. Primũ quod affirmat hominem gratia præditum non posse se suis uiribus à gratia auertere, quum tot scripturæ locis declaretur diuersum, Manete in dilectione mea. Et, qui stat uideat ne cadat, Vigilate & orate ne intretis in tentationem. Stanti dicitur, uide ne cadas. Potius dicendum erat, confide, non potes cadere, ni se subducat gratia, quam retinere aut amittere non est in tua potestate. Alterum est, quod nos ex diuinis litteris, & ex ecclesiæ prisca traditione credimus hominis uoluntatem agere suis uiribus cum agente gratia, quæ si nihil agat, quur ille dicitur

uolens

uolens operari, quum nihil operetur, sed tantum patiatur spiritum in ipso operantem? Nam & uelle bonum, actio quædam est. Quod si spiritus & uult in nobis, & operatur in nobis sine nobis, quur dicimur agere bonum opus? Naturaliter inquit sequitur, si in aquam mergaris, suffocaberis: si enataueris, saluus eris. Dissimile exemplum est, in quo conditio tantum euentum exprimit, in nostris conditio præceptum habet adiunctum. Nemo dicit, præcipita te in aquam, si feceris peribis. At dominus dicit, Crede & baptizare, id si feceris, saluus eris. Tolle crucem tuam, id si feceris, expecta magnam in cœlis mercedem. Hinc aũt meritum est hominis, quod pulsanti gratiæ se præbuerit, rursus quod operanti gratiæ suas uiriculas accõmodet, nec ab ea semet auertat, quum hoc generaliter sit in ipsius potestate. Quanquam non inficior deum posse ob peculiares causas hanc potestatem eripere.

124 En alia distinctio, Si dignitatem inquit, spectas, nullum est meritum: si sequelam, meritum ingens est & præmium. Cui debitum? diuinæ gratiæ, quæ sola dedit bonam uoluntatem & perficit bonũ opus. Hic rursum Lutherus secum pugnat, dum tribuit homini uelle bonum, quum eundem fateatur nihil prorsus agere. Sed testatur se loqui de libero arb. seclusa gratia, & utriusq; propriam uim inquirere. Dicetur paucis,

paucis, iuxta dogma Lutheri, nihil omnino potest, nec in bonum nec in malum, quum nihil sit nisi nomen inane, Secundum opinionem quorundam nondum ab ecclesia reiectã, potest per opera moraliter bona eò proficere, ut deus non sit negaturus auxiliatricem gratiam: iuxta opinionem eorum qui plus tribuunt gratiæ, potest semet auertere à pulsante gratia, potest suas uires quantulascunq; adiungere cooperanti gratiæ. Proinde non sibi dissidet Diatribe, quod totiés falsò impingit, sed Lutherus sibi non constat, oblitus sui dogmatis, quod ex Diatriba recitaui, ne uel alius posset inficiari, uel ipse posset obliuisci. Ad hunc scopum oportebat omnia sua iacula dirigere. Mihi liberum est, dum argumentor unam quampiam ex his opinionibus quas non reiecerã arripere. Id Luthero non est integrum, nisi malit eam quam sic asseuerauit παλινῳδῆμ. Quàm uero totus hic sermo sibi dissidet: si sequelam inqt, spectas, nihil est siue bonum siue malum, quod non suam mercedem habeat. Hanc mercedem quis fert? Homo. Pro bono opere? Pro bono opere. At opus bonum non est hominis, sed solius dei. Proinde merces dei dici potest, hominis nequaquam. Tantundem dicendum de malo opere iuxta Lutheri doctrinam, Si peccaueris, ibis in gehẽnam. Sed homo non operatur malum opus, sed deus in illo. Hominis tamen merces est gehenna. Nónne merito stupidi uocamur,

camur, qui his paradoxis non applaudimus? Quur autem Lutherus horret tantopere nomen dignitatis, quod toties occurrit in sacris litteris. De inuitatis ex cusatoribus dicitur, Non erant digni. Quare non erant digni? Quia pulsanti gratiæ, subducebant sese. Quod si dignitatis nomen uidetur aduersari gloriæ gratiæ, quum tot scateat distinctionibus, debebat & hic distinguere dignitatem congruentiæ, à
» dignitate æqualitatis. Mihi, quod cum aliorum pace, ac sine mea fraude dictum uelim, uidetur et ante gratiam esse dignitas & indignitas quædam ad gratiam accipiendam. Ingrediuntur apostoli uicum aut oppidum ingressi, quærere qui essent ibi digni, & apud illos diuersari. At dignitatem hanc aliquis referet ad prædestinationem dei. Hanc apostoli non poterant ex hominibus discere, quam si cognouissent ex reuelatione, non erat opus quærere. Quid igitur quærebant? Qui nam essent illic boni rumoris, quod innocenter uiuerent, neminem læderent, pauperes reficerent. Hos intelligebant esse dignos, quibus offerretur communis euangelij gratia, hanc iudicabant materiam gratiæ capacem, hanc bonam terram in quam iactũ semen adferret fructum copiosum. Nec impij simpliciter nolunt damnari se, quum sciant se damnandos si perseuerent, & perseuerant uolentes, interpretatiua, ut ita loquar, uoluntate uolunt damnari. At serui

sunt

sunt peccati, nec possunt non peccare. Fateor absque gratia, sed iuxta quosdam possunt ambire gratiam & ambitam accipere, iuxta alios possunt sese præbere pulsanti gratiæ, quæ nullis deest. Cæterum quod ait pios manere uitam, siue quærant siue non quærãt, etiamsi uerum esset tamen erat aut reticendum, ob animos ad maliciam proclives, aut erat aliter dicendum, Nunc quum sit sermo falsus, tanto magis est execrandus, Pugnat enim cum euangelio dicente, petite, quærite, pulsate, uigilate.

Cæterum an uerum sit eos damnatum iri, qui ob regni cœlestis præmium colunt deum, quoniam ad hanc quæstionem nihil attinet non excutiam. Illud indicabo, hæc Lutheri uerba, filij autem dei gratuita uoluntate faciunt bonum, parum quadrant cum illorum paradoxis qui docent, hominis uoluntatem nihil agere, nec esse ullum opus hominis bonum. Cuius est opus, nisi facientis? Si deus solus operatur, non est hominis, si homo facit opera bona, quur non huius dicuntur opera, quemadmodum reuera dicuntur, & sunt aliqua ex parte. Quid autem colligit ex hoc loco, Venite benedicti patris mei. Venite uerbum est cõsolationis. Fateor, sed ea quæ subnectuntur, quia fecistis hæc & hæc, sunt uerba meriti. Regnum fuit illis paratum ab æterno, sed ijdem præfinitum erat, ut talia facerent. Iam uero docuimus, imò 129

docuit

docuit ecclesia, nec præscientiam, nec decretum æternum dei, necessitatem inducere humanæ uoluntati, qua de re dicetur & inferius suo loco nonnihil. Quærit, quomodo quis meretur id, quod iam ipsi paratum est antequam nascatur. Dicam, quia qui nondum natus est, iam fecit digna regno cœlorum ei, cui pariter præsentia sunt omnia. Poterat mutare uoluntatem? Poterat saltem in malum, Id si accidisset, falsa fuisset dei præscientia, uoluntas impedita. Sciebat, non mutaturum, & si mutasset, iam hoc præscitum erat ac destinatum à deo. Tandem sicut ante ex persona merentis fecit personam promittentis, ita & hic inuertit scripturæ uerba, quo magis quadrēt paradoxo dogmati, Vt rectius inquit, dicere possumus, regnū dei potius meretur nos suos possessores, & meritum illic collocemus ubi isti præmium. Regnum enim non paratur, sed parat: filij uero regni parantur non parant regnum, hoc est regnum meretur filios, non filij regnum. Sic & infernus suos potius filios meretur & parat, quum Christus dicat, Ite maledicti in ignē æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Hæc Lutherus. Quis unquam audiuit talia uerborum portenta? Corrigit diuinæ scripturæ linguam, et inuoluit sensum ambiguitate uerbi, Si parare est decernere, quē admodū legis lator uult esse paratum præmium defensori patriæ, pœnam proditori: an hic absurde dicetur sibi

tur sibi uir fortis parasse præmium, quia paratum fuerat à lege cunctis fortiter agẽtibus? Verum illic paratum est, quod decretum ac destinatum est, hic paratur quod uirtute acquiritur. Deus parauit ab æterno iustis præmia, & eadem homines sibi parant seruandis dei præceptis eiusdem opitulante gratia. Rursus deus homines ad seruãda præcepta parat sua gratia, & homines seipsos parant exercitijs ad pietatem conducentibus. Iam & infernus meretur impios, at ante dixerat deum etiam mala in nobis operari, ut periculum sit ne uel deus mereatur gehennam uel gehenna deum. Sic tractat sacram scripturam, qui nobis obijcit quod scripturam irridemus.

Eadem opera dicet, regnum dei non quæri, sed quærere. Atq; illud ex euangelio: Primum quærite regnum dei, sic nobis interpretabitur, Nolite quærere uos, frustra quæsituri, sed regnum dei uos quæret, uos inueniet uelitis nolitis. Res enim meræ necessitatis est non nostri studij: Item illud Pauli, Patientia boni operis, quærentibus uitam æternam, ad hunc explicabit modum, non ijs qui ipsi perseuerarũt in bono opere, quum nihil operentur, sed quos ipsa uita æterna quæret, etiam si ne cogitauerint quidem de quærendo. Non solum enim Lutherus docet eos nihil agere, qui quærunt uitam æternam pijs operibus, uerum etiam indignos ea reddi si quærãt. Verba Lutheri sunt hæc,

Quærunt autem æternam uitam, id est, sunt in ea uia qua perueniant & inuenient uitam æternam, ut quæ rere sit studio niti, & instanti opera eò conari, quod sequi solet ad bonam uitam. Omitto ferream interpretationem hominis, quam non solum perpetuo respuit ecclesia, sed etiam sensus hominum communis. Verũ hic interim appello Lutherum si meminit sui dogmatis, quomodo dicitur studio & instanti opera conari, qui nihil prorsus agit, sed tantum patitur ab agente gratia. An securis & lutum dicitur conari, nitiue? Et qui studio instanti nititur ad aliquid, an is absurde dicitur quærere? Addit uerba consolationis & exhortationis in hoc adhibita ne defatigẽtur in laboribus. Quomodo defatigabuntur qui nihil agunt? An periculum est ne spiritus in illis agens delassetur?

127 Reliquam battologiam prætermitto, ut pergam. Non mouetur inter nos quæstio, quur deus uelit docere impios præceptis, terrere minis, pios consolari promissis & exhortationibus, quum hæc omnia possit absq; uerbo, sed quur deus præcipe uoluerit, quæ scit à nobis præstari non posse, etiamsi accesserit auxilium gratiæ. Quur ad impossibilia tot minas, promissa, blandicias, exhortationes adhibeat. Posset inquit, nos alere absq; pane, at non uoluit. Audio, sed homini dedit potestatem edendi panem. Verum si porrecto lapide diceret, comede ut satieris, tantum ut homi

ni

ni commonstraret quod non posit edere, conueniret exemplum. Hic rursum illi in quæstione hærenti, succurrit adoranda tantum dei uoluntas.

Quæ proximo capite κοκκύζῃ, Diatriben pugnare secum, quæ probet liberum arb. omnia posse sine spiritus auxilio, iam toties declarauimus esse manifestæ uanitatis. Certe hoc loco mea uerba sic habent: Hæc aut frigida uidentur aut superuacanea si cuncta referantur ad necessitatem. Ita sic deprauauit noster hyperbolus: quid enim illum pudet? Frustranea, supuacanea, frigida ridicula, nihil esse quæ dicuntur, nisi libera sit uoluntas. Argumentū de fructibus, quos interpretantur opera hominum, noua securi dissecat Lutherus. Nostra inquit rectissime dicuntur, quæ non quidem facimus nos: sed ab alijs accepimus. Cuur igitur opera non dicerentur nostra, quæ nobis per spiritum donauit deus? Christum nostrum dicimus, quem tamen non fecimus, oculos nostros dicimus, pedes nostros dicimus, quos tamen ipsi nō fecimus. Hæc ille. Non negamus opera bona magis esse dei quàm nostra, pieq; ascribi gratiæ, quod sine illa non essent nostra. Verum Lutherus ineptit, quū opera sic uulgo dici nostra, quemadmodum pedes nostri sunt, quos sine nobis donauit nobis deus, aut pecunia nostra est quā aliquis nihil promeritus dono dedit. Domus mea est quam mihi dedit amicus. At nemo dicit domum 128 129

opus meum: aut nummum opus meum: aut picturam dono datam opus meum. Neque quisquam uestem dono datam appellat mercedem, præmium, brabiũ, quibus uocibus utuntur sacræ litteræ. Quur igitur eadem facta dicuntur dona dei, & opera nostra? Quia præcipuas partes hic obit gratia spiritus, nonnihil adlaborauit nostra uoluntas. Id perpusillum est, sed deus boni consulit, quãuis exiguum, ultra quod præstare nihil queas, & tamen hoc tantum habet momẽti, ut nisi accedat, inanis sit in te futura dei gratia. Ita Paulus qui gratiæ non defuit, et gratia inquit dei in me uacua non fuit.

130 Ex eo quod Christus in cruce dixit pater ignosce illis, nesciunt quid faciunt, uiolentus argumentator colligit imò extorquet diuersum ei quod probare nitor. Si nesciunt inquit, ergo nulla est liberi arb. uis, ut non solum non queant præstare quod pium est, sed ne nosse quidem. At Lutherus nos docuit, per legem esse cognitionem peccati, Certe legem nouerant plurimi ex his qui dominum adegerant in crucem. Si Pilatus sciebat esse innoxium, quomodo latebat hoc Pharisæos, Scribas & Annam Caiaphamq; ? Sciebant igitur et nesciebant, Iustum esse sciebant, deum & hominem esse nesciebant: arcanum illud dei consilium quo decreuerat redimere genus humanum ignorabant, teste Paulo 1. Cor. 2. Si enim cognouissent, nunquã dominiũ

minum gloriæ crucifixissent. Et hic est sermo charitatis, quæ uenatur etiam ignoscendi causas. Qualis est Petri Acto. 3. Et nunc scio fratres quod per ignorantiam fecistis sicut & principes uestri. Lutherus qui p mercede interpretatur euentum non expectatũ, pro merito promißionem, non sinit nos interpretari de ignorantia non malicioſa sed mixta cum infirmitate, cui summa charitas uult ignoſci. Sed demus ex huius modi locis maxime probari ſomnium esse liberũ arbitrium nec necessitate geri omnia, qui cohæret quod sequitur, Pœnitemini igitur & conuertimini, ut deleantur peccata uestra. Hæc Lutherus ita interpretabitur, pœnitemini, id est, deus aget pœnitentiam, & conuertimini, id est deus conuertetur ad uos: ut deleantur peccata, id est, hoc uelitis nolitis sequetur, ut deleantur peccata, quæ uos non feciſtis, sed deus operatus est in uobis. Sed redeo ad uerba, Ignoſce illis. Quis orat ignoſci illis, qui nihil prorsus agunt nec in bonũ nec in malum? Nemo petit ueniam securi, si pro trabe uulnerauit tibiam secantis: nemo petit ueniam infanti, si foria contaminauit puerperam. Qui dicit ignoſce, fatetur esse peccatum: qui peccatum eleuat ignorantiæ prætextu, aut in exemplum immensæ misericordiæ excuſat quæ non sunt excuſanda, aut sentit ignorantiam culpandam quidem, sed tamen ob errorem admixtum, ignoſcendum si reſipiſcant. Sic Pe-

trus prius commemorat & exaggerat facinoris immanitatem, Vos autem sanctum & iustum negastis, & petistis uirum homicidam donari uobis, autorem uero uitæ interfecistis. Hoc est uinum infusum uulneri sanando, mox infundit oleum, Scio quod per ignorantiam feciſtis, Pœnitemini & conuertimini. Demiror hominem tot distinctionibus extemporarijs abũdantem non distinxisse hic uocem charitatis à uoce ſeueritatis. Altera dicit, nesciunt quid faciunt, Altera noluerunt intelligere ut bene agerent. Et qui prædicas non mœchandum mœcharis. Et, seruus sciens uoluntatem domini nec faciens, plagis uapulabit multis. Ac uehemens orator asseuerat nullum adferri posse locum qui magis totum demoliatur liberum arbitrium, quàm hunc quem adduxi pro libero arbitrio. Nesciunt interpretatur, scire non poßunt, multo minus facere, urgẽs interim, ppositiones hyperbolicas, liberum arb. aut ex se posse totum, aut omnino nihil posse. Si uoluntas hominis est aliquo modo libera, spiritus nihil est, si spiritus est, nihil est hominis uoluntas: & sequela pugnat cum probabili opinione. Et post huiusmodi nænias triumphat, uerum sic inquit, audire & tractare diuina uerba arguit animum, qui sit insignis contemptor dei & hominum, qui prorsus nullã mereatur patientiam. Nec interim illius refert, qd hæc cõuicia recidũt nõ in me tantũ, sed in uniuer-

sos

ſos eccleſiæ doctores, q̃ oēs ſunt inſignes contēptores dei et hominū, Luthe. inſignis cultor dei et doctor hominū. Lutherus dicit hominē nihil agere nec in bonis nec in malis, niſi quēadmodū agit ſecuris in manu fabri: at qui petit ignoſci fatetur peccatum, & qui peccat aliqd agit, aliquid commeruit mali, quod deprecatur interceſſor. Et tamen Lutherus aſſeuerat hunc locū nihilo magis facere aduerſus ipſius dogma, q̃ ſi citaßem, deus requieuit die ſeptimo ab operibus ſuis. Ex quo ſanè loco probabilius ſtatueretur liberū arb. quàm Lutherus ex uerbis imperandi colligit hominē nihil poſſe.

Proximo cap. mirus iterum κοκκυσμὸς eſt, quem 151
referre tædet. De re paucula dicētur, Demiratur ebe
tudinem Diatribes, quæ locum citet ex Ioanne: Dedit
eis poteſtatem filios dei fieri, &c. quum nullū ſit ful-
men efficacius ad elidendum liberum arbitrium. Dic
argumentum? Quid opus eſt, nónne audis, fieri? de
opere nulla mentio. Homo fit filius dei, non ſe facit.
Itáne quum dicitur puero cui prouiſum eſt de libris,
præceptore & uiatico, ecce data eſt tibi poteſtas ut
fias uir doctus, intelligimus eum ſubito tranſformandum in hominem doctum, nullo ſtudio? O mirum uerbū fieri, ò nos cæcos, qui hæc tam perſpicua nō uideri mus. Sequitur aūt, ijs qui credūt in nomen ipſius. Quæro an credere ſit aliquod opus, ſi eſt, utiq; fit operis

mentio. Porrò quum fides sit fons bonorum operum, qui fontem nominat satis indicat cætera. Sed fides inquiet est gratuitum dei donum. Vbi igitur locus libero arbitrio? Adeo locus est ut per liberum arbitrium homo pulsantem fidei gratiam possit excludere, possit amplecti, nisi quid obstet aliud, & acceptam possit amittere. Hoc inficiatus Lutherus confugiet ad arcanam illam uoluntatem dei. Audi lector Diatribes sequelam, hoc loco sic colligit. Quomodo datur potestas ut filij dei fiant, si nostræ uoluntatis nulla est libertas? Audi nũc Lutheri deprauationes. Diatribe instat, liberum arbitrium omnia posse, parata pronunciare frigidum & ridiculum esse uerbum Ioannis. Et post, Tanta est Diatribes ebetudo, ut nihil prorsus inter promissionis & legis uerba discernat. Hoc ita probat, quàm ex præceptis, quàm ex promissis colligo argumenta constituendi liberi arbitrij. Hæc ille. An hoc est nihil discernere, ex utroq; colligere argumentum? Vbi uoco præceptum promissum & contra? Et si promissa cohærent præceptis, quur ex promissis absurde colligitur idem quod ex præceptis? Nec meminit hic argumentari me, nondum definire. Nec reputat hæc cõuicia quæ deblaterat in Diatribam, recidere in probatissimos ecclesiæ doctores, qui ex ijsdem locis eodem modo ratiocinantur. Vt affatim hic helluo semet expleuit ingurgitauitq; cõuicijs. Post hæc subito fit deus

&

& iudicat de animo meo. Sed facile, inquit, toleratur hæc absurditas, si cõsideretur, q̃ alieno animo & con temptore Diatribe disputet, ad quam nihil attinet, gratia stet uel cadat, iaceat uel sedeat, tantum ut ina nibus uerbis in odium causæ seruiatur tyrannis. Hæc » ideo retuli, quo lector oculis perspiciat, qui spiritus agat Lutherum, tam impudens in mentiendo, tam impius in iudicanda aliena conscientia, tam credu/ lus quorumlibet delationibus, tam contumeliosus in Ecclesiæ doctores & orbis monarchas. Fateor impul su principum scripsi de libero arbitrio, sed in nullius gratiam prodidi causam fidei. Possem pro falsis con/ uicijs uera regerere, sed malo considerare quid lecto ri gratius, quid me dignius sit, q̃ quid mereatur effre nis Lutheri maledicẽtia. Neq; uero me clàm est, quis » sine Christo frater hæc ad illum perscripsit, ansa men tiendi sumpta ex nostris colloquijs, hoc est familiari/ tatis indultæ præmium. Neq; me fugit, cuius literis in stigatus ipse susceperit hanc triumphalem disputatio nem. Qui perpulit sibi uidetur admodum urbanus, » regiumq; facinus credidit Lutherũ in Erasmum pro uocasse. Alter qui ex familiaritate sibi uisus est nosse Erasmum, homo uanus & perfidus, non hic tantum Thrasybulus dici potest.

Sed tandem delassatus transit ad loca quæ uiden/ 132
tur statuere liberum arbitrium, sed in medio relictis

compluribus locis ex Paulinis epistolis, quæ multo uehementius premebãt dogma Lutheri, q̃ quæ ex alijs scripturæ locis recensueramus. Hæc si studio prætermisit, diffidit suæ causæ, Sin quia uel pertesum est, uel nõ uacauit ad singula respõdere, poterat hoc incommodum effugere, si parcius usus fuisset conuicijs & κοκκυσμοῖς suis. Quanq̃ quid retulisset ad omnia respondisse, si respondisset, quemadmodum hactenus respondit, paradoxa paradoxis, ueluti linum lino connectens. Lex non agit cum hominis uoluntate, tantum indicat peccatum, quod nullo modo uitare potest, itaque præparat hominem gratiæ. Verba indicatiua, subiunctiua, optatiua, nullam indicant in homine facultatem, sed potius declarant eum nihil omnino posse nec in bonum, nec in malum: Aliud uelle deum crucifixum, aliud deum qui inhabitat lucem inaccessam: mercedem, præmium, brabium, similesq́ue uoces non referri ad operam aut officium præstitum, sed tantum significare sequelam, id est euentum, & seu uelis seu nolis, necessario sequuturum. Meritum non significat officium cui debetur præmium, sed promissionem dei gratuitam, Vt quum dicimus merita sanctorum, intelligamus promissiones dei, quibus illos nihil promeritos, neq; promereri uolentes cõsolatur, ne delassentur, hoc est, ne spiritus in eis omnia tum faciens, tum patiens deficiat, legem

non

non conuenire pios ac mites, ſed tantum impios ac ferroces, Contrà promiſsiones & exhortationes tãtum cõuenire pios, quibus ſiue quærunt ſiue non quærũt, paratum eſt regnum cœlorũ. Et quærere in literis ſacris non declarat precibus & pijs factis ambire uitã æternam, Abſit, ſed eſſe in ea uia, quæ uolentem nolentem ducit ad regnum cœlorum. In contrarijs nihil eſſe medium, ut ſi uoluntas dicatur libera, neceſſe eſt eam ex ſuis uiribus abſque gratia poſſe omnia, Sin minus, nihil omnino poteſt, nec in bonum nec in malum. Si quid omnino poteſt hominis uoluntas, ſpiritus nihil eſt. Si ſpiritus eſt, nihil omnino eſt libertas humanæ uoluntatis. Operari ſignificat operantem ſpiritum pati: Agere ſignificat agi rapiq́c. Reddet unicuiq; ſecundum opera eius, hoc eſt, ſecundũ opera nõ ſua, quæ deus gratis donat homini. Impij merẽtur gehennã, id eſt, gehenna meretur eos. Et regnũ paratũ eſt pijs, id eſt, regnũ parat pios. Currit in ſtadio, id eſt, deus in ipſo currit in ſtadio. Certat in agone, in quo deus certamen pagit: & apprehẽdit brauiũ, cui gratis datur nihil agẽti, ne optanti quidẽ. Deus nemine tentat, id eſt, deus prædicatus neminem tentat, ſed deus non prædicatus etiam impellit ad peccandum, imò ipſe peccatũ operatur in homine. Item quod eſt apud Ioannẽ, ſanctificat ſe, exponet, patietur ſpiritũ, ipſum ſanctificantẽ, quem patitur uelit nolit. Et apud

Paulum

Paulum, qui se emundauerit, emũdauerit uerbum me/re passiuum est. Quod ait Petrus, omnem curam sub/inferentes, interpretabitur Petrum loqui more dei crucifixi. Rursum quod ait Petrus, Quapropter fra/tres magis satagite, ut per bona opera certam uocati onem uestram & electionem faciatis, exponet, Spiri tus sanctus sine uobis aget in uobis, ut per ipsius bo/na opera capiatis uitam æternam, ad quam uos non debetis respicere, sed tamen non quærentibus parata est. Euolue totam scripturam, nulla est pagina, quæ non habeat aliquot loca, quibus opus est tali inter/pretatione, si recipimus Lutheri dogma de mera ne/cessitate.

135 Iam ad sui dogmatis confirmationẽ. Feliciter expu gnatis muscis, causam suam aggreditur, denuo præfa tus, uerba subiunctiua, optatiua, imperatiua, nihil fa/cere pro libero arbitrio, multo minus exhortandi, quum demonstrarim ex uerbis exhortandi, pollicen/di, obsecrandi certius colligi nostram uoluntatem ali quid agere, q̃ ex nudis præceptis. Recinit & illud mẽ dacium, Diatriben inter argumentandum tantum tri buere libero arbitrio, ut sine gratia posit omnia. Objcit alicubi mihi falso, q, ex indefinita fecerim uniuersalem. Ad hunc lapidem ipse perpetuo impin/git, Volũtas hominis potest aliquid, ergo sola potest omnia. Præmittit autem unam machinam, qua demo/liatur

liatur omnia, etiam si tria milia testimoniorum adduxeris ex sacris literis pro libero arbitrio. Paulus Roma. 8. scribit pios spiritu dei agi, non libero arbitrio. Vbi Lutherus didicit illã dialecticam? Nauis agitur uelis, ideo non impellitur & æstu? Quoties iam diximus, uoluntatem hominis actam agere? Itaq; fatemur & nos pios agi spiritu dei, sed negamus quod addit Lutherus, eos sic agi rapiq;, quemadmodum à fabro agitur serra & securis. Mira uero felicitas filiorum dei, si hoc sunt spiritui sancto, quod securis est fabro. Ne id quidem dixit Paulus, quod asseuerat Lutherus, etiã impios agi spiritu dei. Etenim si pij ideo dicuntur agi spiritu, quod spiritus solus in illis operetur omnia bona, quid obstat, quo minus idem dicatur de impijs, in quibus ut Lutherus docet, idem spiritus operatur omnia mala. Nam uoluntas hominis & in bonis & in malis tantũ patitur agiturq;, nõ opatur agit úe. Hic tamen uult ingenuus uideri, dum agnoscit sua uerba, quæ Diatriba recitat ex ipsius assertionibus. Quanq̃ quid laudis est, ea non inficiari, quæ quis scripto publicauit. Et tamen illa me non sine causa recitasse declarat euentus. Quidam enim soliti Lutherum in omnibus defendere, quum legissent hunc Diatribæ locum, fassi sunt se nunquam credituros fuisse Lutherum hoc sentire, ni uerba ipsius ut habent recitassem. Proinde eadem hic referam. Sic autem habent,

bent, Vnde & hunc articulum neceſſe eſt reuocare. Male enim dixi, quod liberum arbitrium ante gratiam ſit res de ſolo titulo, ſed ſimpliciter debui dicere, liberum arbitrium eſt figmentum in rebus, ſeu titulus ſine re, quia nulli eſt in manu cogitare quippiã boni aut mali, ſed omnia, ut Vuicleui articulus Conſtantiæ condẽnatus recte docet, de neceßitate abſoluta euenium. Ad hoc dogma debebat Lutherus detorquere quæ citat Diatriba, potius q̃ ad probabilẽ opinionẽ, quanq̃ illic nihil eſt, quod cum opinione probabili pugnat, niſi accedat Lutherus interpres. In pugna ſatis erat utcunq; dei eſſe aduerſariũ. Cætera per ocium componi poterant. Hæc autem eſt illius argumentationis clauſula, quam totam Lutherus expendit ad ſomniatam ab ipſo quandam opinionem. Hæc inquit Diatribe, tam multa, non ſine cauſa mouerunt eruditos ac ſanctos uiros, ne in totum tolerent liberum arbitrium, tantum abeſt, ut ſpiritu ſatanæ fuerint inſtigati, ſibiq; damnationem accerſierint, fidentes operibus ſuis. Vel hinc Lutherus homo tam perſpicax intelligere poterat: quid egerim illis teſtimonijs, nimirum non omnino nihil agere uoluntatem hominis, nec eos qui ſtatuerunt liberum arbitriũ non ſic fiſos ſuis operibus, ut excluſa gratia, ſibi damnationem accerſierint, id quod nusq̃ non inculcat Lutherus.

154 Præſtat autem omittere præludium hominis plusq̃

Thraſonicum

Thrasonicum, Hactenus, inquit, præceßit fumus hominis, quasi nos è scripturis nihil attulerimus, nunc audiemus fulgura & tonitrua dei, id est, interpretationes Lutheri, multo præstantiores ijs, quas ex eodem hactenus audiuimus. Inceßit quod tam multos scripturæ locos citarim pro libero arbitrio, quum prætermiserim innumerabiles, interim irridens homo festiuus, sanctos & sanctas omnes, qui tribuerũt aliquid libero arbitrio. Quin his tam lepide dictis applaudistis Lutherani? Si plausum dederitis, audietis lepidiora. Nisi uero, inqt, spiritus sanctus rhetoricæ aliquantulum gnarus esset, periculum erat ne tanta simulati cõtemptus arte fractus prorsus de causa desperaret, et palmã libero arbitrio concederet ante tubam. Nónne hæc mire festiua sunt? Nunc Thrasonismũ accipe. Sed ego, inquit inferius, succenturiatis illis duobus locis, ostendam & nostras copias, quanq̃ ubi talis est fortuna pugnæ, ut unus fuget decem milia, nullis opus est copijs. Si enim unus locus uicerit liberum arbitrium, nihil ei profuerint innumerabiles suæ copiæ. Non respondendum est ad singula, ne scurrilitatis inter nos certamen susceptum uideatur, non causæ. Quas copias, adducit Lutherus? Et unde? Nónne ex sacris literis? Vnde ego produxi meum exercitum? Nónne ex ijsdẽ? Quomodo igitur unus miles Lutheranus fugabit decem milia? An scriptura prosternet scripturã?

Non,

Non, sed una falsa Lutheri interpretatio, si fuerit cō/
modum, subuertet uniuersam scripturam, quanq; ad
id quot strophis utatur, iam satis demonstratum ar/
bitror. Si diatribe produxisset Aristotelis testimo/
nia, erat aliquid quod iactat Lutherus, Nunc ista in
scripturam sacram stolidissime ne dicam impie dicun
tur, quum certamen non sit inter scripturam & scri/
pturam, sed inter interpretationem omnium Ecclesiæ
doctorum & Lutheri cum paucis aliquot ab Eccle/
sia damnatis. Ille dicet omnes insanisse actos spiritu sa
tanæ, se sancti spiritus afflatu uerum scripturæ sen/
sum afferre. Hoc si persuadet, uicit. Sed interim friget
Thrasonismus, ut omittam frigidum iocum de spiri/
tu, non omnino rudi rhetorices. In nullos enim liben
tius iocatur Lutherus, quàm in diuos & spiritum san
ctum, si quando libet exporrigere frontem.

Audiamus igitur dei fulmina, quæ proferet Luthe/
rus. Ex his quæ uidentur funditus tollere uim liberi
arbitrij, duo præcipua loca sunt, quorum alter est de
eo, q; dominus indurauit cor Pharaonis. Habetur
autem Exodi 9. tractatur ab apostolo in epistola ad
Rom. cap. 9. qui adducit & illud ex Exod. 32. Misere
bor cuiuscunq; misereor, & commiserabor quēcunq;
commiseror. Huius quæstionis difficultatem quoniam
Origenes explicat tropo, quo dicitur perdere filium
qui peccantē non statim corripuit, Lutherus tractat
locum

locum communem contra tropos. Habent enim rhetores huiusmodi sententias, quas in utranq; partẽ pro causæ commoditate tractare solent, ut testibus credendum, & testibus non credendum. Tormentis credendum, tormentis non credẽdum. At Lutherus ipsos etiam rhetores superat. Nullus enim rhetor in eadẽ causa tractat utranq; loci partem, sed in diuersis: Lutherus in eadem causa uult plurimũ ualere tropos, quoties patrocinari uidentur ipsius dogmati: & rursus exsibilat tropos, quoties pro aduersario faciunt. Sed hoc facit ueluti suo iure. Illud iniquum, quod Diatribam accusat, quasi illa troporum sit repertrix, quum nihil sit in scripturis usitatius, q̃ tropis effugere scrmonis absurditatem. Præter causam igitur incusaret Diatribam, etiam si suos adferret tropos, nunc quum adducat à probatis Ecclesiæ doctoribus proditos, multo facit iniquius. Non igitur iniquum postulat Diatriba, si ius utendi tropis postulat, aduersus eum qui se tropis tuetur. Nunc conferamus troporum genus. Lutherus adfert suos abhorrentes à consuetudine sensuq; communi, Diatriba profert è probatis autoribus consentientes cum more sensuq; communi, cui se scriptura libenter attemperat: & Diatriba tropos inducit, ubi scripturæ uoces abhorrent à sensu communi, Lutherus adducit, ubi scriptura maxime consentit cũ natura sensuq; communi, quo sensum inducat suum, et

à ueterum opinione, & à communi mortalium con/
sensu simpliciter abhorrentem. Audi tropos Luthera
nos, quos ipse nescio an dignetur agnoscere, extende
manum tuam ad id quod uolueris, id est, gratia exten
det manum ad quod ipsa uoluerit. Facite uobis cor
nouum, id est, gratia faciet uobis cor nouum, Ser/
ua mandata, id est, tu non potes seruare mandata, sed
hoc scito, te non posse, reliquaq; quæ supra comme/
morauimus, de mercede, merito, præmio, brabio, cer
tamine, cursu, quæ omnia Lutherus per tropos du/
rissimos, & à cõmuni loquendi usu alienissimos præ
ter orthodoxorum autoritatẽ interpretatur, utcunq;
postulat dogmatis quod defendit ratio. Quis unq̃ poẽ
tarum, apud quos est magna troporũ licentia, dixit,
fecit adulteriũ, id est, alius in eo fecit, aut egit remũ,
id est, à remo actus est. Aut retulit illi mercedem pro
meritis, id est, donauit illi munus, non ob aliud nisi qa
decreuerat promiseratq; se daturum, quum ille nec
egerit quicq̃, nec promeritus sit. Huiusmodi tropis
quum causam suam tueatur Lutherus, tamen me Pro
teum uocat, qui tropis & longe modestioribus, & ab
orthodoxis scripto proditis utar, si quando huc im/
pellit absurda sermonis species. Quod genus est, quũ
deus summe bonus dicitur indurasse cor regis, ut per
illius malitiam illustraret suam gloriam, & illud Hie
remiæ, Seduxisti me domine, et seductus sum. Non est

igitur

igitur eadem ratio troporum, quos ex se durissimos ac uiolentos cõminiscitur Lutherus, & meorũ quos ab antiquis traditos & agnoscit usus loquendi cõmunis, & similium in scripturis locorũ collatio cõprobat. Proinde uerissimum est, quod dicit, inualidam fore scripturarũ autoritatẽ, si cuiuis liberũ erit tropis et sequelis cõmenticijs earũ uerba quocũq; libitũ fuerit trahere. Sed posteaq̃ eluſit tropos, aggreditur alterũ locum cõmunẽ, aduersus Origenẽ, cuius errori si quid delinquit, duplici nomine debetur ac datur uenia, Primũ q̃ inquirens scripsit ista, non definiens: deinde q̃ priscis tẽporibus, qbus adhuc fas erat de multis dubitare, de quibus nunc ambigere fas nõ sit. Fatemur Origenẽ aliquoties allegorijs ludere, sed qd hoc ad hunc tropũ, qui nõ habet allegoriã? Hoc Origenis cõmentũ approbauit Ecclesia, seqtur cũ orthodoxis Hieronymus. Nã tropus in crimẽ uocatur, q̃ fuerit in causa, ut Ariani fecerint Christũ deũ putatiuũ. Quin potius apostolus Paulus in cõe crimẽ uocatur, q̃ satanã uocat deũ huius seculi, & fatetur esse multos, q̃ nominãtur dij, et sunt. Et psaltes mysticus appellat deos gentiũ, q̃ pro dijs haberentur. Et Christus ipse probat hunc uersiculum, Ego dixi, dij estis, et filij excelsi oẽs. Postremo quod quidam ab ipso dissentiunt de Eucharistia, tropis imputat. Nec hoc contentus, pronunciat ab ipso obseruatum omnes hæreses et errores 136

in scripturis, non uenisse ex simplicitate uerborum, sed ex neglecta simplicitate uerborum, & ex affectatis, pprio cerebro tropis aut sequelis. Si dixisset multos errores, tolerari poterat: impudenter dixit oēs, quum maxima pars hæreseon nata sit, nec ex tropis, nec ex uerbis simplicibus, sed ex philosophia Græcorū, qua quidā infecti uerius q̄ imbuti, ueniebāt ad tractādas sacras literas. Certe negari nō potest Anthropomorphitas ex simplicitate uerborū ac troporū inscitia hausisse errorem suū, qui quia legerant dei manus, pedes, brachia, cor, oculos, credebant illum corporeum, humanis constare mēbris, ac proinde irasci, furere, misericordia commoueri, pœnitere, gaudere, dolere, quum harum affectionum nihil cadat in deū. Similiter declamat in sequelas. Quid igitur sibi uult Lutherus, excludi tropos omnes, unà cum sequelis? Non, opinor, sed idoneos uult recipi, ineptos reijci, dubios examinari. Itaq; præscribit nobis regulam, quam sequuti id poßimus efficere. Negat in scripturis uel sequelam uel tropum ullum admittendum, nisi id cogat circunstantia uerborum euidens, & absurditas rei manifesta, in aliquem fidei articulum peccans, sed ubiq; uult inhæreri simplici puræq; & naturali significationi uerborum, quam grammatici & usus loquendi habet, quam deus creauit in hominibus. Accipio præscriptum, modo nobis definiat, quid sit articulus fidei

lus fideiz ad hæc distinguat inter allegoriam, qua sub-
uertimus sensum historicum siue grammaticũ, et eam
qua moralem sensum tractamus manente ceu funda-
mento sensus grammatici. Hoc facto, conferemus tro
pos Lutheri cum nostris, expensuri utri magis qua-
drent ad sensum communem, & utros suaserit sensus
absurditas. Quis unq̃ sensu cõmuni sic accepit omnes
leges publicas ciuitatis, ut imperando nihil aliud de-
clararent, nisi ciues non posse quicquam præstare eo
rum quæ præscribuntur, nec in aliud ualere minas le
gum? Aut quæ coëgit absurditas Lutherum in tot mi-
libus locorum, quæ uel præcipiunt, uel territant, uel
minitãtur, uel expostulant, uel obiurgãt, uel pollicen
tur, uel blandiuntur, uel exhortantur, à simplicibus
uerbis recedentem, ad tropos inauditos confugeres?
Sequela, inquit, docet hominem omnia seruare posse
suis uiribus. Hæc est Lutheri sequela. Imò sequitur,
hominem posse cum auxilio paratæ gratiæ, & homi-
nem legis uiolatorem iure plecti, per cuius uolunta-
tem steterit, quo minus potuerit seruare. Verum ali-
ter non poterat suum dogma tueri, quod absurdum,
absurdioribus tropis ac sequelis defendit. Quis sensus
communis sic interpretatus est, eum nihil agere ut fi-
at pater, cui ducta uxore data est potestas, ut fiat pa-
ter? Tales igitur tropos, tales sequelas recipiemus, cæ
tera reijciemus. Si sensum communem, quo Lutherus

exponit scripturas, deus creauit in oĩbus hominĩbus sanæ mẽtis, qd dicemus de tot milibus eruditorũ hominũ, qui secus interpretãtur scripturã, q̃ Lutherus?

137 Verũ audiamus quod adfert exemplũ regulæ, quam modo nobis præscripsit. Sed interim amoliar calũniæ crimẽ, quod impingit meæ Diatribæ. Negat se meminisse, ubi sit tam uiolenta scripturarũ usus tractatione, extende manũ, id est, gratia extendet, & facite uobis cor nouũ, id est, gratia faciet uobis cor nouũ. Licet inqt, Diatriba publico libello me sic traducat tropis scilicet & sequelis distenta, & illusa, ut non uideat quid de quo loquatur. An Lutherus hic uidet quid de quo loquatur? Quũ in principio disputationis nominarim autores sentẽtiarũ quas reijcio, deinde quas in medio relinquo, postremo cũ qbus certamen ineo, quo sensu cõmuni Lutherus rapit ad se qcquid ibi dicitur? Certe Carolstadiũ cuius illa sunt in ingressu nominaram, hic nullius nomẽ ædo, quo quisq; quod suũ esset agnoscceret. Si erat hoc alienum, quur alieno tacto hulcere, uociferatur ipse? Et homo tenere cauens famæ suæ queritur se traduci, si dicatur ad hunc modum interpretatus scripturam, quum habeat multo his duriora de fabro & securi. Et interim ignoscit sibi, quod me toties appellat atheon, Epicurum, blasphemum, irrisorem sacrarũ scripturarum. His enim talibus sibi festiuus non cõtumelioſus uidetur. Quem obsecro

obsecro locum hic habebat, Non uidet quid de quo loquatur? Et addit lepidum iocum, tropis scilicet & sequelis distenta & illusa. Quis non uidet hæc sine mente scribi, nec agere Lutherum quum hæc scribit, sed agi spiritu quodam maledicentiæ? Si non meminit, an hæc scripserit, quur impingit Diatribæ falsi crimen? Perinde quasi quis intendenti furti crimen respondeat, non memini me furtum istud admisisse, proinde tu me falso insimulas. Qui negat se meminisse, propemodum agnoscit quod obijcitur. Itaque ridicule Lutherus criminatur Diatribam, quum fateatur se dubitare scripserit talia nec ne. Nunc etiam si certum sciret se nihil istiusmodi scripsisse, tamen impudenter ad se rapit, quum in Diatriba cum pluribus agam, q̃ cum uno, nec Lutherum usquam appellem, quẽadmodum hanc totam conuiciorum farraginem ad me nominatim scripsit in gratiam sodalium & sophistarũ. Sed audiamus molliorem interpretationem. Hæc uerba, extende manũ, uerbis simpliciter ut sonant acceptis, seclusisq; tropis & sequelis, nihil aliud significant, q̃ quod exigitur à nobis extensio manus, significaturq; quid facere debeamus, ut est natura uerbi imperatiui apud grãmaticos & usum loquendi. Imò si Lutherus excludit omnes tropos, non præcipitur actio, sed tantum porrectio manus, quum in agendo toto corpore sit opus. Iam quum ad dei proximiq; charitatem

non sit opus extensione manuum, sed affectu cordis, secluſis omnibus tropis locus hic non pertinebit niſi ad ea præcepta, quæ ſolent una manu peragi. Verum hactenus tropum recipit, ut excludat ſenſus abſurditatem, ſed nihilo minus abſurdum eſt, quod Lutherus à ſimplicitate uerborũ recedens ſuis tropis interpretatur. An usq; apud grammaticos (nam hos appellat iudices) merces ſignificat euentum, nulli merito debitum? An apud ullos literatores meritum ſignificat ꝓmiſſionẽ doni? An quærere uitã, ſignificat eſſe in uia quæ tẽdit ad uitam, quũ ipſe uitã non quæras, ut iam homo pie uiuens nihilo magis dicatur quærere uitam æternam, q̃ ſecuris quærere Romã, quæ geſtatur abs quopiam in uia quæ perducit Romam. Et hi ſunt tropi Lutherani, hæ ſunt ſequelæ, quas nobis obtrudit in uitis grammaticis, reclamante ſenſu communi. Et ad hos tropos has ſequelas torquet, non tria quatuorue ſcripturæ loca, ſed uniuerſam prope ſcripturam ſacram. Lex humana dicit, Liberi parentes alant, ni fecerint, uinciantur. Vrge ſenſum grammaticũ. Quid præcipit lex? tantum ut detur cibus ac potus. De tecto, de ueſtitu, cæterisq; uitæ neceſſariis nulla mẽtio. Verum ſenſus communis intelligit præcipi liberis, ut parentibus deſtitutis ſuppeditent, quicquid ad uitam tuendam pertinet. Et ſi forte defuerit unde id faciat filius, ſenſus communis interpretatur, hoc quoq; legem

gem præscribere, ut uel industria uel amicorum ope paret sibi, quo parenti subueniat. Obijciũt declamationũ scholæ de infante in uincula conijciẽdo, q̃ parentẽ non aluerit, uerum sensus hominũ communis interpretatur legem non minari uincula liberis, qui nullo modo possunt præstare quod imperat. Item sensus cõmunis colligit legislatorem hoc uelle fieri, quod præscribit. Nihil horũ Lutherus recipit in præceptis dei, sed tantum occinit nobis, uerba imperatiua, optatiua, & subiunctiua non declarare quid possit homo, sed quid debeat, uehementer ipse discrepans à sua lege, qua nobis præscribit, ne discedamus à uerbis simplicibus, & sensu communi, nisi euidens absurditas cogat ad tropos confugere, ipse quo excludat sensum uerborum simplicem, cum sensu communi congruentem, comminiscitur tropos & sequelas prodigiosas: nec hoc contentus, affingit Diatribæ meæ sequelas, quas nunq̃ somniauit, Extende manum tuam, id est, potes ui propria extendere manum. Facite uobis cor nouum, id est, potestis facere cor nouum. Credite in Christum, id est, potestis credere, &c. Et ob has sequelas, quas ipse de suo capite pro suo fingit arbitratu, miris conuitijs flagellat Diatribam, cæcam, ebriam, stertentem, oscitantem, stupidam, sui oblitam, quum Diatriba non aliud colligat ex imperandi uerbis, q̃ nonnihil esse situm in nostra uoluntate, ut gratia dei

in nobis

in nobis non sit inanis, excludaturq; mera rerum ne/ cessitas. Sic ratiocinatur Augustinus, cui solet defer/ re Lutherus, & cuius opinionẽ se iactat sequi, & ma/ le audit Diatriba, quasi prima tales commenta sit illa/ tiones. At dissimulat interim, quibus modis tractat ipsum Ioãnes Roffensis episcopus, qbus alij cõplures. Sed uisum est illi catũ consilium, bilem omnẽ, omnes sales in Diatribam effundere, haud cogitãti qualẽ ar/ tificẽ prouocasset, si mihi libuisset par pari referre.

838 Verũ reperit nobis alium nodũ, quo stringat Pro/ teũ. Nam hac facetia mire delectatur, Empusa uerius q̃ Proteus. Proteus enim uehementer constrictus ædit uera, Empusa nihil aliud est q̃ Empusa, uanũ et inane spectrũ. Nõ satis est inquit, dicere, potest esse tropus, demonstrandum est necessarijs argumentis inesse tro/ pum. Age, quum extra cõtrouersiam sit in sacris lite/ ris innumerabiles esse tropologias, quẽadmodũ Luthe/ rus à nobis exigit, ut demõstremus argumẽtis necessa/ rijs inesse tropum, uicissim exigemus ab ipso, ut tali/ bus argumentis doceat non subesse tropum. Obijciet nobis simplicẽ literã, à qua nefas sit recedere, nisi co/ gat euidens absurditas. Primum hoc quod assumit ma/ nifeste falsum est, Alioqui quod dicitur in precatione dominica, Panem nostrũ quotidianũ da nobis hodie, iuxta literam simplicẽ nihil à deo petimus nisi panẽ, quũ ipse etiam Lutherus fateatur nomine panis cõti/ neri

neri quicquid ad uitæ neceßitatẽ pertinet. Hic habes protinus tropũ, ad quẽ fortaßis aliqua cogit neceßitas. Sed quæ neceßitas cogit, ut ſub nomine panis intelligamus gratiã ſpiritualẽ, et corpus dominicũ? Atqui hũc ſenſum Lutherus putat eſſe præcipuũ, nec in hoc diſſentit ab orthodoxis. Habes alterũ tropum, ad quẽ nulla compulit abſurditas. Verũ hic ſuæ cauſæ ſeruiẽs alias præſcribit leges. Iam oſtẽdi ſenſum euidenter abſurdũ, et abhorrentẽ à ſenſu cõmuni, nec ferendũ pijs auribus, redegiſſe nos ad tropi refugiũ. Quis enim ferat deũ ſumme bonũ, indurare cor regis, ut per illius exitiũ illuſtraret ſuã gloriã? Verũ Lutherus negabit hic eſſe ſenſum abſurdũ, quanq̃ ita uiſum eſt nõ ſolum cõmuni ſenſui, uerũ etiã eccleſiæ proceribus ac populo, idq; ut doceat cõfugiet non ſolũ ad abſurdißimos tropos, uerũ etiã ad deũ non prædicatũ, cuius uolũtatẽ iubebit adorari, uetabit inqri: nec amẽ hoc docere dignatur argumẽtis neceſſarijs, an hic ſit locus uoluntati adorandæ, quum à nobis exigat, ut neceſſario demõſtremus in ſcripturæ uerbis eſſe tropũ, interim excluſa ueterum omniũ orthodoxorũ autoritate, quam nobis ne tantulũ quidẽ uult in cauſa ſuffragari, quum ipſe Huſſos & Vuycleſos citet autores. Proinde ſi largimur uni Luthero parem cum omnibus Eccleſiæ doctoribus interpretãdi facultatem, nihilo ſecius duplici nomine reddetur anceps autoritas ſcripturæ,

neq;

neq; quicq̃ nobis profuerit Lutheri regula, etiam si uera foret. Primum enim erit controuersum, an locus requirat tropum nec ne, & an euidentem habeat absurditatem, ut ad tropologiæ præsidium oporteat cõfugere: deinde si tropus conceditur, ambigetur hic an ille tropus sit admittendus. Nam & hinc non infrequens est inter interpretes dissensio. Postremo si Lutherus hærens in uado quæstionis, confugiet ad arcanam uoluntatem, an audiendus erit? Quis igitur erit controuersiæ finis? Quis? Vt aut miraculis comprobemus tropum nostrum, aut certissimis argumentis. At miracula potius exigenda sunt ab his, qui paradoxa proferunt aduersus omniũ seculorum consensum. Quanq̃ & miracula patent calumniæ, sed quæ tandem argumenta sunt certissima? Quid enim est tã certum, quod Lutherus non reijciet, si causæ ipsius refragetur? Si nos destituimur, meminerit ipse præstare quæ nobis præscribit. Cõmonefacit hic denuo me pacti, quod tale est interim, ut omnes intelligant, me legibus iniquissimis contendere cum hoc homine, uidelicet, ut mihi ne tantulum quidem prosit, quicquid ecclesiæ probatissimi doctores, quicquid scholæ theologorum, quicquid synodi quamuis generales interpretatæ sunt ac definierunt. Qui has leges recipit, commodus est cõcertator: qui exigit ac præscribit, etiam si uincat, non uidebitur uicisse, nihilo magis, q̃ si quis

pugnet

pugnet cum exarmato, ipse suis armis undiq; muni/
tus. Verum magis ingenuum est, quod hic sine fuco
pronunciat, inter Ecclesiasticos scriptores nullos ine/
ptius aut absurdius tractasse sacras literas, q̃ Orige/
nem & Hieronymum. Nam toto hoc libello sub titu/
lo Diatribes impie debacchatus est in sacros Eccle siæ
doctores. Hic tropus uisus est illi perquàm festiuus.
Sed interim oblitus est præscriptæ legis, quæ conce/
dit ad tropos confugere, quoties submouet nos à lite
ra sensus absurditas, Hic non patitur, sed confugit ad
deum non prædicatum. At nondum audimus dei ful/
mina, fumos ac tergiuersationes mere sophisticas au
dio. Facit ex proloquio singulari, generale. Deus hic
dicitur ingrauasse siue indurasse cor Pharaonis, eo q̃
non statim punierit illius malitiam, ergo quoties de/
us dicitur parcere peccantibus, indurat eos: quoties
affligit, miseretur. Quod aliquot locis peculiare est,
non oportet ad uniuersam scripturam detorquere.
Quid igitur agit Lutherus? Deum nusq̃ misericordi/
ter affligere? Quid uero est quod ait sapiens Hebræ/
us? Quem diligit dominus, castigat: Flagellat autem
omnẽ filium quẽ recipit. Quid est quod minatur apud
Osee deus, Non uisitabo sup filias uestras, quũ fuerint
fornicatæ? Deus non uno modo profert in nos suã mi
sericordiam, aliquando rebus lætioribus consolans,
interdum afflictione castigans. Idem non uno modo

profert

profert iram suam, interdũ terribiliter puniens, quod meruit Sodoma & Gomorra, interim peccatorẽ suis relinquens affectibus. Nihil igitur ad rem faciunt illationũ portenta, quæ hic somniat Lutherus, quasi si hæc recipiatur interpretatio liberũ sit cuiuis, qduis, quouis modo interpretari. Et tamẽ exempla quæ proponit, paulo minus absurda sunt q̃ ea quæ nobis interpretatur Lutherus, meritũ est promissio, merces est sequela, quærere est esse in uia, sic tamẽ ut non quæras, Pharao indurat sese mea lenitate, Deus indurat cor nostrũ, id est, nos ipsi induramus nos, deo pœnas differẽte, &c. Vbi est hic illa prodigiosa absurditas? Quasi non legamus Exod. 8. Videns autem Pharao, q̃ data est requies, ingrauauit cor suum. Vnde Augustinus ad Valentinũ de libero arb. non ueretur dicere, Deus indurauit per iustum iudiciũ, & ipse Pharao per liberũ arb. Iam mea Diatriba nõ sic ineptit, sed ita loquitur. Nunc utroq; uertibili uoluntate conditus, suapte sponte deflexit ad malũ, dum suo animo malu t obsequi, quàm dei iussis obtemperare. Hac aũt Pharaonis malitia deus abusus est in suam gloriã & ad salutem populi sui, quo magis perspicuũ esset, homines frustrà conari, qui dei uoluntati resistunt, quẽadmodum prudens rex aut paterfamiliâs sæuitia quorundam quos odit, tamen ad puniendos improbos abutitur. Ad hũc modum mea Diatribe.

Quid

Quid aũt abſurdi eſt, ſicubi deus miſereri dicitur, 141
quũ flagellat, ut conuertat pœnitentẽ, quum etiã pijs hominibus dictus ſit tum miſereri, quũ peccatorẽ deploratũ mittit in gehennã, ne diutius uiuẽs grauiorẽ ſibi dãnationem accumulet? Quid aũt neceſſe eſt, ut ſi deus uno alteróuc loco in ſcripturis dicatur indurare differens pœnã, aut miſereri pœnã ſtatim infligens, protinus ubiq; afflictionem uocemus miſericordiam, bonitatem indurationem? Siquidem Lutheri ſequela ſic habet. Igitur quantum ad deum attinet, ipſe perpetua bonitate nihil aliud facit, quàm quod indurat: perpetua correptione nihil aliud facit, quàm quod miſeretur. Si ex particulari recte colligitur uniuerſalis, quum demõſtratum ſit in ſacris literis eſſe miſericordem afflictionem, & iratam parſimoniã, fruatur Lutherus ſuo ſyllogiſmo. A nobis tale nihil dictũ eſt, huius loci ſenſum ex circũſtantijs ueſtigamus.

Iam pinde quaſi hoc ſit ꝓbatũ, in ſacris literis affli- 142
gere nihil aliud ſignificare, q̃ miſereri, et indurare nihil aliud q̃ parcere, miris ineptijs laſciuit, ac ſibi magnope placet. Ne reſpondeã ad omnes hominis ocioſi nænias, Deus ille prædicatus, nunq̃ affligit hominem in hac uita, niſi ut aut illum reuocet ad pœnitentiam, aut gehennæ pœnam imminuat. Nũq̃ immittit læta, niſi ut homines ad agnitionem diuinæ bonitatis inuitet. Sed boni tum bonitate tum ſeueritate dei

utuntur

utuntur in suum bonum, mali utroq; in suum malum abutuntur. Vt ita fiat, deus in culpa non est, sed penes illos est culpa, qui gratiã pulsantem auersantur. Pulsat afflictionibus, pulsat prosperitate rerum, pulsat indulgendo spatium pœnitentiæ, Miseretur igitur affligens bonos ac sanabiles, indurat affligens insanabiles & auersos. Consolatur bonos, admiscens læta tristibus, indurat malos, indulta rerum prosperitate. Nec hic opus est ad arcanam dei uoluntatem confugere, quum ratio constet, quur illi reddantur meliores, hi deteriores. Potest quidem deus uim facere uoluntati humanæ, ac perpellere quò uelit. Verum hoc generaliter non facit, sed adhibet pulsantem gratiam, quam si nostra uolũtas amplectitur, sequitur misericordia, quanq̃ hoc ipsum pulsasse misericordiæ est. Sin auersatur, per occasionem indurat dei bonitas. Pulsauit deus Pharaonem utroq; modo, scueritate plagarum, & facili remissione malorum immissorum. Fateor. Et indurauit utroq; modo, dans occasionem, qua sciebat illum fore deteriorem. Non tamen illi immisit malam mentem, sed malitiã impij regis exercuit atq; abusus est ad suam gloriam. Siue igitur deus immittat tristia, siue læta, malos indurat, nisi addat gratiam. Pulsantem seu præparantem gratiam, deus nec bonis negat, nec malis, dum in hac uita sunt. Iam qui auersatur, quoniam abutitur arbitrij libertate, suo merito

non

non accipit gratiam iustificantem, qui pulsantem rep
pulit. Nam quod interim obijcit probabilem opinio 145
nem, liberum arbitriū nec uelle bonum absq; gratia:
Iam toties distinxi uelle efficax ab inefficaci, toties ad
monui, me inter disputādum non respicere unam opi
nionem, sed hoc agere ut excutiam improbatas sen/
tentias. Pharao cœperat resipiscere, unde hoc uelles?
Non à gratia iustificante, sed à pulsante. Quod si ibi
uim liberi arbitrij applicuisset ad actum gratiæ, suc/
cessisset altera gratia. Iam si roget aliquis, Quur
deus non omnipotenti uoluntate sua inuertit cor
Pharaonis quum posset? Respondeo, quoniam scie
bat illum magis indurandum, & illius mala me/
rita præcesserant, quur suæ maliciæ relinqueretur,
quemadmodum tradidit philosophos in reprobū sen/
sum, qui dono cognitionis quo inuitabantur ad cultū
& amorem ueri dei, abusi sunt ad suas cupiditates.
Assumit igitur Lutherus liberum arbitrium nihil pos
se sine gratia nisi in malū, & hinc colligit quod uult,
non distinguens liberum arbitrium peccatis obrutū,
à liberato, nec distinguens gratiam pulsantem à iusti
ficante, nec distinguens non posse, à simpliciter non
posse. Sed deus inquit, dat gratiam quibus uult, illius
igitur uoluntas in causa est ut ijsdem rebus alij cōuer/
tantur, alij indurescant. Sine dei uoluntate nihil fit,
fateor, sed generaliter illius uoluntas pendet à nostra

uoluntate. Ideo uoluit indurari Iudam & Pharaonẽ, quoniam illi gratiam pulsantem neglexerunt. Hanc dicimus nulli deesse, & si cui deest, tradito in reprobum sensum, merita præcesserunt, quæ non habent originem nisi ex libero arbitrio. Cæterum ubi nihil est nisi natura, nullum est meritum, Vbi nihil nisi meranecessitas, nullum est meritum, multominus ubi nulla est hominis actio, quod docet Lutherus, nisi forte meritum tribuimus securi, qua faber est usus.

144 Vt autem reijciat similitudinem de cera et limo, quorum hic indurescit sole, illa liquescit, uult in omnibus hominibus eundem esse liberi arbitrij modum. Quis hoc illi largietur? Vt intellectus purior est in his qui non sunt cupiditatibus, & luxu obruti, ita uoluntas propensior est ad bonum, & sanabilior in his qui simpliciter errant, ac morales uirtutes exercent pro sua uirili, quàm in his qui diutina consuetudine uitijs indurauerunt. Proinde cera est animus simplex & facile capax gratiæ, limus est animus ferox, & exultans iam in rebus peßimis: neque nos facimus duo ingenia ex uno libero arbitrio, sed diuersas circunstantias adhibita similitudine declarauimus, nisi forte Lutherus tam rudis est collationum, ut quoniam res unde similitudinem petimus substantia diuersæ sunt, oporteat & liberum arbitrium esse tota natura diuersum. Eadem est natura corporis humani,

humani, tamen huius corpus si morbus inciderit, facile remedio leuatur, illius adhibitis pharmacis perit. Quid in causa? Alter sobrio moderatoq; uictu, reddidit sibi corpus remedij capacius, alter luxu cæteriſque uitijs reddidit immedicabile. Pharmacum admotum utrique est, huic profuit, illum occidit. Sed aliud incommodum adfert, Si indurationem inquit, & conuersionem ascribimus libero arbitrio amplectenti gratiam, aut refutanti, nulla est dei electio. Deus autem spoliatus eligendi uirtute ac sapientia, quid erit, nisi idolum fortunæ, cuis numine omnia temere fiunt. Et tandem eò uenietur, ut homines salui fiant & damnentur ignorante deo, ut qui non discreuerit certa electione saluandos & damnandos, sed oblata omnibus generali lenitate tolerante & indurante, tum misericordia corripiente & puniente, hominibus reliquerit, utrum uelint, salui fieri, an damnari, ipse interim ad conuiuium Aethiopum profectus, ut Homerus dicit, Hos insulsos ac blasphemos hominis iocos inuitus in hoc recenseo, quo declarem quibusdam nimium addictis homini qualem habeant euangelistã. Quum nos ubique cõiungamus in bonis actionem liberi arbitrij cum auxilio principali gratiæ, qui fieri possit ut homo seruetur damnetur ue ignorante deo. Aut qui deus nihil aliud futurus sit quàm idolum fortunæ, cuius æterna sapientia

moderatur uniuersa? Quemadmodum illius præscien
tia, destinatio, uoluntas, non officit generaliter libero
hominis arbitrio, ita nec electio. Paulum elegerat ad
prædicandum inter gentes euangelium, & elegerat
ab æterno, electum suo tempore uocauit, uocatum in/
struxit gratia, instructum auxit, & tamen ille loqui/
tur, Non ego, sed gratia dei mecum. Et gratia in me
uacua non fuit, & plus omnibus laboraui, & bonum
certamen certaui, cursum consummaui.

Proximum caput nihil habet nisi similes blasphe/
145 mias, & recinitur illud toties reiectum mendacium,
me tribuere libero arb. totum absq; gratiæ præsidio,
quum proposuerim liberum arb. ne uelle quidem effi/
caciter bonum absq; gratia. Et perinde quasi iam feli
citer exploserit Origenis interpretationem, redit ad
suum dogma, liberum arbitrium esse regnum satanæ,
ac mera necessitate geri omnia, alioqui deus non esset
deus. Nec interim meminit hæc omnia recidere in sa/
cros ecclesiæ doctores, magis quàm in meam Diatri
bam. Quorum omnium consensum pili non facit, quin
ipse non solum ingerat nobis interpretationes suas,
uerum etiam arbitratu suo præscribat orbi leges ad
quas oporteat exponere scripturas. Quærit à me,
Quis dedit Origeni, Hieronymoq; autoritatem sic in
terpretandi? Imò quis dedit Luthero autoritatẽ præ/
scribendi tales exponendi leges? Primum mendaces,
deinde

deinde manifesto falsas: Postremo quas nec ipse ser-
uat qui præscribit. Negat à littera recedendum, nisi
talis sit in uerbis absurditas, ut pugnet aduersus arti-
culum fidei, & arbitror si quis urgeat, eum sic defini-
turum articulum fidei, utcunq; uidebitur esse causæ
quam agit commodum. Quæ necessitas adegit Pau-
lum, ut historiam de filio Agar & filio Saræ trahat
ad tropologiam? In sensu historico nihil erat absurdi,
nec aduersans articulis fidei. Toties legimus deum
iratum, furentem, pœnitentem, quis articulus fidei læ-
ditur, si credamus hos affectus uere in deo esse? si qs
respondeat impium esse deo tribuere affectus huma-
nos, respõdebo iuxta Lutheri regulam, me quod ex-
pressum est in sacris litteris tenere, nihil absurdum es-
se, sed ita uideri carni, non esse scrutandum quomodo
deus irascatur aut pœniteat. Quis hic me coget tro-
pum recipere? Ad hæc quas tropologias nobis Luthe
rus inuexit in explicandis decem præceptis, Item in
psalmos, ubi simplex oratio nõ habebat euidentem ab
surditatem? Fidei articulũ fortasse uocabit, quicquid
expressum est in sacris litteris. At in his uerba uerbis
crebro pugnare uidentur, quemadmodum iam demõ
stratum est. An igitur in his quæ lædũt causam ipsius
inuehet tropologias ex animi sui sentẽtia, in alijs quæ
in speciem conducunt ad causam, reijciet omnes tro-
pos, & si hæret in absurditate explicanda confugiet

ad arcanam dei uoluntatem? Et hæc qui facit, uidetur sibi disputare, si superis placet, & triumphum adornat, quasi difficile sit cuiquam ad istum modum uincere. His legibus uel Pygmæus deijciet gigãtem. Quæritur non seruari pacta, qui recensuerim Origenis interpretationem. Si nullam recipit interpretationem, quur ipse tot inauditas interpretationes comminiscitur ubicunque commodum est? Si recipit, quũ pari mecum iure contendat, quur meam recepturus, reijcit Origenis ac Hieronymi? Quanquam & Augustinus, & Theophylactus & Chrysostomus hactenus consentiunt cum Origene, ut ab homine submoueant necessitatem absolutam Lutheri, neque confugiunt ad arcanam illam ac tantum adorandam uoluntatem. Et si Chrysostomo credimus, non ideo Paulus dicit, ò tu homo quis es qui respondes deo, quo submoueat à quæstionis solutione, sed ut retusa hominis curiositate, paret illum magis docilem ad quæstionis solutionem, eo quod in hoc genere quæstionum multa incidunt, quæ non percipiuntur nisi à pijs: multa item quorum ratio nulla reddi potest, quorũ exemplum tale profert Augustinus: multi infantes Christianorum citra culpam parentum, decedunt absque sacramento baptismi, & eunt in gehennam, ueluti qui pereunt in utero materno, aut in ipso partu, nonnulli Iudæorum aut paganorum infantes, sublati furto à Chri-

to à Christianis, & clàm baptizati, si decesserunt eũt in uitam æternam, Quur hoc deus fieri permittat, negat esse nostrum inquirere. Iam si tantum Origenis citassem sententiam, queri poterat se grauari hominis autoritate. Nunc recenseo collationem locorũ, quæ Augustino autore, optima est exponendi scripturas ratio, adfero causas absurditatis, quæ mittit ad tropum, ostendo congruentiam interpretationis cum his quæ præcedunt & sequuntur. Itaq; fingat si uolet esse meam interpretationem, & desinat queri de sacris ecclesiæ doctoribus. Accedit igitur ad excutiendas causas à Diatriba citatas, ob quas hic ad tropum confugerint orthodoxi. Abhorrẽt aures Christianæ, abhorret sensus cõmunis, ut dicatur deus natura bonus immittere maliciam in cor hominis, aut certe addere maliciam, quod ne iusti quidem hominis uideri queat. Ad hæc ita Lutherus. Hæc absurditas in quem peccat articulum fidei? Respondeo. Si fidei articulus est, quicquid expressum est in sacris litteris, hæc absurditas pugnat cum illo, Iustus es domine & rectum iudicium tuum, pugnat aduersus illud, Et misericordiæ eius non est numerus. Quod absurdum esset in homine rege, multo absurdius est tribuere deo. Habes articulum fidei, cuius exempla sexcenta proferre cuiuis procliue sit è sacris uoluminibus. Si hæc absurditas non uidetur idonea causa, quur

ad tropum confugiamus, impudenter facit Lutherus ad tropos confugiens, nõ ut absurditatẽ uitet, sed inue hat, nimirum quum interpretatur meritum promissio nem, mercedem sequelam, quærere esse in uia, agere, id est, agi more securis. Quur ibi nõ dicebat, hæc sunt uerba dei clara dilucida, non recipio tropum, quod dictum est mordicus teneo. Si dicerem hanc absurdi tatem pugnare cum omnium orthodoxorum totiusq; ecclesiæ Catholicæ decreto, forte mouerem homini cachinnos. Habes ad articulum. Aut quis inquit, hac offenditur absurditate? Ratio humana offenditur, quæ cum in omnibus uerbis & operibus, cæca, surda, stul ta, impia & sacrilega est, hoc loco adducitur iudex operum & uerborum dei, ita Lutherus. Euge ut sui similis est noster hyperbolus. Ita ne in omnibus factis ac dictis dei, cæca surdaq; est humana ratio etiam san ctorum? Quis igitur spiritus hoc arcanum patefecit ipsi? si usq; adeo nihil uidet humana ratio, quur Pau lus philosophis Ethnicis tantum tribuit, ut dicat illis inuisibilia dei ex rebus conditis intellecta fuisse, usq; ad cognitionem sempiternæ deitatis. Et hanc rationẽ Paulus appellat dei reuelationẽ, orthodoxi interpre tantur lumen uultus diuini, quod ipse in nobis signa uit, quod omnes fatentur peccato primorum parentũ obscuratum, extinctũ nemo nõ negat. Ad quid ualuit illis ratio? ut sint inexcusabiles. Gratia pulsans erat, ea di

ea diuinæ potentiæ, sapientiæ, bonitatis cognitio sed liberi arb. erat, quod oblatam gratiam negligebant. Si nulla gratia fuisset oblata, uideri poterant excusabiles, Nunc oblata est gratia, cui si acceßisset uolun tatis humanæ studium, gratia gratiam, iuxta proucr biũ, peperisset. Euoluat qui uolet, quæ Socrates, quæ Stoici, quæ Peripatetici, quæ Epictetus, de fine boni, de recte uiuendo tradiderunt, & neget humanam ra tionem in omnibus esse cæcam, stultam & impiam. Pergit hyperbolizαρ. Hoc inquit absurditatis prætextu, negabimus omnes articulos fidei, Christum esse deum & hominem, esse uirginis filium, resurrexisse à mortuis. Fortasse uerum diceret Lutherus, si illa paradoxa nobis talis autor talibus argumentis propone ret, Nunc miracula prophetiæ, exhibitio repromisso rum, euangelica scriptura, sanguis martyrum, autoritas apostolorum, integritas doctorũ, totiusq; eccle siæ consensus nobis persuaserunt hæc esse certißima. Nec tamen in his est quicquam absurdi, etiam si sunt multa paradoxa. Omnia declarant admirandam dei sapientiam, bonitatem erga nos ineffabilem. Hæc aũt absurditas impingit deo crudelitatis & iniusticiæ no tam. Quod si tantum à tropis sit periculi, quantũ fingit Lutherus, multo iustius metuendum est ab ipsius tropis, quos nec apud poetas, nec apud probos uiros inuenias. Desinat igitur res multum dißimiles uelut

pares inter se conferre. Promiserat nobis tonitrua dei. Nihil adhuc audimus nisi conuicia. Verum adhuc præludit, mox initiandis proferet mysteria.

147 κοκκύζει rursus, ut admittamus tropum, non tamen euitatur absurditas: Si liberum arbitrium sine gratia nihil potest, deo imputandum, qui gratiam alijs dat, alijs negat pro ut ipsi uisum est, nullo respectu meritorum, Si liberum arbitrium sine gratia potest omnia, multo est absurdius. Hoc quod Lutherus toties occinit, ne Pelagius quidem docuit, opinor. In principio propono tãtum opiniones orthodoxorum: nullam reijciens, ut mihi liberum esset in argumentando in auxilium uocare quam uellem. In fine demonstro quæ maxime placeat, sic tamen ut eas non damnem quas non damnauit ecclesia. Nusquam illam reperies quæ libero arbitrio totũ tribuat absq; gratia. Nec usquam dico liberum arbitrium nihil omnino posse, Sic enim habent uerba Diatribes. Mihi placet illorum sententia, qui nonnihil tribuunt libero arbitrio, sed gratiæ plurimum. Ac mox, Quur inquies, datur aliquid libero arbitrio? Vt sit quod merito imputetur impijs, qui gratiæ dei uolentes defuerint, ut excludatur à deo crudelitatis & iniusticiæ calumnia, ut excludatur à nobis desperatio, ut excludatur securitas, ut extimulemur ad conandum. Ob has causas ferè ab omnibus statuitur liberum arbitrium, sed inefficax

efficax absq; dei perpetua gratia ne quid arrogemus nobis. Dicet aliquis, quid ualet liberum arbitrium si nihil efficiat? Respondeo. Ad quid ualet totus homo si sic in illo agat deus, quemadmodum figulus agit in luto? His Diatribæ uerbis declaro liberum arbitrium aliquid agere, sed quod non pentingat ad æternam salutem, nisi præsidio iugi gratiæ. Augustinus iam senex in libris quos senex scripsit ad Valentinum plurimum tribuit gratiæ, nonnihil tamen libero arbitrio. Idem quum in ijsdem libris cõmemoret præparãtem siue pulsantem gratiã, quæ nondũ largiatur iustitiã, sed eò ꝓuehat, & huic tribuit bona quædam opa, sed imperfecta, minimum abest ab opinione tertia, quæ putat hominem naturæ uiribus huc usque per opera moraliter bona posse proficere, ut promereatur gratiam iustificantem, saltem iuxta congruum, hoc est, ut iam dei bonitas immensa, non neget quod ab ipso petitur.

Exagitat illud quod Origenes annotauit, deum nõ ita loqui, In hoc creaui te, sed in hoc excitaui. Excitauit autem præbita occasione maioris maliciæ. Vidit enim deus omnia quæ condiderat, & erant ualde bona. Hoc inquit Lutherus, dixit ante lapsum hominis: Sed mox tertio capite sequitur, quomodo sit homo, factus malus, desertus à deo ac sibi relictus. Rem nouam audio. Ergo nunc non sunt ualde 14

bona

bona quæ deus condidit? si satanas quatenus est dei creatura, ualde bonus est, quur homo simili ratiõe nõ posßit dici ualde bonus? Omitto quod hic dicit hominẽ à deo desertum, & ita lapsum in mortem. Imò potius deum deseruit homo per liberum arbitrium seipsum auertens à deo, quemadmodum & angeli mali desciuerant, unde & græcis apostatæ dicuntur. Hic nobis admouebit alteram machinam Lutherus, Peccatum originale, quod sic exaggerat, sic amplificat, ut nec gratia agẽs in homine posßit aliud operari quàm peccatum. Nascimur omnes filij iræ, quanquam ut ostendimus ibi Paulus uideri potest de mortalium inquinatis moribus loqui, & naturam appellat non conditionem, sed id quod nostrum est, hoc est nostræ uoluntatis, Verum fateamur omnes homines nasci filios iræ. Non tamen usq; adeo ualet peccatum alienum, ut nulla semina reliquerit in homine pietatis ac uirtutum, quum harum rerum semina nonnulla uideamus & in animãtibus brutis, ut in columbis ac turturibus casti coniugij, in elephantis religionis & pudicitiæ, in canibus gratitudinis, in asinabus pietatis erga fœtus, in apibus & formicis politiæ: in hoc tamen omnes referunt primos parentes, quod sentiunt in se procliuitatem ad peccandum, licet alij plus alij minus. Quis autem tribuit infantibus impietatem? Aut adolescentulis etiam probæ indolis nondum uitæ cõmercio contaminatis

taminatis? Non enim omnis culpa impietas est. Ea pronitas per baptismi gratiam non in totum tollitur, sed imminuitur. Pharao uas erat iræ, paratum in interitum, Natus immundus ex immundo semine, qui si nihil habuisset præter originis uitium, facilius auscultasset pulsanti gratiæ. Nunc consuetudo peccandi callum obduxerat. Atqui ea duricies primum à libero arbitrio profecta est, & per liberum arbitrium creuit in immensum. Non ausim tamen dicere quod non potuerit ad meliora conuerti, quum cœperit flecti, sed si non potuit ipse meritis præcedentibus causam dedit, ut traderetur in reprobum sensum. Abusus est igitur deus impij regis praua uoluntate ad puniendum similem regi suo populum, qui hospites Hebræos tam inclementi seruitute premi sustinuerit. Profertur & illud, iam pridem explosum ab alijs, omnia propter semetipsum fecit dominus, etiam impium ad diem malum. Neq; enim deus facit impios, alioqui dicetur oēs homines impios fecisse, sed uirum impium & insanabilem sic dicitur fecisse ad diem malum, quemadmodum uasa iræ præparauit in interitum. Si condidisset in interitum, nemo saluus esset, sed abutitur hominum impiorum malicia in bonum electorum. Nec est in nostris codicibus, omnia fecit dominus, sed operatus est, operatur autem & qui moderatur & gubernat. Sic autem deus moderatur præterita, præsentia, futura, bona

bona simul & mala, ut ex his admiranda quædam resultet harmonia. Septuaginta nobis longe alium sensum tradiderunt. Sic enim uerterunt: πάντα τὰ ἔργα τοῦ ταπεινοῦ φανερὰ παρὰ τῷ θεῷ, οἱ δὲ ἀσεβεῖς ἐν ἡμέρᾳ κακῇ ὀλοῦνται, id est, omnia facta humilis manifestata sunt apud deum, impij uero in die malo peribũt. Ineptum autem sit hic puerilibus gryphis argutari, Deum impios generare, at non generare impios. Deus ut omnium rerum summa causa, producit agitq; cũcta, in his & hominem, maliciam tamen nõ gignit in homine, Naturam gignit uitiatam, sed huius uitium non gignit, uerum id profectum est à Satana, & libero arbitrio. Lutherus autem hic fatetur à deo non gigni peccatum, quum aliâs fateatur deum & bona pariter & mala operari in omnibus. Et adhibet simile. Deus sic propagat naturam hominis uitiatam, quasi si bonus artifex ex inutili uitiatoq; ligno faciat statuas. Sed de ijs quæ πάρεργα sunt aliâs incidet diſſerendi locus. Aperit aliam rimam, Deus uidit omnia esse bona, at non dictum est, homo uidit & erant ualde bona. Imò hoc uidit propheta qui scripsit, Benedicite omnia opera domini domino. Quomodo benedicent domino, nisi bona sint. Ex turpibus operibus, non relucet artificis gloria. Vident igitur & homines omnia quæ fecit deus esse ualde bona, qa malorum autor deus non est. Afflictiones, incommoda di

da dici possunt, per se nec uere mala sunt, nec uere bona. Probabilius poterat Origenis annotationem reijcere, si dixisset deum illic loqui de rebus cõditis, & actione naturali. Iam peccatum est res præter naturam. Nihil enim magis pugnat cũ natura, quàm creaturam obsistere creatori.

Tandem confutatis tropis dignabitur nobis aperire quomodo deus dicatur ĩ scripturis indurare cor, tradere in reprobum sensum, seducere hominem, & in errorem trahere & seducere prophetam. Ad hoc assumitur ueluti confessum à ratione simul & à Diatriba, deum omnia in omnibus operari, ac sine ipso nihil fieri nec efficax esse. Ratio pro se respondeat, certe apud Homerum Iuppiter negat se esse causam malorum mortalibus, sed ipsos sua stultitia ruere in interitum, Pro Diatriba respõdeo, illam nusquam hoc dixisse, quod deus operatur omnia in omnibus, gratiam in omnibus bonis cooperari homini, professa est, Deũ in nobis mœchari, inebriari, mentiri, inuidere, occidere, nusquam neque sensit neque dixit Diatriba, quæ quanquam in aliquo sensu possunt uideri uera, tamen à talibus dictis soleo libẽter abstinere. Quare si nõ habet alias probationis bases, nihil aget apud Diatribam. Ne in hoc quidem conuenit, quod Lutherus ait, sic deum in nobis operari, quemadmodum faber 142

agit

agit securim aut serram. Paulus Acto. 12. probat Ethnici poetæ sententiam, In ipso uiuimus, mouemur & sumus, nimirum de naturali motu loquentis. Esse primum est naturæ fundamẽtum, uiuere proximum, moueri tertium, nisi moueri malis referre ad uegetabilia. Nam in fœtu animantis prior est motus uegetationis, q̃ uita animalis, cui adhæret motus, id est uitalis actio. Iã oportuit Luthe. distinguere generalẽ illã actionem primæ causæ in rebus conditis omnibus, à peculiari actione, de qua nos hic agimus, & de qua loquitur Paulus 1. Cor. 12. Et diuisiones operationum sunt, Idem uero deus, qui operatur omnia in omnib. Quanquam hoc loco operatur non est ἐργάζεται, sed ὁ ἐνεργῶν, quod magis sonat impulsum, & uim auxiliantem quàm operationem. Sic in amante agit amor, nimirum impulsu. Nec illic loquitur de quibusli bet hominum actionibus, sed de uarijs donis sancti spiritus, quanquam nec hæc sic aguntur in pijs, ut faber agit serram, quum Paulus dicat spiritus prophetiæ, prophetis ipsis subiectos esse, Sed potius ut sessor agit equum. Porrò locus Ephe. 1. quem perperam in assertione citat Lutherus, non agit de motu illo communi, sed de ui effectuq; gratiæ quam exercebat in electis. Nam & illic est uerbum ἐνεργοῦντος, Qui operatur inquit, omnia secundum consilium uoluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ eius. Eadem uox est ad

Philip

Philip. 1. Deus enim est, qui operatur in uobis & uelle & perficere, ὁ ἐνεργῶν, quæ uox significat pulsantem gratiam, sed audi uoluntatis libertatem pro bona uoluntate, quod græce est εὐδοκίας, quæ uox sonat liberum animi placitum. Sunt & aliæ loca apud Paulum, in quibus deus dicitur operari in nobis, sed in bonum, nusquam legitur operari blasphemias, cædes & adulteria in malis, etiam si frequenter ista permittit fieri. Arbitror iam discussa Lutheri tela priusquam prouolarint. Sed audiamus quid balbutiat. Nam profitetur se uelle balbutire & ineptire. Assumit & aliud hoc non minus impudens, æquat hominem lapsum satanæ, quasi utercq; sic sit auersus à deo, ut perpetuo conuersi ad suas cupiditates, nõ possint uelle bonum. Pro se respondeat satanas Luthero, Pro homine dicam: falsum est quod assumit, quũ Paulus in peccatoris hominis persona loquatur, uelle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Imò in huius sermonis ingressu, naturæ humanæ personã agit dicens: Ego autem aliquando uiuebam sine lege, &c. Residunt in hominibus honesti semina, ineptæ & nisus aliqs ac pronitas ad recta, licet in plerisq; maior sit ad diuersa procliuitas. Potest igitur & homo sine peculiari gratiæ dono, aliquousq; uelle bonum aliqd, sed illud bonum quod adducit ad felicitatem efficaciter uelle non potest, absq; principali gratiæ præsidio.

Totum autem ascribitur diuinæ bonitati, non quod homo nihil agat, sed quod à deo proficiscãtur omnia, quibus aliquid possumus, uolumus, agimus aut sumus. Nec est in homine malicioſa auersio à deo, quemadmodum in ſatana, ſed infirmitas potius eſt, quàm malicia: peruerſitas autem in nonnullis non tam eſt à natura, quàm à cõſuetudine parta peccatis, grauiora leuioribus accumulando. Sed Luthero nihil placet niſi hyperbolicum. Iam quantum uidemus diſcrimẽ in pueris, Quoſdam dicas ad omnem natos maliciam una cum lacte prauam mentem imbibiſſe, alios ad certa uitia propenſos, ab alijs abhorrere. Nonnullos mediocriter affectos, & ad uirtutem & ad turpitudinem. Quorundam indoles tam eſt ad uirtutem ſequax ac docilis, ut præcurrant, non ſequantur. Dicas ad pietatem, & ad omnem uitæ probitatem natos. Et hæc ſemina produnt ſeſe his etiam annis, quibus nondum ualent uſu ratiõis, ut intelligas à natura inſita, Siue hæc tanta inæqualitas proficiſcitur ex temperatura corporum, ſiue ex parentum aut nutricum moribus, ſiue aſtris, ſiue alijs ex cauſis nobis incognitis: certe à baptiſmo non eſt, quum is ſit omnium communis, & inter Ethnicos fuerit eadem ingeniorum differentia, nec à peccato principum hominum, quum hoc ex æquo pertineat ad omnes. Nihil horum diſtinguit

Lutherus

Lutherus, sed in malicia parem facit hominem satanæ, hominem rudem ac nondum in uitijs inueteratum, homini qui iam assiduitate peccandi hominis sensum exuit, & in feram, ut ita loquar abijt, qualis erat Pharao, de quo nobis hic erat institutus sermo. His argumentis subductis, quid colligit Lutherus? Sed colligit tamen. Quid? Satanas & homo natura impius, est tamen aliquid: & quum peccant, peccant autem semper, nec possunt non peccare, agunt aliquid. Deus autem ut prima causa generaliter agit in omnibus rebus conditis, siue bonæ sint siue malæ. Ita fit ut omnipotens illius motus, rapiens & agens omnia, agat in impijs quicquid perpetrant facinorum, quemadmodum & in satana, nec tamen illi non sunt impij quia secus agere non possunt, nec deus male agit, qui operatur omnia mala, Veluti si bonus eques, agat equum claudum, aut si bonus faber utatur mala securi, opus malum faciat, quum ipse bonus sit artifex. Quod si quid obstiterit impie agentibus, efferuescit impietas eiusdem dei motu. Hæc Lutherus. Habes quomodo deus operatur mala, & quomodo induret hominem, habes præclarum sophisma, non è diuinis libris, sed è philosophorum adytis petitum atque huc detortum, quanquam nec hic conuenit inter philosophos, nec

quisquam philosophorum ausus est falsis dijs ascribere mala opera. Atqui iam dictum est, nos hic non agere de uniuersali motu primæ causæ, iuxta quam cooperatur deus & adulteranti, & uenenum paranti, & occidenti, sed quatenus hæc operatur deus, mala non sunt. Sunt enim aliquid, & ijsdem finibus circunscribitur entis & boni cognomen. Ergo & iuxta philosophorum rationem falsum est, deum operari mala. Neq; quadrat hic equitis et equi cõparatio: equus bipes aut tripes non ambulat, claudus incommode quidem ambulat, ambulat tamen quò uult sessor. At Lutherus facit hominem equum in diuersa tendentem, quũ uult sessor, proinde magis congruebat equi retrogradi similitudo. Quãquam nec ea satis congruit dogmati Lutherano, qui dicit hominem in bonis nihilo plus agere, quàm agat securis in manu fabri, aut lutum in manu figuli. Rursus alius scrupus, Fatetur deum operari mala, negat tamen male agere. At hic fatetur fabrum male secare, si malam habeat securim. Quanquam hæc ut dixi non proprie faciunt ad id quod in manibus est. Si deus operatur quicquid agunt formicæ, ranæ, boues & asini, serpentes, pisces et uolucres, ignis, aer & aqua, angeli boni pariter ac mali, homines pueri, iuuenes, senes, probi improbi, quid noui legimus, quũ audimus, Indurauit deus cor Pharaonis, aut seduxi prophetam illum? Quoniam autem hæc paucis

paucis locis dicta reperiuntur, oportet aliquam peculiarem actionem designatam esse. Magna erat turba pseudoprophetarum ætate Pauli, non tamen dixit, quod deus illos seduxerit, sed spiritum erroris ait in eis operari. Quanquam apud Ezechielem 14. dicitur à deo seductus propheta, qui seducit uaticinio suo populum. Tropus igitur hic nõ actionem primæ causæ generalem, sed quiddam peculiare nobis innuit. Sequitur autem & aliud absurdum, Vt eundem hominem ad idem opus simul agat deus optimus ac dæmon pessimus, & eiusdem peccati duo erunt operatores, spiritus dei et spiritus satanæ operans in filijs diffidentiæ. Dicet aliud actionis genus, quo deus mouet uniuersa, & quo Satanæ spiritus agit impios. Missum igitur faciamus illum primæ causæ motum uniuersalem, ac de illa tractemus operatiõe spiritus, quæ opponitur operationi satanæ. Ad hũc gnomonem oportuit interpretari, Indurabo cor Pharaonis & similia.

Vides quàm nihil adhuc præstiterit eorum quæ su- 150
erat pollicitus, & tamen quasi iam euicerit, ipse sibi canit encomium. Hæc inquiens rata & certa sunt, Si credimus omnipotentem esse deum. Credimus, impiã esse creaturam dei non simplicer agnoscimus. Nec fatemur hominem hoc ipso quod natus est esse impium, abunde satis est, si fateamur illum excluſum à gratia filiorum dei, ob unicum peccatum, quod nec admisit

ipse nec admittẽdi dedit occasionem, præsertim si prognatus sit ab ijs quos Christi gratia iam ab eo peccato purgauit, etiamsi resident aliquod auitæ transgressionis uestigium, ad exercitationem pietatis, & custodiam modestiæ. Nunc mihi uide quàm hyperbolicus sit Lutheri sermo. Et tam inquit, non potest non furere, quàm non potest non cupere & quærere. Et tam non potest non cupere, quàm non potest non esse, quũ sit creatura dei, licet uitiata. Bis hic peccat Lutherus, Primum quod natura uitiata prona est in malum ex parte, interpretatur, quasi tota feratur ad impia, qđ longe secus habere iam demonstrauimus. Alterum quod fuco sophistico inculcat naturam hominis uitiatam esse creaturam dei, quum natura hominis quatenus uitiata est non sit creatura dei, nec in hac deus opetur malum quatenus malum est. Nã est & in peccando actio quædam & res natura bona, ut in adulterio, corpora, uisus, cõtactus, & amor. Verum hic generalis primæ causæ motus non explicat quæstionem quæ est in manibus.

151 Nondum audimus dei tonitrua. Nam hoc commentum hausit ex philosophia, quam toties detestatus est, quemadmodum & sophisticen, quum non aliò magis confugiat, quoties urgetur argumentis. Sed animaduertens nondum satis esse mollitum illud indurandi uerbum, adfert aliud commentum. Indurare inquit, est malum

est malum facere. Proinde deus non sic indurat quasi de nouo in nobis malum creet, perinde quasi caupo malus in uas syncerum infundat uenenum, ipso uase nihil agente. Sed deus inquit operatur in nobis, id est, per nos, mala, non suapte culpa, sed nostro uitio, quos natura malos actione sua rapit, quemadmodum operatur & in satana, licet nostro malo utatur bene. Vt dissimulem, quod ubiq; satanæ dissimilem causam, miscet cum causa hominis, Non enim satanam deus genuit malum, quemadmodum quotidie gignit homines malos & impios etiam, si Luthero credimus, Nec satanas ob alienum peccatum malus est, sed ex propria malicia, nec habet insita uirtutum semina, quemadmodum habet homo nascens, Si indurare est facere malũ, ut exponit Lutherus, & deus indurat, iuxta simplicem sensum & grammaticorum leges exclusis tropis, id quod hic agebat Lutherus, deus fecit Pharaonem malum. Neq; enim sol dicitur indurare silicem, quem durum repperit, sed limũ, quem mollem reppe rit. Verũ hic q nobis ob tropũ tã insolẽter insultabat, ad tropi præsidiũ cõfugit, exponẽs, quomodo debeat accipi, qđ deus ĩdurasse dicitur Pharaonẽ, Indurat in qt, hoc est, agẽs per illũ malũ, quẽadmodũ agit p uniuersas res, abusus est illius mala natura ad gloriã suã et salutẽ populi sui, quasi bonus artifex malo ĩstrumẽto malum faciat opus. Obijcit nobis Luthe. qđ tropis

ac sequelis satagimus, ut deum defendamus esse iustũ ac bonũ, uerũ ipse multo lõgius petitis tropis et collationibus hoc agit, ne uideatur bonus aut iustus. Nam deus non solum sapiens est & bonus artifex, uerum etiam bonus deus. Iam fieri potest ut bonus uir & idẽ bonus artifex, faciat opus imperfectum destitutus idoneis instrumentis, at quis diceret bonum uirũ qui malis instrumentis sciens fecerit opus, in quo nihil esset boni, qualia Lutherus fingit omnia hominis opera, nõdum per gratiam iustificati, imò per omnia malũ, ueluti si faceret testudinẽ, quam sciret ilico corruitura in capita inhabitantium, aut discum conficeret ex argilla uenenata, præsertim quum illi esset in manu mutare uel materiam uel instrumenta. Magis hic quadrabat collatio boni regis, qui malis spiculatoribus abutitur ad puniendos malos, aut defendendos bonos, Verum id non facit perpetuo, sed quoties res postulat. Nec est malum opus, quod rex per illos agit, sed bonum opus, licet illi peragant animo non bono. Nec sic agit per illos, quemadmodum faber per securim, sed quemadmodum herus per ministrum, qui & ipse operatur, licet impulsu domini. Hactenus igitur Lutherus tropum pepulit, sed alio tropo, ueluti clauũ clauo, pollicitus nobis simplicissimũ ac germanissimũ scripturæ sensum. Quanq̃ ne sic quidem poterit elabi Quũ ait indurabo, iuxta grãmaticos, nõ significatur præteri

præteritum, sed futurum, ut alterutrũ sit necesse, aut deum in illo genuisse nouam maliciam, aut ei quam repperit accessionem adiunxisse. Quantulum autem refert, utrum adferas morbũ, an adaugeas? sed omitto mentis habitum, certe quæ dicebat faciebatq; Pharao, erant actiones nouæ, quas deus in illo operatus est, ocioso & nihil agente, sed nihil aliud q̃ patiente iuxta securis & serræ parabolam. Nec subleuat Lutherum, quod deus naturam Pharaonis ab initio reperit malam, quũ illam ipsam naturam gignendo indurauerit, si Luthero credimus, quasi faber malis instrumentis, quæ ipse pararit, faciat malũ opus. Quod si hic confugerit ad primam massam peccato uitiatam, hoc ipsum primum peccatum sic deus operatus est in Adam, quẽadmodum operabatur in Pharaone, nimirum prima causa motu suo omnipotente rapiens omnia. Si dicat Adam peccasse subtracta gratia, tota calamitatis inuidia recidit in deum, qui præter culpã, Adæ subtraxerit gratiam. Hic cõfugiet ad arcanam uolũtatem, at nos negamus esse necesse, quum probabilius, & iuxta sententiam orthodoxorũ omnium, origo mali referatur ad liberum arbitriũ. Quã q̃ multa tradunt de statu primorum parentum, in quo fuerunt conditi, quæ certo doceri non possunt ex sacris literis. Verum hominem sic conditum legimus, ut esset illi liberum deflectere in malum si uellet, & hæ-

rere bono, si uellet. Legimus Euam à serpente circũuentam, sollicitatam pulchritudine pomi, Adam ab uxore fuisse seductũ. Quod deus ultro subduxerit illi gratiã, nõ legimus. Quod legimus tenemus, qd' affingitur reijcimus. Iam si uolũtas hominis nihil agit nec in malis, quid est quod aliquoties repetit Lutherus, Adam suæ uoluntati relictus? Ita ne uoluntas hominis erat condita mala, ut illi relictus, statim raperetur ad impietatem? Probabilius igitur est, eum dici relictum suæ uoluntati, quem deus passus est uti suo arbitrio, quum posset retrahere uacillantem. Hic existit alia quæstio, an Adam potuerit obsistere tentationi sine acceßione nouæ gratiæ. Verum præstat hoc agere quod est institutum. Adducit huc ex libris Regum, quod de Simei maledico dixit Dauid, Dominus præcepit illi, ut maledicat Dauid. Fatetur absurdum, si quis accipiat dominum præcepisse maledico, ut iustum inceßeret conuitijs. Itaque qui profitebatur se rem excluſis tropis explicaturum, hic rursus ad tropos confugit, immane quàm è longinquo petitos. Eò Dauid reßpexit inquit, quod deus omnipotens dixit & facta sunt, hoc est, uerbo æterno oĩa facit. Quàm durus hic tropus est, qui tamen non hic tantum habet locum, sed in omnibus sceleribus. Dominus præcepit, ut Phariſæi blaſphemias iacularentur in filium dei pendentem in cruce, præcepit ut lucifer

lucifer desciſceret à conditore ſuo, præcepit ut ſeduceret Euam, præcepit ut Dauid occideret Vriam, & uxorem corrumperet adulterio, præcepit ut Iudas oſculo proderet Chriſtum, præcepit ut milites illum indigne tractarent, præcepit ut pſeudapoſtoli & hæretici uexarent Eccleſiam dei, præcepit ut tyranni ſæuirent diris ſupplicijs & mortibus in diſcipulos Chriſti, præcepit ut hodie ſatanas non deſinat hominum animos ad turpia ſollicitare. Hæc ſi mollia ſunt, ſi ſimplicia, ſi ſenſui communi conſentanea, uicit Lutherus, etiamſi non ſine tropo. Sin coacta, dura & frigida, quid eſt quur ob hæc ab Eccleſiæ decreto recedamus? Verum quum hoc ſermonis genus non reperiatur in ſacris literis, niſi paucis locis, ubi deus abutitur malitia huius, aut illius, uel ad emendationem bonorum, uel ad punitionem malorum, uel ad aliam rem bonam, ne admiſceamus huic negocio generalem illam primariæ cauſæ actionem, ſed adferamus aliquid peculiare, ubi ſermo non eſt in genere, ſed de hoc aut illo proprie loquitur, Ego dominus ſeduxi prophetam illum, id eſt, paſſus ſum illum falſis prædicationibus decipere populum, ſic meritum. Ita fecit ſuos aberrare à recta uia, non reuocans illos afflictionibus, nimirum ſic commeritos, qui toties deum reuocantem ſpreuerant. Sic emittit ſpiritum in ora Prophetarum mendacem,

Sic tra-

Sic tradidit quosdam in reprobum sensum, uel ut ingraueſcens ac proditus morbus facilius corrigeretur, uel ut omnibus perſpicuum eſſet, illos iusto dei iudicio fuiſſe deſertos. Iam quum Lutherus fatetur, deum data occaſione Pharaonem induraſſe, nõ ita multum abeſt à noſtra ſententia. Hoc idem affirmant, quorum interpretationem retuli. Facere dicitur qui dat occaſionem. Verum hunc tropum in nobis irridet, quum ipſe utatur eodem, quanquam non in loco.

152 Nunc audi triumphum hominis. Hæc inquit, ſi per-
153 ſuaſimus, uicimus in hac cauſa, & excluſis tropis & gloſſis hominum uerba dei ſimpliciter accipimus, ne ſit neceſſe deum excuſare uel iniquitatis arguere. Audiamus igitur ſimplicem dei ſermonem excluſis tropis & gloſſis hominum. Indurabo inquit, cor Pharaonis, ſimpliciter loquitur, ac ſi diceret, Ego faciam ut cor Pharaonis induretur, ſeu ut me operante & faciente induretur, quod quo modo fiat audiuimus, Scilicet intus generali motu, ipſam mouebo uoluntatẽ malam, ut ſuo impetu & curſu uolendi pergat, nec ceſſabo mouere, nec poſſum aliter. Foris uero offeram uerbum & opus in quod impinget impetus ille malus, quum aliud non poſsit, niſi male uelle, me ipſum malum mouente uirtute omnipotentiæ. Audiuimus humanorum uerborum uolumen, uerbum dei ſine tropis & gloſſis non audimus, ſed pro gloſſis orthodoxorum

xorum audimus commenta philosophorum, et pro tropis mollibus ac receptis, & è proximo petitis, audimus tropos multo duriores, & ab ipsa usq; prædestinatione petitos. Sed cui dixit ista deus? Mosi. Vter deus, prædicatus, an non prædicatus? Vtiq; deus prædicatus. Nam ille alter non loquitur, sed tacitus agit quæ uult. Atqui deus prædicatus negat se quenq̃ indurare, sed uenisse seruãdis omnibus, nec usquam docuit se induraſſe Iudam, ut proderet dominum suum, aut Pharisæos, ut ad crucem adigerent agnum omnis expertẽ maculæ: Breuiter quicquid est malorũ ab ipso fieri, quum uoluntas hominis tantum patiatur & ad bonum opus & ad malum. Quod si Moses homo spiritualis sciebat deum esse primam omnium causam, & huius motu omnipotente fieri omnia, quid noui dixit illi deus, pollicens se induraturum cor Pharaonis? Quod si Moses nondũ intelligebat hoc arcanũ, nec populus apud quem nomine dei legatione fungebatur, ubi simpliciſsimus ille sermo, quem pollicebatur Lutherus arbitris grammaticis & sensu communi? An quisquã hoc ante Lutherum sic interpretatus est? Nec quisquam extitit in orbe, qui sensum haberet communem, ut grammaticum sermonẽ intelligeret? Si sciebat populus qđ docet Lutherus de motu omnipotente, nihil noui dixit deus: si nesciebat nec hũc sermonem tam non simplicem potuit intelligere. Quid

autem

autem sibi uult Lutherus, quum gaudens ut semp hyperbolis deum ita loquentẽ facit, Nec cessabo mouere, nec possum aliter. An deus non potest malitiã impij regis etiam absq; gratia cohibere si uellet, quẽadmodum fecit ut ignis refrigeraret treis pueros in fornace Babylonica? Non potuit non mouere, sed potuit aliter mouere, & potuit ibi sistere furentẽ. Quid dixi sistere? Potuit in nihilũ redigere. Quas hyperbolas, quos uerborum fumos obijcit nobis hic, qui repudiat omnia, præter simplicem sermonem dei. Tãdem uelut his quoq; diffisus aliò dilabitur, obiter admiscẽs prædictionis ac præscientiæ mentionem. Sic inquit, certißimus erat, & certißime pronunciabat deus, Pharaonem esse indurandum, ut qui certißimus erat Pharaonis uoluntatem nec motui omnipotenti resistere, nec malitiam suam deponere, nec oblatum aduersarium Mosen admittere posse, sed manente eius uoluntate mala, necessario peiorẽ, duriorẽ, & supbiorẽ fieri, dũ cursu & impetu suo, impingeret in id qđ nolebat, & quod contẽnebat, cõfisus potẽtia sua, &c. Quid opus erat hoc sermone? Si deus ideo dixit, indurabo, id est, scio illum fore duriorem, quàm hactenus fuit, tropus erit aliquanto mollior, quàm quem induxit Lutherus. Atqui si fuisset in manu Pharaoni mutare uoluntatem suam peruersam & impiam, nihilominus certo deus pronunciare poterat eum indurandum,

dum, quàm nos pronũciamus eum induratum fuisse. Sed interim Lutherus oblitus sui, tribuit humanæ uoluntati uim agendi malum, quum antea dixerit humanam uoluntatem tantummodo pati, non aliter q̃ securis agitur à fabro, ut iam nihilo plus laudis sit securi, si faber ea faciat aram, quàm si eadem occidat hominem. Quod si hominis uoluntas acta motu primæ causæ, simul agit & ipsa, quur non idem fatetur in opere bono? Nisi forte sub generali motu manet impetus humanæ uoluntatis, sub gratia agente non manet. Item si omnes homines natura sunt impij, nec quicquam uelle possunt nisi malum, qui fit, ut hunc uisa uxor alterius pertrahat ad adulteriũ, ille sibi temperet, quum neutrum agat spiritus, & utrique data sit par occasio? Rursus hic pecuniæ causa iugulet homines, alius ne repertam quidem pecuniam uelit tollere? Hic ultro effutiat secretum, alius ne in tormentis quidem effutiat, quod reticendum est. Si impietas manat ex origine, ea par est omnibus, si Christum excipias cum sua matre, quam & ipsam uoluntate exceptam. Iam posuimus & occasionem parem. Motus autem omnipotens qui rapit omnia, sine dubio communis est omnium. Nec hic apparet causa, quur alius propensus sit ad hoc crimen, alius ad aliud, quẽadmodum spiritus uarijs donis aliter atq; aliter agit in diuersis. Rursus homo uiolentus ex hoc ipso loco

quem

quem aduersus liberum arbitrium adduximus, colligit liberum arb. nihil posse nisi malum. Atqui quomodo dicitur liberum arb. si captiuum ducitur ad malũ tantum? Deinde ubi est, quod nos docuit Lutherus, liberum arb. esse nomen inane, nusquam extans in rerum natura? Præterea quæ tandem est consequentia, Certa præscientia deus prædixit indurandum Pharaonem, ergo Pharao non potuit mutare prauam uoluntatem. Imò pulsatus est gratia præparãte Pharao, & flecti cœperat, & fortasse resipiscere poterat, si pulsantem gratiam fuisset amplexus. Quod si deus non addidit uberiorem gratiam, non natura nec motus ille generalis fuit in causa sed animi prauitas per liberũ arb. multo peccandi usu contracta. Et si deus negasset illi pulsantem gratiam, nihil opus erat, uelut ex machina inducere motum uniuersalem primæ causæ, sed potius ut Augustinus facit, merita præcedentia, quibus se reddiderat indignum uberiore dei gratia. Hactenus itaq; nihil audiuimus à Luthero, quod funditus tollat hominis liberum arbitrium, aut meram statuat necessitatem: deniq; quod respondeat splendidis illis promissis, quid interfit inter fumos hominis & tonitrua dei, & tamen perinde quasi rem felicibus gessisset auspicijs, pergit tollere reliquias huius belli. Roganti cuipiam, quur deus non cesset ab illo motu omnipotenti, respondet non esse æquum, ut deus ob

deus ob impios desinat esse deus. Hoc dictum utcunq; tolerabile est, licet interim adimat deo facultatem eũ motum moderandi pro suo arbitrio. Neq; enim semper motus ille rapit satanam homini molientem exitium, nec impijs semper licet quod uolunt etiam occasione obiecta. Sed alterum durius est, quod addit, scilicet ut desinat esse bonus, ne illi fiant peiores. An deus desineret esse bonus, nisi perpetuo motu suo gigneret homines impios, & illorum prauam uoluntatem raperet ad agẽda mala? Citius credatur bonus, si uel coherceat, uel immutet illorum impiã uoluntatem. Itaq; quum constet illum esse summe bonum, quur per gratiam suam non immutat illorum uoluntates, quanq; idem potest omnipotente suo motu, cuius arbitrium habet in manu. Neq; enim sic mouetur, ut sol aut orbes cœlestes, nec sic agit, ut ignis adurit, sed mera libertate agit ut uult. Hic nihil habet quod respondeat, nisi fateatur esse liberum hominis arbitrium aliquid, quo posito simul probatur deus & iustus & bonus. Sed mauult ad arcanam dei uoluntatem confugere, quam negat inquirendam, sed tantum adorandã. Atqui huius quæstionis indagatio propius ad nos pertinet, q̃ illæ ueteres de uerbo homusij, de spiritu sancto ab utroq; procedente, de filio ex eadem essentia nascente, & spiritu sancto ex eadem procedente, quẽ filium appellare fas non sit. Quin hic respondebant,

mysterium hoc adorandum esse, non inquirendum. Fateor in rebus diuinis frequenter occurrere, in quibus adoranda est dei uoluntas, non humana ratione scrutanda, uerum ea difficultas non semper est in scripturis aut rebus, sed frequenter in animis nostris, uel illotis, uel parum exercitatis. Rudibus igitur, impijs, & crassis ista cantio canenda est, ne irruant in adyta diuinorum mysteriorum, Pijs autem & exercitatis fas est cum reuerentia scrutari, quod diuinis uolumi-nibus nobis proditum est. Et quibus tantum datū est lucis, ut ex scripturis potuerint colligere, in tribus personis esse eandem essentiam numero, simplicissimam & indiuiduam, hi tam misere cæcutierunt in hac materia, cuius bona portio sic ad nos pertinet, ut quædam etiam ipso sensu queamus dijudicare, de qua nobis tam multa prodiderunt sacræ literæ? Nihil enim moror istiusmodi uerba, Si caro & sanguis hic offensa murmurent, Murmurent sanè. Huiusmodi uerborum fumis iam assueuimus. Facile est nominare carnem ac spiritum, at discernere difficillimum est. Nec facile nobis persuadetur, omnes retro doctores fuisse carnē & sanguinem, excepto Vuyclepho, & his qui nuper exorti negant hominis liberum arbitrium. Iis qui rogant, quur talem condidit Adam, ut posset labi, quur passus est labi, ut non deest quod respondeatur, ita non est necesse ad omnia respondere. Deus

re. Deus uoluit agnosci summe iustus ac summe bonus, iustitia non eluxisset, nisi fuisset liberum arbitrium, hoc est, labendi facultas, bonitas non eluxisset, nisi fuisset restituendi gratia. Idem responderi potest ijs, qui quærunt quamobrem ex eadem massa infectos gignat omnes, quum potuerit aliud hominum genus condere, aut purgato semine creare nos. Si quis inquam pius ac modestus hæc cuperet discere, talia quædam poterant responderi, Sin impius, aut stulte curiosus, aut indocilis eadem percontaretur, ille mereretur audire, quæ nunc Lutherus non mihi, sed uniuersis Ecclesiæ proceribus recinit, Deus est, facit quæ uult, adora mysterium, ne inquirito, Non est illi præscribenda regula, quũ ipse sit regula omnium. Quod si libet ubilibet hanc sententiam occinere, quur tam multa quærunt sacri doctores in diuinis libris, & reddunt rationem plerunque certam, interdum probabilem, ueluti quum inquirunt, quur Christus uoluerit nasci ex uirgine, quur ex coniugata, quur apud Iudæos, quur peregre, quur in publico diuersorio, quur sub Augusto Cæsare, quur in solo Lazaro excitando legitur infremuisse spiritu, & lacrymas fudisse, quur passus amicum mori, quur tam sero profectus est in Bethaniam, quur iussit sibi commonstrari sepulcrum, quur iussit tolli lapidem, quur sic inclamauit, quur solui

iussit, ac dari cibum. In his uestigandis quum se saluʃ
briter exerceat Christiana pietas, quur in alijs scriʃ
pturæ locis non idem liceat, modo reuerenter ac reli
gioſe? Quod si percontator talis fuerit, ut appareat
fore deteriorem si respondeas, hic ablegandus est diʃ
cto Pauli, O homo tu es qui respondes deo? Deus est,
non potest nõ esse iustum ac bonum quicquid dicit saʃ
citúc, etiamsi tibi secus uideatur.

154 Satis ut arbitror, demonstratum est, Lutherum nec
præstitisse quod promiserat, quum hactenus nihil adʃ
duxerit nisi philosophorũ cõmentum, de motu omni
potente, quod ut uerum sit, certe hic friget: nec absq;
tropo conatum efficere quod instituit, quum pugnam
instituerit aduersus omnes tropos & sequelas, imò
pro unico tropo sermonis usitato & è proximo peti
to, produxisse nobis tropos complures, duros ac seʃ
reos, nouos & inauditos, ab extramundanis usq; pe
titos. Præterea declaratum est in uerbis euidentem ab
surditatem, satis idoneam dedisse causam, ut ad troʃ
pum confugeremus, quem ostendimus cum alijs scriʃ
pturæ locis congruere, nec abhorrere à communi loʃ
quendi consuetudine. Et ne protinus reijceretur Eraʃ
mi tropus, nominaui probos autores, Origenem, Hie
ronymum, Chrysostomum ac Theophylactum, qui
non tantum asseuerant, sed rationibus idoneis proʃ
bant quod interpretãtur. Quin & ideo nominaui me
os autoʃ

os autores, ut alius qui uellet aut posset commodiorem inueniret tropum, qui uerborum absurditati mederetur. Nunc superest, ut Lutherus pari felicitate doceat nos, ipsius cõmentum esse sensum sancti spiritus, idq; non humanis rationibus, sed ex ipso loci tenore, quod sanè probandi genus in sacris literis efficacissimum esse fateor. Verum quid erit tam euidenter scriptũ in arcanis literis, quod non detorqueat ad suum dogma, quum norit nobis interpretari pro merito, pollicitationem, pro mercede euentum, pro quærere esse in uia, pro indurari, moueri à prima causa. Sed spectemus quem nobis exhibeat artificem. Hanc partem aggressurus præfatur suo more, Diatribam appellans tropologam, quasi meam ac non potius uetera rum sententiam recensuerim: aut quasi sola Diatriba agat tropis & sequelis. Quod si tractans sacras literas nec tropũ admittet usquam, nec aliud ex alio colliget, quid tandem efficiet præsertim in locis inter se pugnantibus, iuxta speciem dũtaxat. Exorditur autem à generali conuicio in omnes qui tropis utuntur in sacris libris explicandis, quibus ait esse morem, ut fortiter contempto textu, uerbum aliquod decerpant, quod tropis torqueant. Sic Diatriba, &c. Hæc petulantissime dicta, totiesq; in hoc glorioso libro repetita, in quem recidunt? Non in Diatribam, quæ bona fide recensuit opinionem ueterũ, sed in probatissi-

simos Ecclesiæ doctores, in quos ita sub Diatribæ fuco debacchatur, quēadmodum olim Iulianus sub Augustini nomine, sacros Ecclesiæ doctores faciebat Manichæos. Si illi uerbum è contextu decerptum torquent, quur accusatur sola Diatriba? Verum illos Lutherus fortiter contemnit, ne dicā impie. Contemnit, sed ubi dogmatibus ipsius aduersantur, ubi uidentur suffragari, non grauatur etiam Gregorium citare, aut dictum aliquod ex historiola decerptum. Eodem autem animo quo maledicit Hieronymo, malediceret & Paulo, si auderet, quoties non facit ad ipsius dogmata. Sed maluit in Diatribam scurrari (nam hoc illi uisum est elegans inuentum) sic cogitans, ludos deliciasq; faciā Diatribā, ita fiet, ut omnes autoritate mea moti, conspuant illam, nec dignentur lectione, Tanta scilicet est mei nominis autoritas. Hæc sibi pollicebatur gloriosus miles. Quis est omnium Origene diligentior in conectendis scripturæ partibus, & obseruando, unde orsus, quà pergat, quò euadat spiritus? At quo tandem argumento reijcit tropum ueterum? Si deus, inquit, indurauit Pharaonem differendo pœnam, quid noui dictum est, quum eadem tolerantia induret omnes impios, abutentes dei tolerantia? Accipio lemma, sed hoc telum mox retorquebo in iaculantem. Si ideo ineptus est tropus, Pharaoni tribuit quiddam quod est omniū impiorum commu-

commune, multo minus ualebit cõmentum ipsius de motu generali primæ causæ, quod adeo non est peculiare Pharaoni, ut commune sit non iam dicã pijs & impijs, sed ranis & crocodilis, uiperis, & ululis, deniq; rebus omnibus. Vt omittã interim non citra cõtrouersiam esse quod assumit. Etenim si quis neget deum ut primam causam in singulis rebus, ac singulis actionibus coopari seccũdis causis, quomodo euincet? uidelicet quoties lapis ex alto decidit in terrã, eũ ferri impulsu dei, nõ sola generali naturæ ui. Aut quoties urit ignis, impulsu eiusdẽ urere. Proinde quod colligit Lutherus, uides igitur inqens, nihil prorsus ad rẽ facere tropum istum hoc loco, ut qui generaliter ad omnes ptinet, qui peccãt lenitate diuina tolerati, etc. nos in ipsum totidem uerbis regerimus. Vides igitur Luthere nihil prorsus ad rem facere tropum istum hoc loco, ut qui generaliter ad omnes pertinet, qui peccant & non peccant, & non solum ad homines, uerum etiam ad asinos & mulos, quum calcitrant aut aliud faciunt, rapti omnipotenti motu dei. Nónne belle excußit tropum, non meum, sed probatißimorum Ecclesiæ doctorum? Quanquam hic alium adhibuit fucum artifex. Origenes adducit tropum, quo indurare dicitur, qui indurationis dedit occasionem, hoc iam pertinet non minus ad oblatas molestias, aut alias occasiones, quàm ad tolerantiam.

Cæterum quod non ponit exemplum nisi de lenitate, facile est uidere quid sit in causa, quoniam huius partis explicatio fauorabilior erat q̃ alterius. Verba Diatribes sic habent, Origenes libro περὶ ἀρχῶν tertio sic explicat nodum, ut fateatur occasionem indurationis datam à deo, culpam tamen in Pharaonem reijciat, qui sua malitia factus sit obstinatior, per hæc per quæ debebat ad pœnitentiam adduci. Constat aũt multos afflictionibus, molestijs ac miraculis adduci ad resipiscentiam. Et falsissimum est, quod interim assumit Lutherus, omnes malos indurari, tum seueritate dei, tum lenitate. Imò multos morbus aut alia calamitas etiam si non transformet ad pietatem, tamen cohercet à licentia peccandi: & si non facit, ut planè boni sint, tamẽ facit ut minus sint mali. Testatur hoc Plinius iunior in epistola quadam, quantis cupiditatibus malis ægrotatio quorundã animos liberet. Idem dici potest de rerum prosperitate, Solos feroces, & aduersus deum erectos indurat & lenitas & seueritas dei, quod accidit Pharaoni. Quoniam autem Pharao motus malis cœperat resipiscere, fortasse dimisisset populum, si deus constanter prestisset illum immisso malo, Nũc utroq; modo induratus est, uel omnibus potius, non omnipotenti motu primæ causæ, quæ mouet etiam ranas & uiperas, sed occasione obiecta peruerso regis animo: quẽadmodum si quis igni rhe-

sinam

sinam inijciat, aut rapido flumini transuersam molem inuehat, quo magis æstuet. Hoc autem erat peculiare quiddam, nõ ab uniuersali motu, sed à proprijs causis proficiscens, quas etiam si nequeamus diuinare certo, tamen iustas fuisse credimus. Sed audiamus Lutherum, sermonis Paulini scopum, ac sermonem explanãtem. Hoc inquit, agebat deus, ut in Hebræis confirmaret fiduciam in ipsius promissis, posteaq̃ compe rissent tot difficultatibus frustra obstantibus, nihilo secius deum præstitisse quod promiserat. Hactenus nihil repugno Luthero. Et ob id inquit, deus toties præ dixit futurum, ut Pharao indurar̃tur, diuq; distulit extremam pœnam, quo multis prodigijs æditis magis illustraretur et præscientia et uirtus & fides dei. Nec hic refragor admodũ, nisi quod hæc uocula, ut, frequenter in diuinis literis euentum sonat, non propositum aut finem, Indurabo per occasionem, & scio prædicoq; fore, ut non dimittat populum meum. Excitat autem ille, non qui immittit mentem, sed qui occasionem extimulat, quasi medicus ostensa ui pecuniarum excitet lethargiam auari. Cæterum quod addit, Malitiam Pharaonis operor, & in manu mea habeo, Si dixit operor malitiam, pro obijcio occasiones resipiscendi, quas ille uertit in maiorem malitiam, nõ refragor. Alioqui durissimus est sermo, nec ferendus Christianis auribus, Deus in homine operatur mali-

tiam. Nam malitiã in manu habere recte dicitur, cui in promptu est eã ubi libuit cohercere. Sciebat deus Pharaonẽ nec plagis territum, nec remissione correctionis mitigatũ, dimissurũ Hebræos, iamq; decreuerat illum exitio dare. Hoc exitiũ distulit, quo magis eluceseret dei iustitia in puniendo rege et bonitas erga populum suum. Veluti si rex hominis supplicio capitis destinati malitia abutatur ad puniendos sontes, aut in exemplum aliorum, ne similiter contemnant iussa regia. Et tamen interim quæ obijciuntur, poterant esse occasiones resipiscendi, ni peruersitas obstitisset, non ex natura tantum insita, sed multo magis ex uitiorum habitu collecta. Nihil igitur hic opus erat omnipotente motu, nec deo sine tropis in Pharaone operante malitiam. Quod autem enthymematis genus hoc est, Si ulla fuisset in Pharaone uerecundia, deus non potuisset certo prædicere illius indurationem? sed homo uerecundus dixit, Non tam certo. An deus alia certius præscit, alia minus certo? Ipse Lutherus quum uellet æquior uideri, concessit homini liberum arbitrium in rebus inferioribus. Est igitur homini in manu iugulare capum in cœnam, et non iugulare. An hic deus non poterit certo prædicere, quid homo facturus sit? Si deus non aliter præscit futura, q̃ scit facta, quomodo dicitur quædam minus certo præscire, qd' sit in arbitrio hominis facere aut non

non facere? An hic Lutherus uidetur fuisse sobrius? Et iterum inculcat, deum non potuisse omittere operationem oīpotentiæ generalē. Quid igitur, an deus non potest efficere, ut sol consistat, et flumina relabantur ad fontes? Quum impio cōfert gratiam, mutatq; uoluntatem, nónne hac in parte mutat actionem generalem?

Audiuimus q̄ dilucide nobis explicuerit Lutherus cōtextū ac tenorē sermonis Paulini, nihil sequutus ni si simplicissimū absq; tropis sermonē, Imò sermonis huius exordiū erat, cap. 2. progressus tertio, quarto, & deinceps sequentibus. Quoniam Iudæi uindicabāt sibi iustitiam ex obseruatione legis, quā tamen re uera non obseruabant, adeò ut minus tribuerent Euangelicæ gratiæ, quàm oportebat, nec gentes quoniam erant à lege alienæ, censerent recipiendas ad Euangelicam promissionem, nisi legem reciperent: Rursus apud gentes erant philosophi, qui suis decretis summum bonum ac felicitatem pollicebātur, absq; lege Mosaica, sineq́ue gratia Euangelij: Paulus hoc agit, ut utrosque deijciat à stulta fiducia, doceatq́ue iam nec ex legis obseruatione dari salutem, nec ad salutem omnino requiri legis ceremonias, quibus illi plus tribuebant, quàm spiritualibus legis præceptis, quæ non sustulit Euangelium, sed explicuit. Deinde ostendit neutros esse iustos, sed omnes ex æquo 157

egere

egere gratia Euangelij, quæ pferretur pariter omnibus, non ob merita præcedentia, sed ex gratuita promissione dei, cui quisquis fideret ex quacunq; gente profectus, seruaretur, declarans nihil obfuturos uitæ prioris errores si resipiscant, nec Iudæis profuturam legem, nisi resipiscentes agnoscant Euangelij gratiam. Iudæis erat facta promissio, quæ tamen illis nihil esset profutura, nisi crederēt Euangelio, nec erant habendi pro posteris Abrahæ, si non respondérent fidei Abrahæ. Iam enim Iudæi repugnabant Euangelio studio ueteris legis, & gentes incircūcisæ subito per fidem facti sunt ueri filij Abrahæ. Hæc Paulus uarie disputat aliquot capitibus. Proinde ne gentes diffiderent de promissis, eo quod essent alienæ à prophetis ac lege, præsertim quum uiderent Iudæos mordicus tenere legem, adimit utriq; fiduciam operum, & utroq; æquat in euangelij gratia per fidem. Non aūt esse mirū, si pleriq; Iudæi reijcerent Euangeliū ipsis nominatim promissum, quū nollēt credere, neq; quisq̄ esset gratiæ capax, nisi crederet. Et hoc ipsum præscisse deū, ut populus Israheliticus deficeret ab Euangelio, atq; hac occasione fores aperirentur gentibus, quamlibet alienis à lege & prophetis. Summā enim huius beneficij pendere à liberalitate dei, & hominum fide. Iam ne Iudæus quereretur, quur reijcit deus populum suum, quem elegit, quem tot promissis lactauit,

ctauit, quem tot magnificis titulis honorauit, & pro his recipit impuras gentes idololatras, ac uitæ contaminatißimæ, docet deum omnium futurorum præscium, cuiq; non pro generis nobilitate, sed pro meritis futuris statuere honorem & contumeliam, quemadmodum ex Abraham natum Isaac honorauit hæreditate promißionis, Ismahelem ex eodem prognatum eiecit ex ædibus, & ex Isaac propagatus est populus deo charus, ex Ismahele nationes prophanæ. Rursus ex eodem patre, eadem matre, eodem partu prognati sunt Iacob & Esau, tamen Iacob cuius pietatem præsciebat, fecit patriarcham duodecim tribuum, Esau gentium barbararum principem. Vnde his honos decretus est, alteris nequaquam? Quia sic ex iustis causis præsciuit ac prædixit deus futurum, quemadmodū præsciuit ac prædixit futurum, ut Iudæi reijcerentur ab Euangelij gratia, & gentes in hoc honoris adoptarentur, ut in Iudæos ædoret exempla suæ seueritatis, sicut fecit in Pharaone, & in gentes declararet exempla suæ bonitatis, ueluti fecit erga filios Israhel ab Aegyptia seruitute liberatos. Gentes inuitauit ad Euangelium, non ui coëgit, Nec Iudæos ui reppulit, sed obstinate resistentes Euangelio, tot expertos beneficia, tot conspectis miraculis, iamq; dignos exitio, ueluti uasa iræ parata in interitum proposuit horrendum omnibus exemplū, ut in illis perspicerent, quantum sit

tum sit periculum aspernari gratiam dei semet offe-
rentem. Fuit igitur inopinatus euentus, ut populus il-
le deo peculiaris ac dilectus sic reijceretur, ut esset
quemadmodum est & hodie, mortalium omniũ abie-
ctißimus, & gentes uel tam impiæ, ut merito debue-
rint à deo in tartara mitti, uel tã barbaræ, ut uix ho-
mines uiderentur, repente in numerum filiorum dei
asciscerentur. At deus Iudæorum peruicacia abusus
est in suam gloriam, ac gentium salutem: & gentium
fide usus est ad declarationem suæ benignitatis in oẽs
qui credunt Euangelio, in utrisq; demonstrauit cer-
tißimam fidem promißionum. Nam utrunq; prædi-
ctum erat à prophetis, ut & Iudæi reprobarentur,
& ad gentes demigraret Euangelij gratia. Hic ad-
huc nulla coactio est aut necessitas, quam fingit Lu-
therus. Iudæi ex olea sunt excisi, ut idem Paulus mox
docet cap. 11. & gentes ex oleastro insitæ sunt in oli-
uam. Quam ob causam? Propter credulitatem & in-
credulitatem. Gentes oblatæ Euangelij gratiæ nõ de-
fuerunt, sed agnoscentes suam impietatem, amplexæ
sunt benignitatem: Iudæi contra maiore gratia pro-
uocati ad resipiscentiam, magis indurati sunt aduer-
sus Euangelium. Hic uides libero arbitrio locum da-
ri, q, se gratiæ pulsanti præbet si uelit, & accipit iusti-
ficantem gratiam, et auertit se si uelit, atq; indignum
reddit hominẽ maiore gratia. Siquidem Paulus non

soluũ

solum ostendit has quas dixi causas, dicens, propter in credulitatem fracti sunt rami, tu autem fide stas: uerum etiam ostendit in nobis esse situm, ut decidamus à gratia, aut ad gratiam oblatam conuertamur. Noli altũ sapere, sed time, alioqui & tu excideris, sed & illi si non pmanserint in incredulitate inserentur. Qui dicit, noli altũ sape, nónne indicat quomodo posśit homo excidere à gratia? Nimirum si sibi tribuat quod gratis accepit à deo. Verũ hanc arrogantiam Luthe rus tribuet subtractæ à deo gratiæ, at orthodoxi melius sentientes de bonitate iustitiaq; dei, tribuunt libero arbitrio. Quanq̃ non negamus cum pijs nõnunq̃ auferre gratiã ad tẽpus, quo post lapsum stent firmiores. Verũ qđ ob peculiares causas in hoc aut illo fit non ptinet ad generalẽ disputationẽ. Cæterum qui dicit deum dare gratiam immerenti, non ob aliud nisi quia sic placitum est, et si non cõprobat dei iustitiam, exaggerat tamẽ illius bonitatẽ. At qui prædicat deũ id quod gratis dedit ad salutẽ, ultro subducere homini in pniciem, nulla hominis culpa offensum, parum pie loqtur de eius inæstimabili benignitate. Rursus in hu ius epistolæ undecimi capitis fine docet idẽ aliquanto lucidius. Quid ergo inqt, dicemus? Quod gẽtes q̃ nõ sectabantur iustitiã, apprehenderũt iustitiã, Iustitiam aũt quæ ex fide est. Israhel sectando legẽ iustitiæ in legem iustitiæ non puenit. Quare? Quia non ex fide,

sed

ſed quaſi ex operibus. Vides non ſine cauſa reiectos Iudæos, uidelicet ob fiduciam operum legalium, quibus inflati reſiſtebant euãgelij gratiæ. Nec eos qui ſeruati ſunt ex gẽtibus ſine cauſa fuiſſe ſeruatos, ſed ob ſimplicem credulitatẽ. At fides inquiet, eſt donũ dei, nec eſt in noſtra poteſtate. Fateor, ſi ſentias de fide p gratiam iuſtificante: uerum ut eſt cognitio quædam præparans ad lucem fidei, ita fides quædam eſt humana, ad fidem iuſtificantem præparans hominẽ: ut ſunt iuſtitiæ gradus, ita ſunt & donorum, donec perueniat ad id quod mere naturale, atq; hoc ipſum habet ſuam gratiam, quam autor naturæ ſit deus, ut fruſtra metuat Auguſtinus, ne initium gratiæ dicatur ab homine proficiſci. Poſtremo ſic eſt in manu hominis etiam ipſa iuſtificatrix gratia, ut ſi uelit poſſit amplecti pulſantem gratiam, quæ nulli negatur, in genere loquor, ſi uelit, poſſit auerſari. His ita diſſertis de Iſaac & Iſmahele, de Iacob & Eſau, Paulus facit elatum Iudæum, aut ethnicum arrogantem hæc rapientem ad impingendum deo crimen iniuſtitiæ. Nunquid igitur deus iniuſtus eſt, tyrannorum more faciens quicquid animo collibuit? Eam uocem Paulus abominatur dicens Abſit. Ac rurſus ex perſona contra diſputãtis addit, Moſi dixit: Miſerebor cuius miſertus ſum, & miſericordiã præſtabo cui miſerebor. Igitur non uolentis, neq; currentis, ſed miſerentis eſt dei. Dicit enim

enim scriptura Pharaoni, Quia in hoc ipsum excitaui te ut ostendam in te uirtutem meam & ut annuncietur nomen meum in uniuersa terra. Ergo cuius uult miseretur, & quem uult indurat. Hunc totum sermonem ueteres aliquot tribuunt non Paulo, sed contradicenti, quem sic facit colligentem ex scripturis perperam intellectis. Quid adhuc queritur? Voluntati eius quis resistit? Haec uox propemodum est Lutheri, simul & bene agentibus adimens omne meritum, & male agentes liberans à culpa, sed benefactorũ omnium gratiam ascribentis uoluntati diuinæ, & malefactorum culpam in deum transferens, nisi quod naturam hominis uehementer impiam, ac dei motũ quendam omnipotentem commentus est, ne cogatur deo crimen ascribere. Paulus autem nondum absoluit quæstionem sed indocilem arrogantiam retundit. Veluti si herus immorigero seruo, deq; iussis domini disputãti respondeat, Quid tua refert quamobrem id iubeã? Tibi satis esse debet, quod mihi sic uisum est, Non est tuum iudicare de meis consilijs. At idem dominus seruo modeste reuerẽterq; pcontanti, nõ grauabitur cõsilij sui reddere rationem. Itaq; hæ uoces, ò homo tu quis es qui respõdes deo, Et, nunquid lutum dicit figulo, &c. non omnino submouent hominem ab eius qd' propositum est cognitione, sed à curiosa & impia disquisitione, Nam quæstionem postea soluit Paulus,

quatenus homini fas est. Habet enim hæc quæstio suos excursus, in quibus oportet rationem humanam cedere maiestati diuinæ, Veluti si qs roget, quur deus tot milia gentiũ passus sit impune pire, quũ p euangeliũ multos seruarit, et ante euãgeliũ soli Iudæorũ nationi p legẽ subuenerit, Neq; enim lex prædicata est p uniuersum orbẽ, sicut euãgeliũ, Itẽ, quur infantes alij pereãt sine lauacro renascẽtiæ, alij seruẽtur nulla parentũ culpa, nullus habebit opinor qd'respondeat, nisi qc quid facit aut permittit deus iudicio fieri, semper quidem iusto, sed aliquoties nobis incognito, quemadmodum scribit Augustinus. Quod si quis mihi diffidit dicenti sermonem hunc totum eò tendere, non ut doceat necessitatem quam adfert Lutherus, sed ut impiam, curiosam & arrogantem inquisitionem coherceat, legat Hieronymi, Chrysostomi, & Theophylácti, commentarios, Verum de his post erit pluribus agendum. Interim persequar cursum Lutheranæ disputationis, si tamen disputare uidetur, qui figit ac resigit leges pro suo arbitratu, qui deridens omnium auctoritatem, sua somnia uocat dei tonitrua. Miro fastidio deridet Diatribam, quæ ueluti perplexa in quæstione nunc huc nunc illò se torqueat. Nunc inquit, dicit esse necessitatẽ consequentiæ, sed non consequentis, Nunc ordinatam siue signi uoluntatem cui resisti potest, uoluntatẽ placiti cui resisti non potest, Nũc

loci

loci adducti ex Paulo non pugnant, nec loquuntur de salute hominis, nunc præcientia dei ponit necessitatẽ, nunc non ponit necessitatem, Nunc præuenit gratia uoluntatem ut uelit, comitatur euentũ, dat felicem exitum, Nunc causa primaria agit omnia, nunc agit per causas secũdarias ipsa qeta, Omitto cætera, quæ congerit. Quantæ sunt huius tyranni deliciæ, ut sibi placet in omnibus, Vt ipsi displicent aliorum omnia, Vt sibi pollicetur quicquid dixerit pro oraculo ab uniuersis acceptum iri. Primum excipiam quæ hic miscet mendacia, uidelicet quod Diatriba dixerit, primam causam agere omnia, rursus sibi dissentiens dixerit, per secundarias causas agi cuncta, prima causa quieta. Verba Diatribes sic habent. Hic non excutiam, an deus qui est sine contro/uersia primaria & summa causa omnium quæ fiunt, quædam sic agat per causas secundarias, ut ipse interea nihil agat: an sic agat omnia, ut secundariæ causæ tantum cooperentur causæ principali, tametsi non sunt alioqui necessariæ. Certe dubitari non potest quin deus si uelit possit omnium secundariarum causarum naturalem effectum in diuersum uertere. Videlicet efficere potest, ut refrigeret & humectet ignis, Cætera. Ex his uerbis uel tacente me, liquet esse falsum quod impingit Lutherus: Quid autem absurdi sit, si quum in igni

secundaria causa simul agat cum prima: in homine uoluntas simul agat cum agente gratia? Sed acumen Lutheri sic solet colligere, agit omnia, ergo agit sola. Vbi uero dixi quod præscientia ponit necessitatem? Imò hoc refello, quod tamen hic Lutherus impudentissime repetit & inculcat. Quur autem mihi non liceat ad explicandam quæstionem uti distinctionibus ab orthodoxis scriptoribus traditis, de uoluntate signi & efficaci, de necessitate immutabili, & ineuitabili, de gratia præparante siue pulsante, operante, cooperante, sufficiente, proficiente & perficiente, & silibet addere naturali siue communi, quum ipse nobis inuexerit tot distinctiones inauditas, aut certe inauditis uocabulis, de deo prædicato & non prædicato, de deo crucifixo, & inhabitante lucem inaccessam, de uoluntate dei scrutanda & adoranda, de motu omnipotenti dei & motu Satanæ in eodem opere malo, de necessitate immutabilitatis & coactionis, de uoluntate hominis nihil agente, sed tantum patiente, tum in bonis tum in malis, & uoluntate agente & in bonis & in malis. Et hæc sua somnia uocat dei tonitrua, quod adfertur ex probatis autoribus, ludibria uocat: & ut uideatur ualde festiuus, confert Diatribam puero, qui dū claudit oculos ne quē uideat, putat sese à nemine uideri. O dictū lepidū. Vbi sunt applausores? Penè nominaueram quosdam. In quem hic iocus magis ca-

gis cadit quàm in Lutherũ, qui putat se perstrinxisse totius orbis oculos, quum iam omnes sciant, ipsum ne que boni quippiam neq; mali prodidisse, quod nõ hau serit ex ueterum monumentis, excipio hyperbolas, et quædam portenta uerborum quasi propheticorum, quibus facit ut noua quibusdam uideantur, quæ sunt uetusta, adeo ut Vuycleuis etiam Valdonibus & Hus sis uideatur inuidere. Atq; interim quum huiusmodi fumos offundat legentium oculis, tamen splendidis uerbis frequenter intonat, tonitrua dei, fulgura clarissima: stat inuicta ueritas. Istis fulminibus ac tonitruis Luthere quære peregrinum, nobis ignotuerunt: Refricat nobis memoriam, quod obiter admiscuerat Diatribe, de necessitate consequentis & consequentiæ. Hoc commentum gloriatur sese feliciter consequentia dissoluisse, quũ pplexis uerborũ inuolucris rẽ potius ceu prudẽs obscurarit. Distinguebã enim illationẽ necessariã, à pppositione cõtingente. Itaq; iuxta priorẽ rationẽ dixi necessariã consequentiã propositionis ex propositione, Si hæc uera est, deus præscit Iudam proditurum dominum, necessario consequitur hæc, Iudas prodet dominum: at non consequitur iuxta posteriorem modum, necessario Iudas prodet dominum, Poterat enim Iudas aliò flectere uoluntatem suam. Necessitas enim consequentis est, quum id quod fit aliter fieri non potest, Necessitas consequẽtiæ est etiam in falsis,

ut si homo est lapis, non sentit, tantum abest ut indu/cat necessitatem consequentis. Alioqui hæc propositio esset necessaria, homo non sentit, quum sit impossibilis. Hæc ut arbitror satis expedita sunt. Nunc audi sumos Lutheri profitentis se crassiore Minerua uel le rem explicare. Necessitatem consequentiæ sic explanat, Si deus aliquid uult, necesse est ut ipsum fiat, sed non est necesse, ut sit quod fit. Solus enim deus necessario est, omnia alia possunt non esse si deus uelit. Ita actionem dei necessariam dicunt, si uolet, sed factum ipsum nõ esse necessarium. Quid autem inquit, istis ludibrijs uerborum efficiunt? Id scilicet, facta res non est necessaria, id est nõ habet essentiam necessariam, hoc est nihil aliud docere, quàm res facta non est deus ipse. Nihilo minus manet illud, ut omnis res necessario fiat, si actio dei necessaria, uel consequentiæ necessitas est, quantumlibet iam facta non sit necessario, id est, non sit deus, uel habet essentiam necessariam. Hactenus ille. Quid hac explanatione inuolutius? Primum adducit exemplum hominis conditi, in quo nihil agit ipsius qui conditur uoluntas, quum nos loquamur de re quam facere aut non facere est in hominis uoluntate situm, ueluti qui tomum panis tenet in manu, si uelit in ius appositum intingere fiet offa, sin minus non erit. An igitur qui intingit, necessario id agit, an potius contingenter, quia

quia poterat mutare uoluntatem? Lutherus docet necessario intingere. Quare? Quia deus præsciuit fore ut intingeret, hoc est, ut eam uoluntatem susciperet nec mutaret, & si mutaret, præsciebat quæ esset futura postrema uoluntas. Vbi est igitur liberum hominis arbitrium in rebus inferioribus quod Lutherus in hoc opere concedit? An cohæret mera necessitas cum libero arbitrio, hoc est aqua cum igni? Quod si contingenter immergo panem in ius, non obstante dei uel præscientia, uel uoluntate, sequitur & Iudam contingenter non necessario prodidisse dominum. Exemplum igitur quod adducit Lutherus, non quadrat huic instituto. Et tamen ad hoc accommodauit definitionem contingentis. Contingenter inquit, fit, quod fit contingente & mutabili uoluntate. Contingens opus est, quod nobis contingenter, & uelut casu imprudẽtibusq; nobis fit. Sic sanè conditus est mihi mundus. Sed quid hoc ad actiones humanas, de quibus loquebamur? In deo non est uoluntas mutabilis, ergo omnis dei actio est necessaria, quanquam opera sunt contingentia si uelit. Voluntas & præscientia dei est ipse deus, fateor, sed tamen præscire dei & uelle dei, ad res externas nihil prohibet se contingenter habere, pro rei natura. Iam quum eadem uoluntate

deus operetur quæ fiunt, & facta uelit quæ sunt, non minus necessarius est homo factus, si deus uult eũ esse hominem, quàm necessaria erat actio dei qua illũ condidit. Sed nobis ista contingentia sunt, quia nescimus an deus ex homine facere uelit asinum. Ita sol oritur necessario, si spectes naturæ cursum, si spectes uoluntatem dei nobis ignotam, contingenter oritur, quia potest fieri, ut si ille uelit non exoriatur. Verum nos metimur contingens & necessarium non ex scientia aut ignorantia nostra, sed ex ipsa natura rei. Neq; enim ideo deus non esset necessario, si dubitarent homines esset ne deus an non. Nec ideo contingens dicitur quod incertus sim an futurum sit nec ne, sed quod talis sit natura rei, ut possit fieri aut non fieri, qualia sunt quæ pendent ab hominis arbitrio, ne recedamus ab argumento. Proinde si deum spectes, contingenter condita sunt omnia quæ non sunt deus. Cæterum quæ pendent ab hominis arbitrio, bis sunt contingentia. Primum quia fiunt mutabili uoluntate, deinde quia possunt per dei uoluntatem aliter fieri. Cæterum imprudentia nostra nihil facit ad rationem contingentis. Quæ contingenter fiunt, ubi facta sunt, immutabili certitudine nouimus, nec tamen desinunt esse contingenter facta, quanquam quod ad nos sanè attinet habent necessitatem immutabilitatis. Quod enim semel factum est, nunquam potest fieri infectum. Et ut hæc propo

propositio, Petrus cras cœnabit, pone eum cœnaturum, cõtingenter est uera, ita si cœnauit, hæc erit perhendie contingenter uera, Petrus heri cœnauit, nec mea scientia certa aut incerta mutat rei naturã, quæ sita fuit in hominis potestate. Aliud est si Lutherus dicat, deum omnia agere in omnibus & bona & mala, hominem nihil agere, sed tantum pati, itaq; necessario fieri quicquid sit uel boni uel mali. Verũ hoc esset per id probare, quod erat ipsum probandum, utpote de quo est controuersia. Verum haud scio an Lutherus credat idem esse casu fortuitoue fieri, quod contingenter fieri. Casu fortuitoue fit quod accidit præter expectationem aut operam nostram. Contingens aũt hoc est quod Aristoteles uocat endechomenon, complectitur posibilitatem ad esse et non esse, ut nõ semper idem sit contingens & posibile, quod dicitur δυνατὸν. Triplex autem causarum genus est, unde consideratur necessitas, aut contingentia. Est libera uolũtas hominis, sunt causæ naturales in rebus inanimis aut rationis expertibus, & est summa causa deus. Nihil itaq; uetat eandem rem ad diuersas causas relatã esse necessariam & contingentem. Veluti motus orbium cœlestium, decessus & accessus maris, quod urit ignis, quod grauia feruntur deorsum, quod ad nos attinet, necessario fiunt, eo quod ex his causis proficiscuntur, quæ per nos impediri non possunt, ad deum si respicias,

ſpicias, contingenter fiunt, qui uim ſecundarum cauſarum habet in manu, Verum quæ pendent à uoluntate hominis, ſimpliciter contingentia ſunt, tã nobis quàm deo. Vt enim eſt rei natura, ſic ille nouit aut uult, Si neceſſaria, neceſſario, ſi contingens contingenter. Verum de his mox plura dicendi locus erit. Poſteaquam igitur Lutherus euidẽtiſſime demonſtrauit, res conditas non eſſe deum, quum nos de actionibus hominum ageremus, triumphum agit his uerbis. Adeo ſtat & permanet inuicta ſententia, omnia neceſſitate fieri. Nec eſt hic ulla obſcuritas aut ambiguitas. An Eſaia dicit, Cõſilium meum ſtabit, & uoluntas mea fiet. Quis enim puer non intelligit, quid uelint hæc uocabula, cõſilium, uoluntas, fiet, ſtabit? Audiuimus ſanè glorioſum triumphum, Si quiuis puer intelligit hæc Eſaiæ uerba, qui factum eſt ut tot Theologi, nihil hic uiderint? Dicet: Non erat inter illos Lutherus. Ergo locus expẽdatur. An illic præcedit aliquid ſequiturue, quod adimit homini uoluntatis arbitrium? De euentis rerum illic eſt ſermo, de fruſtrandis hominum conſilijs ac pſeudoprophetarum promiſsis, de capienda Babylone. Proinde uno in loco hic bis peccat Lutherus. Primum quod ſcripturæ ſermonem aliò trahit, quàm oportet, deinde quod eſt peculiariter dictum, trahit ad ſenſum generalem. Et tamẽ modo nos docuit illos abſurde facere, qui decerpunt unum aut alterum uerbulum,

bulum, quod detorqueant ad ſuum ſenſum, nulla habita ratione quid illic agatur, cum quibus, unde ortus ſermo, quò tẽdat. Itaq; ſi concedimus Luthero, deum illam malam uoluntatem egiſſe in Iuda, & ad facinus perpuliſſe, utcunq; probauit Iudã neceſſario prodidiſſe dominum, quod quidem ad ipſum attinet proditorem, Verum ex præſcientia dei non magis arguit neceßitatem actionis, quàm ex mea ſcientia facti. Neq; enim deus aliter ſcit præterita quàm proſpicit futura, imò nihil eſt illi neq; præteritum neq; futurum, ſed omnia ueluti præſentia unico ſimpliciq; contuitu perfectißime cernit, quẽadmodum eadem uoluntate uult omnia. Poſt uehemẽtes aſſeuerationes obijcit mihi, quod conuictus conſcientia fateor idem quod docet ipſe. Quid? Si deus nõ fallitur in eo qd' præſcit, neceſſe eſt ipſum præſcitũ fieri, alioq; quis credere poſſet eius promißionibus. Hoc nunq; pronũciauit Diatriba, q̃ uis ebria, ſed ex perſona argumentãtis proponit hũc in modum. Poteſt & in humanis rebus aliqua poni neceßitas, quæ tamen nõ excludat libertatem noſtræ uoluntatis. Præſciuit deus, & quod præſciebat aliquo modo uolebat, fore ut Iudas proderet dominum. Itaque ſi ſpectes dei præſcientiam infallibilem, & uoluntatem immutabilẽ, neceſſario euenturũ eſt, ut Iudas prodat dominũ, et tamen Iudas poterat mutare uolũtatẽ ſuã, aut certe poterat nõ ſuſcipere uoluntatem impiã.

Dices,

Dices, Quid si mutasset? Non fuisset falsa dei præscientia, nec impedita uoluntas, quum hoc ipsum præsciturus fuerit ac uoliturus, quod esset mutaturus uoluntatem. Hæc sunt quæ, ut diximus, sub argumentantis persona referuntur, Id esse uerum indicant hæc uerba Diatribes, Potest poni & aliqua necessitas. Vbi tãdem hic fateor quod asseuerat Lutherus? Imò contrarium asseuero. Et tamen hoc ipsum quod de necessitate dictum est explico in his quæ sequũtur, distincta necessitate consequentis & consequentiæ.

158 Ab hominis præscientia ducimus argumentum ad præscientiam dei. Astrologus certò præscit futuram eclipsim, nec tamen eius præscientia cogit solem cũ luna concurrere: & hominis scientia de præterito potest esse infallibilis, ut ego certum scio Petrum cœnasse nudius tertius, nec ideo fuit illi necesse sumere cœnam: ita nec dei præscientia impedit arbitrij uoluntatem, nihilo magis quàm impedit cognitio rerum præteritarum. Proinde nugamentum est, labascere fidem dei in promissis omnibus, nisi necessario eueniat quæ prædicit euenturum. Certissimo euenire fatemur ea quæ prædicit deus aut etiã prophetã dei spiritu afflatus, necessario, nihil est necesse. Quædam deus prædicit absolute futura, quemadmodum prædixit seuentu rum ad iudicium. Id nullus hominum potest impedire quo minus fiat. Quædam pollicetur aut minatur sub conditi

conditione, Si seruaris præcepta saluus eris, Sin contẽ
pseris: ibis in gehennam. Conditio partim in nobis est
sita, euentus à solo deo pendet in fallibilis. Aperui su
cum Lutheri, aperiam & alterum. Iterum Diatriba
quamuis diu multumq; luctata profitetur idem quod
docet Lutherus, id quo magis persuadeat, recitat ipsi
us uerba. De uoluntate inquit, ac destinatione diffici/
lior est quæstio. Vult enim deus eadem quæ præscit,
& hoc est quod subijcit Paulus, uoluntati eius quis re
sistit. Etenim si rex esset, qui quicquid uellet efficeret,
nec quisquam posset obsistere, facere diceretur quic/
quid uellet. Ita dei uoluntas quoniam est causa princi
palis omnium quæ fiunt uidetur necessitatem nostræ
uoluntati inducere. Hæc illa. Et Lutherus gratias in/
quit tandem agimus deo, pro sano sensu Diatribes.
Rursus non animaducrtit Lutherus, Diatribam hic ar
gumentari non pronunciare. Primum illud est artis,
quod quum Diatriba sic argumentans loquitur: Nam
deus aliquo modo uelit oportet, quod quum præsciat
futurum, tamen non impedit, quum ipsi sit in manu,
hæc uerba prætermisit. Nec abs re, respuũt enĩ illius
opinionem quam fingit me profiteri. Aliquo modo
uult. Quid hoc sonat? Nimirum ut uelle dicatur, qui
sinit fieri, quod alioqui poterat impedire. Et ita colli
git, Ita uidetur inducere. Quid est ita? Nisi iuxta hãc
rationem qua uulgus dicit eum facere qui quũ posset

non

non prohibuit, ueluti quum dicitur occidisse hominẽ, qui quũ posset nõ seruauit. Quid est uidetur īduceres? Sic alicui uideretur quũ nõ sit. Eat nũc Luthe. et gratias agat deo, p sana Diatribes sentẽtia. Iã uerba quæ Luth. tribuit Paulo, ueteres tribuũt īpio disputatori, q sic citãt interdũ uerba scripturæ sacræ, quẽadmodũ Satanas in euangelio tentans dominum, & tamen nõ adeo magni refert, etiamsi hæc uerba tribuantur apostolo citanti tantum & argumentanti. Nam hic illi mos est, ut uarius ac lubricus sit in tractandis quæstionibus, ut docti crebro fateantur sibi difficillimũ esse obseruare, unde sit ingressus, aut qua sit exitus, quod accidere solet ei qui per cõclauia regiæ domus circunducitur. Id quod Hieronymus hoc loco nominatim repetit, testatus se uelut in penetrali regio circunspecte reuerenterq; uelle uersari, quod utinam & Lutherus interdum faceret, nec omnia uelut è tripode pronũciaret. Certe hæc est uox impiorum. Quid ergo queritur, si quem uult indurat, & cui uult miseretur? Cui Paulus respondet, ò homo tu quis es qui respõdes deo, nõn explicans quæstionem, sed retundens impiam uocem in deum, quasi deus esset iniustus, proq; sua libidine faceret omnia. Hic me conspuit Lutherus, quod de proprio capite, sine scripturis, sine miraculis pronunciem, Imò clarissima dei uerba deprauem. Miracula non professus sum me posse ædere, nec de meo capite

pite pronũcio, qui Chrysostomi ac Theophylacti protulerim autoritatem, nec sine scripturis, nisi forte p scripturis non habet, quas Diatribe tam multas recitat planissime refutantes Lutheranam necessitatem. Sed reijciet orthodoxorum authoritatem Lutherus: patiar, modo uicissim ipse patiatur me reijcere quod de suo capite præter omnium ueterum sententiam interpretatur, utcunq; uisum est causæ conducere. Chrysostomus cũq; hoc ueteres probatissimi doctores, tradunt hæc esse uerba reprimentis impiam obmurmurationem aduersus deum, nõ explicantis quæstionem quam soluit in his quæ sequuntur, quod si deus uolens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, &c. Nec omnino dissentit Augustinus, quum ait, non soluendo, quodãmodo soluit, et indicans, ubi uere soluui incipiat. Lutherus fortiter negat, asseuerans hunc sermonẽ esse clarissime profitentis meram & absolutam in omnibus necessitatẽ, nec aliud quærendũ, nisi quia deus sic uoluit. Quid inquit quærebatur ista quæstione de uoluntate dei. Nónne hoc ut necessitatem imponeret nostræ uoluntati? Vt uerbo respondeam: Nequaquam, sed quid agatur iam ante dilucide expediui, ut superuacaneum sit repetere. Verum dum apostolus studet ostendere, & Iudæorum reiectionem, & gentium admissionem non fortuito accidere, sed iam olim hoc à deo præfinitum, & à prophetis

fuisse

fuisse prædictum, adduxit exemplum Isaac & Ismahe lis, itē Iacob & Esau, quo Iudæi perspicerent, ad euā gelij gratiam nihil referre genus carnale, sed fidem, quæ propinquitatem habet spiritualem. Ex his uelut obiter incidit hæc quæstio de murmure impiorum. Si quod dico non extat in probatißimorum ecclesiæ doctorum libris, clamet Lutherus me de capite meo proferre commentum. Quod si reijcit quicquid à nobis adfertur, nos uicißim eodem iure quicquid ab illo, mirum peracta est hæc fabula. Sed fingamus hæc uerba tribui personæ Pauli, cui uult misereatur, & quem uult indurat. Qui misereatur immerētis, nullam facit iniuriam ei cui pœna non remittitur, ut hic periclitetur dei iustitia. Veluti quum uitulus adoratus esset crimen erat omnium commune, certus tamen numerus hominum interfectus est, cæteris parcitum est. Hic à nobis causa reddi non potest. Nec tamen dubium est, quin deus iustis de causis id fecerit. Et si nulla de causa faceret, nisi quia libuit, nullus hic habet quod queratur, sed sunt quibus est unde gratias agant. De Pharaone iam responsum est uarijs modis. Origenes aliter hunc nodum explicat, Non est uolentis neq; currētis sed miserentis dei, hoc est frustra cupit homo, frustra laborat, nisi accedat opitulatrix gratia, quemadmodum dicta sunt illa: Nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat qui custodit eā. Rursus illud huius

apostoli,

apostoli, Neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat deus. Tandem hanc disputationem hac clausula finit, ut uertamur ad salutem aut auertamur nobis in manu est. Cæterum quomodo dentur præmia pijs, aut quibus modis perdantur impij, hoc solius est dei. Proinde si murmuret impius, quare deus sic indurauit Pharaonem, quare sic reiecit populum electum: Respondet, non est tuum exquirere, quibus modis puniam impios. Rursus si murmurent, quare reiectis suis admittit dæmoniũ cultores, omnia mala cõmeritos? Respondet, iustus sum puniens impios, misericors uocans immeritos ad pœnitentiam. Dicis itaq; Quid adhuc queritur deus? Voluntati eius quis resistit? Vides inquit Lutherus prosopopœiã. Video, quid tum postea? Illi inquit audientes, quod uoluntas dei nobis necessitatem inducit, blasphemãtes murmurant & dicunt. Quid adhuc queritur, hoc est quur deus sic instat, sic urget, sic exigit, sic queritur, &c. quæ loquacissime prosequitur, causa destitutus. Imò quoniam quod Paulus aliam ob causam induxerat, uidebat impios rapturos in excusationem impietatis suæ, occupans refert illorum sermonem, nec statim soluit nodum quæstionis perdifficilis, sed repressa illorum arrogantia, prius illorum animos præparat, ut pij saltem accipiant quid ad hæc murmura possit responderi. Et si cui non est in promptu, quo refellat

tales argumentationes, indicat Paulus quo telo possit ilico temeritas impia coherceri. Nunquid dicit lutum figulo suo. Sic Iulius secundus fertur respondisse Lo-
22 douici duodecimi legato, per quẽ expostulabat, quur Cardinalem quendam Gallum coniecisset in carcerẽ. Quia meus inquit, est Cardinalis, Sic mihi uisum est, Nec est regis à me quærere causas quõ tractem meos Cardinales. Si rex reuerenter fuisset percontatus, fortasse Iulius nõ grauatus fuisset illi causas aperire. Nunc tantum uoluit inimicam parumque reue-
rentem expostulationem retundere. Idem hic facit Paulus.

Pergit argutari Lutherus. Si Paulus non explica-
159 rat hanc quæstionem aut non certo definierat, necessitatem nobis imponi præscientia diuina, quorsum opus erat inducere murmurantes uoluntati eius non posse resisti? Quis enim murmuraret aut indignaretur, si non sentiret definiri necessitatem illam. Iam ostensum est, nec præscientiam nec uoluntatem dei semper inducere necessitatem humanæ uoluntati, licet in quibusdam euentus inducat necessitatem ineuitabilitatis, ut scholastici loquuntur. Deus præfiniuit omnibus esse moriendum, hoc nemo potest euitare, & tamen quo genere mortis quisque sit periturus nõ est nostræ potestatis. Rursus aliter uult deus quæ præ dicit absolute, quàm quæ sub conditione. Veluti di-

ctum

ctum est Ezechiæ, Moricris & non uiues. Vixit tamen, erant enim uerba minando prouocantis ad preces ac pœnitentiam. Adhuc triduum, & Niniue subuertetur, Non tamen ilico subuersa est. Sed ut Luthero respondeam par pari referens, quur interloquendum si quod dictum incidat, quod suspicamur aliquos in malam partem interpretaturos, obiter explicamus, obturantes os, aliò rapturis quod dicebamus. Hactenus Lutherus nihil adfert nisi fortissimas asseuerationes, inculcat scripturam esse clarissimam, neminem nescire, quid sit resistere, quid sit uoluntas, quid sit deus. Cæcutiant hic inquit sanè infinita milia doctorum probatissimorum, & scripturas fingant dilucidas non esse, & quæstionem difficilem paueant. Nos habemus uerba clarissima quæ sic sonant, Cuius uult miseretur, & quem uult indurat. Nec pudet illum toties repetere quod à pueris quoque confutatum est. Si deus præscit, necessario fit, præsupposito quod deus nec errat nec fallitur. Audis magnificum κομπασμὸν, præterea nihil. Quas autem contrarietates aut contradictiones mihi naras? Si deus q̃ futura quoq; ueluti peracta prospicit, non fallitur, sequitur hominem nihil ex arbitrio suo mutabili agere? ego uideo famulum sedentem, igitur nõ erat illi liberũ stare si uoluisset? Sed quãdo ꝓdibũt ista dei tonitrua. Hominis glorioſas uoces hactenus tã

tum audimus. De prosopopœia non est inter nos controuersia. Conuenit hæc uerba, quid adhuc queritur, uoluntati eius quis resistit? esse murmuris impij, Verum illud Luthero neq; mecum, neq; cum ullo ueterũ interpretum conuenit, hæc recte dici ab impijs. Recte autem dicerentur, si homo nec ad bonum nec ad malum nihilo plus ualeret, quàm securis, quæ est in manu fabri, aut lutum quod est in manu figuli, sed mera necessitate pateretur deum in se operantem. Quod si uerũ esset, & ab illis, ut uult Lutherus, fuisset ex Pauli uerbis intellectum, nónne merito dicerent, quid adhuc queritur de nobis, qui nihil agimus, sed patimur tantum, proq; illius uoluntate uel merentes uel imme rentes damnabimur aut seruabimur? Tot leges dedit in quibus nihil esse scit, quod à nobis præstari queat, agit autem ipse nos, quocunq; ipsi uisum est, et tamẽ in Esaia clamat: Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam. In euangelio toties inclamat uæ, Hierosolymam deplorat, quod colligi nolue rit. Et quid aliud sonant omnes prophetæ, quàm expostulationes, obiurgationes ac minas. Habent & præcepta suas minas & execrationes horrendas. Itaq; si uerum est Lutheri dogma, non iniuria dicunt impij, Quid adhuc queritur? Nunc obturatur illis os dupli ci nomine, Primum quod irreuerenter obmurmurãt deo, cuius maiestas religiose & cum tremore est ade

unda

unda, deinde quod ex scripturæ uerbis perperam intellectis, colligunt ineuitabilem necessitatem, abijcientes studium uitæ in melius commutandæ, quum gratia dei nulli desit, si quod in ipso est præstiterit homo. Quod autem ius mihi narrat Lutherus dei in nos, & nostrum in deum? Imò si fas est dicere, mutuum ius est, quēadmodum inter æquum ac benignum herum & seruum. Seruus debet obsequium, herus debet præmium, etiamsi nulla interceßit pactio. Nunc deus suā fidē promißis obstrinxit homini, nec recusat argui, si minus pacta præstiterit. Sic enim apud Esaiam loquitur, Venite & arguite me. Idem apud Micheam capite 6. causam suscipit cum populo ueluti sub iudice uicturus aut uincendus. Iudicium inquit domini cum populo suo, & cum Israel dijudicabitur, Populc meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Responde mihi. Hic prouocat ad respondendum, Et Paulus dicit, ò homo tu qui es qui respondes deo? Quid ita? Quia cum iudicio respondētem audit dominus, sine iudicio obmurmurantem ferre non potest. Si non respondendo dißoluta est quæstio, quur mox diſſoluit quæstionem. Quod si deus uolens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, &c. Idq; persequitur usq; ad caput duodecimum, declarans nec totam gentē Israheliticam reiectam, & eos qui reiecti sunt, non temere reiectos, sed ob pertinacem incredulitatem, ut suo

exitio fierent alijs exemplum, nec omnes gentes euã gelij factas participes, sed eas duntaxat quæ crede/ rent euangelio. Deus nihil accepit à nobis, ut aliquid debeat, fateor, nisi quod natura bonus est, quodq; nos condidit. Quid accipit pater à filio? tamen ob hoc ipsum debet filio pietatis officium quia genuit. Præ/ ter hæc etiam pacto se nobis obstrinxit deus, quo ma/ gis ipsi fideremus. Nihil nobis promisit, nihil nobis dedit, nisi quia sic uoluit. Accedo, sed inter hæc quæ nobis dare uoluit, & donum liberi arbitrij est, quo/ niam huius magna quædam uis in homine residet, e/ tiam post lapsum primi parentis. Præstaret inquit hominem prorsus carere arbitrij libertate, & sic con ditum aut confirmatum esse, ut in malum prolabi nõ posset. Verum, sed hoc pacto magis illucesceit dei tum iusticia tum bonitas, qui uult à nobis sic timeri ut a/ metur, sic amari ut timeatur, quia sic expedit nobis. Quod si Lutherus hanc urgeat quæstionem, dicam in loco quia deus est, & facit quicquid ipsi collibuit. Quod si quis pergat sciscitari, quur ob alienum pec/ catum sic excruciat genus humanum, quur passus est hominem labi, quum posset illum stabilire? quur con didit illum, quem sciebat mox lapsurum? harum quæ stionum nullus erit finis, quarum curiositas ne pro/ grederetur in immensum, Paulus sicut impie disputã tem initio cohercuit, quo reuerenter quantum fas e/ rat audiret,

rat audiret, O homo tu qui es, ita in fine quæstionis submouet humanam scrutationem dicens, ò altitudo diuitiarum, sapientiæ & scientiæ dei. Quo dicto se ipsum etiam submouet à profundiore scrutinio consilij diuini. Satis erat hoc didicisse, Iudæos merito reijci, quia credere nolebant, gentes misericorditer recipi ad euangelij gratiam ob simplicem synceramq; fiduciam, nec ista causa geri, sed admirabili dei prouidentia, & ex prophetarum oraculis, qui Iudæorum exitio uoluit illustrare iusticiam ac seueritatem suam ineuitabilem, gentium salute, bonitatem ineffabilem, rebus omnibus ita temperatis, ut deus nec stultus, nec improuidus, nec iniustus uideri posſit. Cæterum si Paulus sensit quod Lutherus, ad hunc modum respondere debuerat obmurmurantibus, Quid queritur, quid accusat, quur minitatur, quid expostulat, & cætera, Sic loquitur deus crucifixus, sed deus ille non prædicatus aliud sentit. Deus crucifixus præcipit, minatur, blanditur, obiurgat, expostulat, terret, allectat, sed latens ille deus nihil horum, uerum pro sua libidine operatur in hominibus tum bona tum mala: quosdam destinauit gehennæ, quosdam æternæ uitæ, quod destinatum est necesse est fieri, nec hic quicquam habet momenti uoluntas hominis. Hic si remurmurent impij, qui iustus ac bonus esse potest talis deus?

Lutherus respondebit pro Paulo, fidem esse deo gra-
tissimam. Huic autem nullum esse locum, nisi deus ui-
160 deatur iniustus & crudelis, Et si responsum hoc pa-
rum uideatur, addet hominem ex peccato primorum
parentum nasci natura tam uiciata, ut minimum dif-
ferat à satana, totusq; feratur ad omnem impietatẽ,
ita fieri ut deus ille secretus adorandus non colendus
omnipotenti motu suo, non possit aliud in hominibus
agere, quàm impietates, blasphemias, & omne scele-
rum genus. ne gratia quidem tam mala securi, possit
opus bonum facere. Cum hac consolatione Lutherus
dimittit hominem, tantum obturans illi os, ne de re-
bus hisce ausit hiscere, tantum sinat deum agere quod
agit. Alioq uoluntati eius quis resistit? Huc detorque-
tur & illud ex precatione dominica, fiat uoluntas
tua, sicut in cœlo & in terra, ut probet omnium rerũ
ineuitabilem necessitatem. Superuacuum igitur erat
hoc ipsum dicere, fiat uoluntas tua, quæ futura erat,
etiamsi contrarium rogares. Imò superuacaneum est
quicquam à deo petere, stante necessitate quam fingit
Lutherus. Sed quis unquam diuorum hominumúe lo-
cum hũc interpretatus est de necessitate rerum omni-
um? Quin potius orant pij, ut homines submittant
» suam uoluntatem gratiæ diuinæ. Videor hoc mihi in
Lutheri scriptis animaduertisse, Non semp est intẽtus
ijs quæ scribit, nec id fieri potest ut hominis animus
perpe-

perpetuo sit intentus alicui negocio, Semper tamen illi currit calamus. Itaq; quo crescat uolumen, plurima incidunt, quæ nihil aliud q̃ chartas explent. Nunc repetit plus deciẽs dicta, commutatis tantum uerbis, nunc concionatur uersans in locis communibus, nunc asseuerationibus explet chartas, nũc ineptis salibus, & infacetis facetijs eximit tẽpus, Nũc quicquid offertur aut succurrit animo, quocũq; modo detorquet ad causam suã. Ac præter cõuitia qbus natura scatet, habet uerba quædã ueluti magica, quæ non ratione, sed uehementia quadã afficiant lectoris animũ, uel imbecillem, uel parũ eruditum. In quibus quoniã imaginatio plurimum ualet, iuxta physicos, adeo ut frequenter morbos graueis & mortem pariat, fit ut quodam modo afflentur spiritu, utinã sancto. Irenæus tradit arte simili plurimis imposuisse Valentinum ac Marcionem, non mulierculis tantum, sed & iudicibus. Habebant uerba quædam barbara, incognita, uehementia, imperiosa. Ea mira fiducia pronunciantes territabant iudices, & infirmos rapiebant in suã sententiam, mulieribus etiã prophetiæ spiritum dabant, iterum atq; iterum iubentes, præcipientes, imperantes, ut tantum aperirent os, asseuerantes prophetiam fore quicquid dicerent. Quid quæris? Incalescebant magicis uerbis imbecilles animi & afflabantur, non aliter q̃ qui commenticijs uocibus adiurati intumescunt,

fremuntq; perinde quasi ueris exorcismi uerbis premantur. Huiusmodi uocibus quum omnes Lutheri libri, tum hic præcipue scatet. Addit æris Dodonæi loquacitatem, aut si quid illo est loquacius, ut lector quãuis sanus & integer, tamen hoc tædio delassetur. Quoties ex infallibili dei præscietia collegit, nullum esse hominis arbitrium, sed omnium rerum ineuitabilem necessitatem, non sine risu omnium qui uel limen attigerunt theologiæ. Talia sunt quæ stomachatur hoc capite in eos qui scrutantur arcana dei in sacris literis, illic curiosi ubi non oportet, illic oscitantes, ubi fuerat opus scrutinio. Quid autem est impie scrutari Lutherus expedit, Certam dei præscientiam cum libertate uoluntatis humanæ coniungere. Itaq; si deus præscit me uersurum manum, mihi non liberũ erit uertere aut non uertere, aut si liberum est, deus fallitur, & erit idolum ucrius q̃ deus. Quod sophisma dissoluunt qui dies decem uacarũt sophisticæ. Interim tot admiscet fucos, ut uel recensere tædeat, Qualia iam permulta demonstrauimus, Quorũ est & illud in hoc capite, quod confundit esse, uelle, & agere, quum in altero fateamur aliquam necessitatem, in altero distinguimus. Deus inquit, præsciuit Iudam futurum, ergo uitari non poterat, quin Iudas fieret proditor. Neq; enim erat hic locus libero arbitrio. Et hoc solus deus operatus est. Sed idem deus inquit, operatur in

tur in nobis & uelle & agere. Concurrit enim prima causa ad actiones naturæ. Verum malam uoluntatem, quatenus mala est, & impium facinus quatenus impium est, bonus deus non operatur in nobis. Nec adrem facit quod hic distinguit omnipotentiã, alteram qua multa nõ facit quæ potest, alterã quæ potẽter oĩa facit in oĩbus. Et hac inquit in scripturis dicitur omnipotens. Quorsum attinet hoc commentũ? Certe huic loco non congruit. In proximo capite quoniã nihil 161
est præter uerborũ turbas & uocũ congeriẽ, non est quur respõdendo teramus tẽpus, nisi quod satis impudenter inculcat, ipsius dogma per naturam quoq; mẽtibus omniũ mortaliũ impressum esse, si deus est omnipotens & infallibiliter præscit omnia, ergo nullũ est hominis liberũ arbitriũ. Caruerũt igitur cõmuni naturæ sensu tot Ecclesiæ doctores, aut non crediderunt dei præscientiã infallibilẽ. Cæterũ quũ ea quæ nobis insita sunt à natura, etiã citra doctoris opam intelligũt oẽs, qualis illa lex est, qd' tibi fieri nolis, alteri neceris, qui factũ est, ut Lutherus homo tam ingeniosus, tã sero potuerit hoc sibi psuadere. Nõ enim quærã unde factũ sit, quur tã ægre nũc quoq; doctißimis uiris psuadeat. Verũ isti legi quã fingit Lutherus oĩbus insitam, aduersatur altera lex penitius insita mẽtibus hominum, adeo ut ethnici quoq; sic colligant, Deus est summe iustus ac bonus, Si iustus est, non punit in

æternum

æternum eos, qui nulla sua culpa, sed ineuitabili necessitate peccarunt, nec irrogat suplicia ob ea mala quæ ipse operatur in hominibus. Sed pro sua bonitate nulli deest ad salutem, modo ne quis desit sibi. Hæc est uera lex inscripta mentibus hominum, præsertim Christianorum, tam infixa penitus, ut etiamsi sophistæ nectant inexplicabiles nodos, de ineffabili dei præscientia, non possit tamen labefactari, sed neglectis eiusmodi uerborum præstigijs stat immobilis.

162 Ad id uero quod obijcit, si Paulus hoc loco non definit absolutam necessitatem rerum humanarum, frustra adducit similitudinem luti & figuli, Iam supra responsum est. Quẽadmodũ enim id quod præcessit, homo tu qui es qui respondes deo, non explicat quæstionem, sed retundit impiam obmurmurationẽ, sic et hac similitudine facit idem. Tum in Diatriba satis demonstratum est, huiusmodi similitudines non exigendas ut quadrent per omnia, satis est ad id congruere, cui probando adhibentur. Deinde quod asseuerat Paulum tota hac epistola nihil aliud agere, q̃ ut ostendat hominem nihil agere, manifesto falsum est, quemadmodum ex ipsa re liquet, et nos supra declarauimus, ne semper eadem iteremus. Nihilo uero congruentius q̃ paulo ante citauit ad probandam ineuitabilem necessitatem, fiat uoluntas tua, sicut in cœlo & in terra, nunc eodem adducit uerba Pauli, Gentes quæ non secta-

sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, Iusti
tiam autem quæ per fidem est. Israhel autem sectando
legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. Toties
rogat Diatribã, num intelligat quid loquatur, iustius
idẽ hic rogarim Lutherũ. Nihil enim aliud hic agit
hac epistola Paulus, nisi q̃ gentes quum essent à lege
alienæ, tamen credentes Euangelio consequuti sunt
gratiam. Contra Iudæi, qui à pueris uixerãt in lege,
quoniam resistebant Christo, repulsi sunt à gratia. Id
aperte declarant quæ sequuntur. Quia non ex fide,
sed quasi ex operibus: offenderũt enim in lapidẽ offen
sionis. Ex legis operibus nunq̃ iustificabatur homo,
nisi adesset fiducia in Christum promissum: multo mi/
nus post Christum, ubi iam pleraq; legis opera cessa/
bant. Secus accidit q̃ multi putabant, ergo ne mera
necessitas agit omnia? Sic probat sua Lutherus, qui so
lus nouit & sensum & usum scripturarum. Iam quod
adductum erat ex Paulo, Tu fide stas, ne animo extol
laris: sic diluit, Verba inquit, sunt imperatiua & con
iũctiua, qua de re gloriatur se supra satis dixisse, Eq/
dem fateor etiam plus satis, sed nihil adhuc probatũ
est. Verum toties iam dictum est, iudicio sensus com/
munis ex his intelligi facultatem perficiendi, quod iu
bemur. Et si deus crucifixus delectatur hoc modo lo/
qui, quid opus est apostolos eodem more dicere? Imò
quur hodie sic loquuntur, qui docent populum? Ali/
ud lem/

ud lemma: Paulus inqt, nõ dicit nos posse credere, sed potẽs est illos inserere. Verũ, sed præcesserit, si non permanserint in incredulitate. Vt autem resipiscant minima quidem parte in ipsis situm est, sed quæ tantum habeat momenti, ut si desit gratiæ dei, sibi debeat imputare homo qui perit. Hic exceptos uelim, quos deus ob præcedentia merita tradidit in reprobum sensum, & peculiare dei consilium, quo nonnullos subito transformat in alios homines, aut quum gratiam subducit ad tempus ijs quos diligit. Hac ratione potest homo credere, & potest non credere. Quis enim nescit per spiritũ hominẽ inseri corpori Christi, nõ suis uiribus? Omitto cauillos hominis, quibus taxat trãsitiones & clausulas meæ Diatribes, cui dicit hanc causam non esse cordi. Quis erat futurus uoluminis modus, si ad singula dicta more Lutheri resisterem, desiderem, premerem, urgerem, redirem? Et ut ingenue dicã, paucos illos dies quos dedi Diatribæ, maluissem
» alibi collocare. Sciebam me nihil aliud q̃ cicadam alacorripere. Quid autẽ stultius, quàm cum eo disputare, qui nihil admittit nisi scripturæ uerba, sed harum interpretationem uni sibi reseruans, Imò qui sibi permittit comminisci quoties commodum est, quod nõ magis è scripturis elici potest quàm è pumice lac. Et tamen sibi uidetur mirificus disputator, atq; ita regesta, sibi canit encomium.

Pergit

Pergit discutere, quod adduxi nihil uetare, quo mi/ 163
nus libertas cohæreat cum aliqua necessitate, ut, de/
us necessario gignit filium, & tamen uolens ac libe/
re gignit, quia non coactus. Loquimur inquit, de ne/
cessitate immutabilitatis: de eadē et ipse loquor. Neq;
enim sentio coactionem, quum quis id patitur agit ue
quod non uult, sed quū non potest nō uelle quod uult.
Quod si non placet uerbū coactionis, pro nō coactus
mutetur, natura immutabili. Nusq; enim urgeo Luthe
rum necessitate coactionis, quam ipse fingit, nimirum
eam, qua cogitur homo facere quod nō uult. Quan/
quam Lutherus huiusmodi coactionem, qualem ego
pono, uidetur inducere, dicens hominem suapte na/
tura nihil uelle nisi impia, nec aliud posse uel uelle uel
agere. Hanc uoluntatē quū aliò uertit gratia, nonne
quodāmodo uim facit & cogit, quemadmodū usu ue
nit, qui philtris alijsq; ueneficijs cogūtur amare quos
oderant, & odisse quas amabant: aut quemadmodum
rex iussu suo facit ut homo uelit, quod alioqui nole/
bat. Ita uis fit aquæ, dū lebete feruefacta cogitur cal/
facere, natura suapte frigida. Quanquam igitur hic
Lutherus diuidit necessitatem in uiolentam, quæ per/
timeat ad opus, & aliam infallibilem, quæ referatur
ad tempus, negans se de priore necessitate loqui,
tamen quod uitat non effugit, in transformanda per
gratiam hominis uoluntate, qui sit expers gratiæ.

Quin

Quin et subducta luce cogor nihil uidere. Ita uis quæ dam fit & illi, qui ob nullam suam culpam, sed tan tum quia sic deo libuit, subducta gratia relabi cogi tur in malitiam. Deniq; Paulus sustinens personã pec catoris, scribit se uelle bonum, at non posse quod uult efficere, itaq; quod non uult, facere. Attamen unde Lutherus hauserit hanc distinctionẽ, non satis uideo. Scholastici theologi distinguunt necessitatem immuta bilitatis à necessitate ineuitabilitatis, ut prior perti neat ad præsens tempus ac præteritum, posterior ad futurum, Priore deus pater gignit filium, posteriore, moriendum est omnibus, & uenturum est iudiciũ ui uorum ac mortuorum. Rursus si deus præscit Iudam futurum, Iudam fore necesse est necessitate ineuitabi litatis, at non est eadem necessitate necessarium, ut Iu das prodat dominum, si dominus præscit hoc illum fa cturum. Iudas uolendo prodidit dominum, fatetur Lu therus, qui aliâs docet uoluntatem hominis nihil age re nec in bonis nec in malis. Verum hoc inquit, uelle in ipso Iuda certo & ineffabiliter futurum fuisse dici mus, si deus præsciuit. Assentior. At non continuo se quitur, ut Iudas necessario susceperit uoluntatem pro dendi, sed eam uoluntatem poterat non suscipere, si cæteros apostolos imitari maluisset, q̃ inhiare pecu niæ. Iam ponamus Iudam aliquando fuisse in gratia, quæ res mutauit illius uoluntatem? Nónne liberum ar

bitrium

bitrium ad deteriora sese deflectens? Imò dicet Luthe
rus, uoluntate dei subtracta gratia. Et hic igitur uis
quædam est, ut modo dixi. At eam Lutherus non ad-
mittit, sed tantum infallibilem necessitatem. Nos infal
libilem dei præscientiam agnoscimus, infallibilem ne-
cessitatem nusquam apud orthodoxos legimus. Quid
Luthero sonent hæc uerba ipse uiderit, Multo minus
intelligo. Non disputamus inquit, an Iudas inuitus ac
nolens proditor sit factus, sed an tempore præfinito
à deo, infallibiliter fieri oportuerit, ut Iudas uolendo
proderet Christum. Ne nos quidem hoc agitamus, an
Iudas inuitus prodiderit, etiamsi quo reclamante con
scientia facinus impium patrat quodammodo nolens
facit, & cogitur à sua praua cupiditate abstractus et
illectus, sed potuerit ne euitare, ne tale facinus admit-
teret. Lutherus negat, ego dissentio, In hoc est contro
uersia. Oportuerat, quoniam necessitatis uerbũ est,
nobis suspectum est, nisi dicas necessitatem consequen
tiæ. Certo futurũ erat, quod deus infallibilis futurum
præsciuit. Et tamen Iudas poterat non suscipere pro-
dendi uoluntatem, aut susceptam potuit deponere, to
ties ad resipiscentiam in cœna & post cœnam prouo-
catus. Quo minus mutarit, in causa fuit uis liberi ar-
bitrij, subducens sese gratiæ pulsanti, & inuitanti ad
pœnitentiam. Quod si mutasset uoluntatem? Iam hoc
dissoluit Diatriba, nec falsa fuisset dei præscietia, nec

impedita uoluntas, quandoquidem hoc ipsum præsciturus ac uoliturus erat deus, q̃ esset mutaturus uoluntatem. Iamq; constat inter pueros etiam, infallibilem præscientiam manere in his quoq; rebus, quæ quoniam ab hominis uoluntate libera pendent, mere contingentes sunt. Contingens autem est, quod priusq̃ fiat, potest esse aut non esse: ut ego possum nunc uertere calamum, aut non uertere, & tamen quicquid facturus sum, deus nihilo incertius præscit, q̃ si res esset necessaria. Hoc à Diatriba dictum dissimulat Lutherus, sed aliud quiddam arrodit. Vide inquit, quid hic dicat Diatribe. Si spectes dei præscientiam infallibilem, necessario Iudas erat proditurus, & tamen Iudas poterat mutare uolũtatem suam. Intelligis etiam mi Diatriba quid loquaris? Imò tu Luthere, intelligis ne quid loquaris? An tam acutus homo non perspicis hæc à Diatriba proponi, & refelli postea, sicut antedocuimus? Quemadmodum ante confudit opiniones de libero arbitrio, ita pari subtilitate nunc confundit obiectionem cum responsione, adeo uigilat is, cui pertinuo stertit ebria Diatribe. Insulcit obiter, quod in fine Diatriba dicit, hominem semel dediticium peccato nihil piũ uelle, quod hic deprauat, nihil nisi malũ uelle, quasi nihil sit medium inter bonum & malũ. Sed ad hoc nugamentum nunq̃ non retinniens, iam toties responsum est. Habes quid dicat Diatribe, Nunc audi quid

quid dicat Lutherus. Quomodo potuit Iudas muta/
re uoluntatem suam, stante infallibili præsciẽtia dei?
An potuit præscientiam dei mutare, & fallibilem fa
cere? Non ô bone, sed hoc ipsum præscit deus, quò uo/
lubilis illa uoluntas huc & illuc quò lubet uersans se/
se, deniq; sit deflexura sese. An Diatribe non satis
dilucidis argumentis declarauit, dei præscientiam
quamuis infallibilem, non inducere necessitatem im/
mutabilitatis aut ineuitabilitatis humanæ uoluntatis?
Quid est igitur quod hic iactitat, hic succumbere Dia
triben, ac relictis signis, proiectis armis loco cede/
re, ac susceptam disputationem ad Scholasticas subti/
litates reijcere, qui distinguunt necessitatem conse/
quentis & consequentiæ, quas ipsa nolit persequi, me
quum res maxime posceret uirum, terga uertere,
& alijs respondendi negocium cedere, potius non
suscipiendum fuisse certamen? Quid cætera com/
memorem, prolixa est ac gloriosa oratio, de car/
dine causæ, de transitionibus rhetoricis, de nugis
nihil ad rem pertinentibus, de animo nihil affecto
causæ, de quæstionibus theologicis serio tractandis.
Et hæc nobis ita canit pyrgopolinices, quasi Dia/
triba non attigerit causæ cardinem, quum ut iam
ostendimus, post ostensuri clarius, nullũ sit argumen/
tũ nec in illius assertione, nec in hoc triũphali libro,
qd non discussum sit & excussum, si uelit attendere,

imò potius si uelit fateri. Abunde demonstratum est, præscientiam quamlibet infallibilem non inducere ne cessitatem inuitabilitatis humanæ uoluntati. De uoluntate durior est quæstio, hoc est de destinatione decretoq; dei. Quid hic non dissecuit Diatriba, ut nodos dissolueret? Distinxit naturas rerum, quarũ aliæ pendent à nostro arbitrio, aliæ nequaq; aliæ pertinent ad salutem nostram, aliæ non item, Quod genus est, diuitem esse aut pauperem. Distinxit euentum à destinatione, distinxit uoluntatem dei, conditionalem, permissiuam, signi et efficacem. Excussit illud Lutheri tetũ, sic exaggerantis naturam hominis uitiatã, ut nec spiritus sanctus posit in eo bonum opus operari. Excussit & alterum telum, de omnipotente motu, quod obiter mutuatus uidetur ex Diatriba. Quum enim nullo telo magis se iactet, tamen id in assertionibus nõ uenit illi in mentẽ, quum doceret omnium rerum absolutam necessitatem. Et tamen interim Diatriba pugnat cum aduersario legibus ab ipso præscriptis. Vbi igitur Diatriba agit rhipsaspidem, ac terga uertit? Quia negat se uelle similes argutias scholastico rum persequi? Quid erat necesse lõgius persequi quũ tantum adduxissem, quantum ad rem proposità erat satis, præsertim quum Lutherus tales argutias soleat fortiter contemnere, quoties aduersus ipsum faciunt, amplectens quoties hæret in Syrti quæstionis. An me uolebat

uolebat hic repetere quicquid sophistæ garriunt de futuris contingentibus, de præscientia ac prædestinatione dei? At conuenerat ut scripturarum testimonijs res ageretur. Rapuit igitur uel in cursu Diatriba, quod nodum dissecaret, & Lutheri meram necessitatẽ extruderet. Hoc facto quò se proripit rhipsaspis? Ad id quod instituerat, ad loca scripturarum explicanda, quæ Lutherus ad suũ dogma detorserat. Quis unq̃ uidit militem in bello turpius fugere, q̃ si amolitus quod obiter intercurrit, redeat ad aciem?

Superius ita loquutus est de necessitate consequẽtis 164
& consequentiæ, ut suspicarer hominẽ studio rem obscurare uerborum fumis: hic sic explicat rem, ut uideatur non intelligere, de quo tam multa uerba fudit. Sic enim argumentatur, Si enim necessitatẽ consequentiæ concesseris, uictum ac prostratum est liberũ arbitrium, nec quicq̃ iuuat uel necessitas, uel contingentia consequentis. Quid ad me, si liberum arbitrium non cogatur, sed uolenter faciat quod facit: sufficit mihi, quod concedis necessario fore, ut uolenter faciat quod facit, nec aliter habere se queat, si deus ita præscierit. Hæc ille. Primum admiscet hic suam coactionem, quum ego loquar de necessitate ineuitabilitatis, quando scholasticorum more loquendũ est. Itaq; quum illi nominant necessitatem consequentis, intelligunt eum qui facturus est euitare nõ posse quin fiat,

quod præscitur. Hanc ineuitabilem necessitatẽ si Lutherus appellat coactionem, per me sanè licebit. Hãc in Iuda proditore fuisse negamus, stante libero arb. & pulsante dei gratia. Ad hæc tota hac disputatione Lutherus uidetur errare in uerbis, hoc necessario fore interpretans, quod certo siue sine dubio futurũ est, deo præsciente, quasi quicquid uerum esset & certũ, idem esset necessarium. Vtrum manũ inuersurus sim nec ne deus præscit, & certo futurum est, quod ille præscit, & tamen quoniam an fiat nec ne, pendet à mea uoluntate, non fit hoc à me necessario, sed contingenter: & hanc uoluntatẽ contingenter ad id faciendũ inflexi, erexi manũ, ipse nondũ certus, utrũ pronã an supinã ostendere uelim, & me nõdum certo, deus certus est. Vtrumcunq; nouit deus futurũ, certo fiet, at non necessario, Poterat enim non fieri, si mihi libuisset. Et tamen hic est necessitas consequentiæ, si deus præscit me manum supinam ostensurũ, necessario consequitur fore, ut id faciam, & tamen ipsum faciã contingenter, quemadmodum & deus hoc præscit contingenter. Falsa sunt igitur quæ colligit sic Lutherus. Hoc enim efficit necessitas consequẽtiæ, id est, si deus præscit, ipsum necessario fit, hoc est liberũ arb. nihil est. Speculator prospicit hominem aberrantem à uia, uenturum in manus latronũ, num ob id inducit illi necessitatem errandi & incidendi in manus latronum?

Post

Post tam friuolam argumentationem, uide q̃ magnifica succedit asseueratio. Ista necessitas consequentiæ nõ est obscura nec ambigua, ut si etiã cæcutiant omnium seculorum doctores, cogantur tamen eam admittere, quũ sit ita manifesta & certa, ut palpari possit: miror eum nõ addidisse peronatis pedibus, ne parum esset hyperbolus. Aut ego nihil uideo, aut Lutherus nondum intelligit quid sit necessitas consequentiæ & consequentis. Exemplũ necessariæ consequentiæ ponit hoc, Si deus præscit, ipsum necessario fit. Imò hic est necessitas consequentis, potius q̃ consequentiæ. Aliud est, si diceret, Necesse est hoc fore, si deus præscit. At non sequitur, deus certo præscit, ergo necessario fiet. Exemplum alterius tale ponit, Deus præscit Iudam fore proditorem, ergo certo & infallibiliter fiet, ut Iudas sit proditor. Quid interest inter hoc & illud, nisi quod illic est conditionalis falsa, hic rationalis æque falsa, Si Lutherus, ut facit, non distinguit certũ & infallibile à necessario. Deus unico contuitu nouit res oẽs sic ut erant, sunt, aut futuræ sunt. Nec illius notitia mutat naturã rei, sed res potius mutat modũ notionis diuinæ. Quæ fiũt necessario nouit necessario, quæ cõtingenter, nouit ut cõtingẽtia. Vbi Petrus currit, deus certo scit illũ currere, quũ tamen ille currat cõtingẽter: ubi desijt currere, æq; certo scit hanc ꝓpositionẽ Petrus currit, esse falsam, et nouit futura,

ut nouit præsentia. Quum uideo Petrum currere, certum scio illum currere, nec tamen ille necessario currit, poterat enim non currere, potest desinere quum uolet. Quod si mea noticia nullam necessitatem addücit rebus quæ geruntur ex libero arbitrio, nihiloplus adfert præscientia dei: & illius notitia quodã modo mutari potest ex arbitrio nostro, falli tamen non potest, quemadmodum ego non fallor intuens hominem sic aut sic agentem. Modus actionis in causa est, ut sic aut sic cognoscam, non mea cognitio facit, ut sic aut sic agat. Siue enim uideam, siue non uideam, ille tamen agit quod agit. Eadẽ est ratio de præscientia. Si uideo Petrum currere, sequitur hanc propositionem esse ueram, Petrus currit: at non sequitur necessario uerum esse quod natura sit contingens. Ita sequitur, deus præscit hoc fore, ergo fiet: at non sequitur, ergo necessario fiet, Alioq sequeretur quicqd esset futurũ, id necessario fore, nihil contingenter, sed omnis propositio de futuro uera, esset necessaria, et oĩs propositio de futuro falsa, esset impossibilis, quod est iã olim explosum à philosophis. Ut ubi tum erit illud liberum arbitrium, quod Lutherus homini tribuit in rebus inferioribus? Quicquid hic ratiocinatur, etiam illic habebit locũ, Si illic non habent, nec hic habitura sunt. Eadem est & summarum & infimarum rerum præscientia apud deũ, Nisi forte dicet esse, quæ fugiant dei præ-

dei præscientiam. Pergit offundere fumos. Quia Iudas, inquit, potest mutare uoluntatem prodendi, ideo non est necessitas consequentis. Fateor hoc sentio, & uerũ est, si quid interest inter contingens & necessarium, aut inter propositionem contingentem & necessariam. Nec statim est necessario uerum, quod infallibiliter ac certo uerum est. Finge Petrum moturũ pollicem, hæc contingenter erit uera, Petrus mouebit pollicem, ac si mouerit, mouet pollicem, Vbi mouere desierit, erit contingenter uera, Petrus mouit pollicem, quum tamen huius ueritas sit immutabilis, quod eius ueritas pendeat à præterito quum poterat Petrus mouere aut non mouere pollicem. Hæc quũ adolescentibus tritissima sint, demiror Luthero non uenire in mentem, q̃ hic ridicula nobis inculcet. Pergit argutari, ne dicam ineptire. Rogo te, inquit, quomodo conueniunt illa duo, Iudas potest non uelle prodere, & necesse est ut Iudas prodere uelit? Hæc fateor esse contradictoria, Quid tum postea? Diatriba nusq̃ pronunciat hanc esse ueram, necesse est ut Iudas uelit prodere, imò habet eam pro manifesto falsa. Non cogetur inquis, prodere inuitus. Quis hoc dixit? Lutherus, Diatriba nusq̃. Aliud inquit, quæro, aliud reddis. Qui sic? Responsio fuit de necessitate consequentis, et tu exemplum profers de coactione consequentis. Vbinam hoc exemplum est? Verba Diatribes sic habent,

Fatentur necessario consequi, quod Iudas fuerit proditurus dominum, si hoc ab æterno uoluntate efficaci uoluit deus, at negãt consequi, quod ideo necessario prodituras sit. Hic nihil est eorum quæ Lutherus iactat, Et tamen ego colligo ex uoluntate dei efficaci, ille colligit ex præscientia, quæ collectio iam fuit explosa. Qui congruunt illa duo, q, Lutherus fatetur Iudam contingenter fuisse, & tamen asseuerat eundem necessario agere? Contra theologi fatentur deum necessario esse, non tamen omnia necessario scire, licet infallibiliter sciat omnia. Si cõtingens in se completur posse & non posse, quomodo potest necessario fieri, quod sit contingenter? Ideo uero Iudas contingenter prodidit dominum, quia poterat uelle prodere, & poterat non uelle. In huiusmodi dialecticorum argutijs puer nec admodum uolens, nec admodum fauente Minerua uersatus sum, & ex tanto temporum interuallo, non ita multum resedit in memoria: proinde parcius attigi in Diatriba, ne molestus essem lectori. Et tamen Lutherus qui in his bonam ætatis partem consumpsit, hactenus sic se gessit, ut nusquam frigidius aut delirantius.

165 Nunc aggreditur alterum locum de Iacob & Esau, de quibus nondum natis dictum est, Maior seruiet minori. Inter multa demonstrat Diatriba locum illum non proprie loqui de ijs quæ ad salutem hominis aut exitium

exitium pertinent. Non enim refert ad salutem, seruus sis an herus. Hic Lutherus ueluti latissimum debacchandi campum nactus, mire uociferatur, Diatribam eludere scripturas, fugitare ueritatem, Hieronymũ iterum atq; iterum uocat sacrilegum, & anathemati deuouet, qui scribit alicubi, testimonia quædam scripturarũ pugnare apud Paulũ quæ suis locis nõ pugnant. Quid multis? Ingens est tragœdia. Verũ hic lubens appellarim Lutherũ rogaturus, nũ integer mentis fuerit, quũ hæc uociferaretur? Hoc loco nulla Hieronymi mentio, & quod interpretor Lutherus concedit locũ illũ non ptinere ad salutem æternã, sed ad huius uitæ cõmoda aut incõmoda. Neq; enim nobis cõstat, Esau damnatũ esse apud inferos. Sed quẽadmodũ rex eos diligere dicitur, quos euehit ad summos honores, odisse quos nullo dignatur honore, quos mulctat spoliatq;, ita loqtur deus in scriptura. Non hic utor dicto Hieronymi, qd' execratur Lutherus nec ipse significo Paulũ quicq̃ secus adducere q̃ oportet. Itaq; demẽtiæ uerba sunt illa de sacrilego ore Hieronymi, de hebetudine et oscitãtia, de execratiõe anathematis. Q d' si forsitan maxime hic meminissem Hieronymi, quid opus erat illa tragica interpretatione, Pugnant apud Paulũ, q̃ suis locis nõ pugnãt, hoc est, Paulus quũ fundamẽta dogmatis Christiani iacit, nihil facit nisi q, de prauat scripturas diuinas, & ludit animas fidelium,

sententia

sententia è suo cerebro efficta, &c. Iuge hoc est proferre diuina tonitrua, Piget referre cætera. Sed quid tandem offendit Lutherum? Si locus sentit non de salute aut exitio æterno, sed de honore temporali, num ideo Paulus deprauat scripturas? An hoc nouũ est in scripturis sacris, exempla rerũ corporaliũ adducere, ad demonstrationem spiritualium? Sicuti tunc inuertit honorem primogenitalium, ac maiorem uoluit seruire minori, sic nunc honorem habuit gentibus, quæ prius fuerant contemptißimæ, ac repudiat Iudæos populum electum, uidelicet inuerso rerum ordine. Verum quemadmodum illud fiebat non casu, sed ex destinatione dei, ita quod nunc agitur in Iudæis ac gentibus. Quid si dicam ne hic quidem Paulũ agere tantum de causa salutis æternæ, sed de Iudæorum gloria ad gentes translata, Subuersa est ciuitas, ademptũ regnum, subrutum templum, ipsi per orbis plagas dispersi, penes gentes gloria religionis est. Cæterum quod proprie pertinet ad negocium salutis, nec ulli Iudæorum præclusa est uia ad salutem, nec omnes gentes receptæ sunt, sed utrisq; patet eadẽ uia fidei, quemadmodum ab æterno deus hoc futurum & præsciuit, & statuit: ut iam nec gentes oporteat diffidere, reputantes impiam uitam suam, nec Iudæos obmurmurare, quum hoc ipsum deus prophetarum ore futurum prædixerit, ut antiquata legis gloria, lex Euangelij

spargeretur

spargeretur per uniuersum orbem. Asseuerat hunc 166
locum recte à Paulo adductum, etiam si loquatur de
honore tẽporali. Idem affirmat Lutherus quod ego.
Quur ergo litigat? An est ulla syllaba in mea Diatri
ba hoc sanè loco suggillans Pauli citationem? Verba
Diatribes hæc sunt, Vt hoc testimoniũ apud Paulum
non admodum pugnet ad probandam necessitatem,
sed potius ad retundendam arrogantiam Iudæorum.
Ex his uerbis potius elicere debuit, testimoniũ apud
prophetã pugnare magis q̃ apud Paulũ. Ad id quod
hic agit Paulus aptißime citauit, ad necessitatem
Lutheri probandam nihil facit, quoniam hoc nõ agit
Paulus. Agnosco Pauli uerba de nondum natis, pri-
usquam quicquam boni mali úe gessissent dictum est
grauidæ matri, non Saræ, ut somniat Lutherus, sed
Rebeccæ, Maior seruiet minori. Sit in his uerbis car-
do causæ, nihil refugio. Quid ait Lutherus? Diatriba
dißimulat hæc, neq; quicq̃ disputat de meritis. Non
pudet hominem tam manifestariæ uanitatis. Mox eo
dem loco sequitur in Diatriba: Quoniam autem deus
quos odit aut diligit, ex iustis causis odit aut diligit,
non magis officit libertati arbitrij odium & amor,
quo prosequitur nascituros, q̃ quo natos. Nam nõ na-
tos odit, quia certo præscit illos gesturos odio digna,
natos odit, quia committunt odio digna. Hanc senten-
tiam quum multis uerbis prosequatur Diatriba, ta-

men

men Luthero dicitur rhetoricis transitionibus utens nihil de meritis attigisse. Sed quid ex his uerbis colligit Lutherus? nullis meritis, sed sola uoluntate dei, reiectos Iudæos, et gentes ad Euangelium uocatas idq; mera necessitate factũ, sic ut nihil egerit uel in his uel in illis liberũ arbitrium? Quur igitur ipse Paulus exprimit merita Iudæorum, ob quæ reiecti sunt à deo, quia tot modis prouocati, pertinacissime, sicut ait Stephanus, restiterunt spiritui sancto. Nihil illos mouit patriarcharum exemplum, legis religio, prophetarũ oracula, ipsius domini præsentia, miracula, beneficia, contempserunt omnia, & salutis autorem subegerũt in crucẽ. An hic nulla sunt merita, ob quæ reijci debuerint? Hoc totũ Paulus ciuili uocabulo uocat incredulitatẽ. Neq; nullũ tamen meritum notat in gentibus, non quidem opa uitæ prioris, sed fiduciam erga Christum. Quorsum igitur pertinent illa, Non ex operibus, sed ex uocante? Eò pertinẽt, ut Iudæis ob admissas gentes murmurantibus obturaret os. Clamabant illi, quur admittis impias gentes ad tantum honoris? Respondet deus, Quur de nondum natis dictum est, maior seruiet minori? Ad hoc si non potestis respondere, quum sit in lege uestra scriptum, Desinite inquirere, quur ego gentes præferam Israhelitis. Non sic amo odi úe quẽadmodũ homines, qui ex rebus gestis concipiunt amorem aut odium. Ego priusq; nascãtur

homines

homines, scio quales futuri sint, & unicuiq; præfinio quæ sint illis digna, Ideo Esau nihil prodesse uolui, q̃ esset primogenitus, quia nouerã quibus moribus esset futurus, Iacob faui, q̃ ab æterno præsciui uirũ pium, & hoc honore dignum futurum. Nec hic ualuit patris Isaac uolũtas, qui benedictionem destinarat Esau, quem diligebat, nesciens uter esset amore aut odio dignior, sed uicit dei decretum. Nam hic apostolus in collatione, Esau supposuit loco Iudæorum, Iacob loco gentium, quemadmodũ mox Pharaonem adducit loco Iudæorũ. Esau paruit uoluntati patris, egressus in uenatũ, & tamen benedictione frustratus est, Iacob nihil officij præstans patri, per dolũ intercepit benedictionẽ. Isaac lex erat carnaliter obseruata, Rebeccæ quæ dedit consiliũ irrependi, erat gratia, Nulla præcesserant merita, quũ audiret mater, maior seruiet minori, sed merita præuiderat deus, cui præsentia sunt oĩa. Proinde nõ est hõis obmurmurare deo, quur hũc honoret, illũ reijciat. Nouit enim ille causas occultas, quæ latẽt hominẽ, & ex futuris definit, non ex præteritis. Cæterũ q̃ ait, ut secundũ electionẽ ꝓpositum dei maneret, nõ ex opibus, sed ex uocante, potißimũ ad gẽtes uocatas ptinet, q̃ nec generis, nec legis obseruatæ cõmẽdatione uocatæ sunt, iuxta ꝓpositũ dei, q̃ miseretur q̃bus uult, sic tamẽ ut neminẽ imerẽtẽ reijciat, dãnans, ut ait Bernh. iuste, seruãs misericorditer. Sed

quur

quur Paulus huic sermoni miscet uerba quædam quæ uidẽtur omne meritũ in utrisq; excludere, totũq; tribuere uoluntati diuinæ? Primũ ut dixi, quo retũderet impiã curiositatẽ in rebus diuini consilij, prætereà qualis sit hæc materia, ut hinc atq; hinc multas gignat quæstiones, quæ ab homine dissolui non possunt, partim in his quæ externa bona malaq; uocãtur, nec pendent ab hominis arbitrio, partim in his quæ pertinẽt ad salutem æternam. Quis enim exigit rationẽ à deo quur hic nascatur mas, illa fœmina, hic rex, ille barbarum mancipium, hic diues, ille pauper, hic formosus, ille deformis, hic prospera firmaque ualetudine, ille morbis horrendis ac iugibus obnoxius, hic lõgæuus, ille mox in cunis moriturus, alius inter uteri materni latebras præfocandus, hic ingenio felici, ille tam stupidus, ut non multum absit ab animante bruto, hic ingenio tractabili, et ad omnem uirtutem docili, ille ueluti natus ad omne facinus. Rursum quur certo tempore uoluerit uocare gentes ad Euangelij gratiam, quas tot seculis passus est seruire dæmonibus, & simulacris, Quur Paulum eodem studio furentem in Christianos, quo cæteri furebant, uiolenta manu ad se traxerit, cæteros suæ malitiæ cæcitatiq; reliquerit. Hæc aliaq; permulta incidunt in huius argumenti tractatione, in quibus repressa hominis curiositate requiritur simplex fides, ac submissa obedientia, Alioqui per

contator

contator audiet, Nunquid dicit lutum figulo, quur me finxisti sic? In his rebus & si non semper extant merita, subsunt tamen iustissimæ causæ, quur deus ita fieri uel uoluerit, uel permiserit. Ostendi qd illic agat Paulus, ostendi hæc cũ illius proposito pulchre cõgruere: ostendi ex uocatione, electione, præscientia dei nõ tolli liberum arbitriũ hominis, in his præsertim quæ spectant ad salutem æternam. Hic fortasse cachinnũ tollet Lutherus, ridebit Diatribes ebriæ somnium. Iodẽ iure ridebit Diatriba Lutheri somnium. Quanquam quod adfero, ex ipso sermonis tenore declarauimus sensum esse Pauli, & simplicia uerba sequor, exclusis tropis. Quod si referam Origenis interpretationem aut Hieronymi, prouocabitur ad nouas blasphemias. Sed quid dicet de Chrysostomo, quid de Augustino, quid de Ambrosio, quorũ interpretatio pro me stat. Chrysostomi uerba bona fide subscribam. Non solum autem, uerum etiam Rebecca, ex uno ferens uterum, uidelicet Isaac patre nostro. Magna erat quæstio, eóque multas mouet rationes, & undiq; tẽtat adducere, quod soluat difficultatem. Nam si incredibile erat ac nouum, illos post tantas promissiones excidere, multo nimirum incredibilius erat illud, nos in illorum bona succedere, qui tale nihil expectaueramus. Id quod accidit perinde est, ac si regis filius, cui promissa sit regni paterni successio, in classem ignobilium extrudatur, &

tur, & huius uice damnatus quispiam homo, malis innumerabilibus opertus, emissus è carcere principatum illi destinatum accipiat. Quid haberes inquit, quod diceres? An quod indignus erat filius? Verum & hic indignus est, multoq; quàm ille indignior. Itaque aut pariter erant honorandi aut pariter puniendi. Tale quiddam & in gentibus ac Iudæis accidit, imò hoc etiam admirabilius. Nam omnes fuisse indignos declarauit in his quæ præcesserunt dicens: Omnes peccauerunt & egent gloria dei. Cæterum nouũ est, quod quum omnes pariter essent indigni, solæ gentes seruatæ sunt. Ad hæc autem poterit & alius inquit, mouere quæstionem. Si deus non erat præstiturus illis quæ promiserat, quare promisit? Siquidem homines ignari futuri sæpenumero falluntur, suáque dona pollicentur indignis, At deus & præsentium et futurorum prouidus est, ac certissime sciens. An quoniam seipsos indignos præbebant pollicitis, & hanc ob causam nihil accepturi sunt eorũ quæ promissa sunt? Sed quur pollicetur? Quomodo igitur hæc soluit Paulus? ex eo dum ostendit, quis sit ille Israel, cui promissum erat. Hoc enim demonstrato, simul & illud demonstratum fuerit, uidelicet omnes pollicitationes impletas esse. Hoc itaq; declarans dicit, Non enim omnes ex Israel progeniti sunt Israelitæ, & ob id ne Iacob quidem uocabulum posuit, sed Israelis, quod uirtu-

tem

tem iusti, & donum cœlitus datũ, ac deum ab ipso cõ/
spectum fuisse admonebat. ¶ It sanè dicit, omnes pec
cauerunt & egent gloria dei. ¶ Quod si peccauerũt o/
mnes, qui factum est ut alij seruati sint, alij perierint?
¶ Quoniam non omnes uoluerunt accedere. ¶ Sanè quod
ad eam rem pertinet, seruati sunt omnes, uerum id nõ
dum explicat, sed ex superfluo soluit, ex alijs exem/
plis aliam in medium inducens quæstionem, quemad/
modum & in superioribus soluit quæstionem difficil/
limam per aliam difficultatem. ¶ Quum enim quærere
tur, qui factum esset, ut Christo iustificante, omnes re
liqui illius iusticiæ participes fierent, obiter induxit
mẽtionem Adæ. ¶ Etenim si unius peccato mors re/
gnauit, magis qui abundantiam gratiæ perceperunt
in uita regnabunt. Atq; id quidem quod de Adã quæ
ri poterat non soluit, Cæterum quod ipse posuerat, ex
hoc soluit, ostẽdens magis esse ratiõi consentaneũ, ut
qui p eis mortuus est, habeat ĩ nos potestatẽ utcũq; ue
lit. ¶ Nã ob unius peccatũ omnes dare pœnas, plerisq;
uidetur non admodum congruere rationi: uerum ut
unius correctione omnes iustificentur, magis rationi
consentaneum uideri poterat ac deo dignius. Attamẽ
nõ soluit id de quo dubitabatur, eo q; quo id manet in
explicatius, hoc magis Iudæo obturabatur os, & hac
de re mota quæstio, ad illã trãsijt, et hæc illĩc facta est
manifestior. ¶ Similiter aũt et hoc loco ex alijs difficul

tatibus, soluit id quod quærebatur. Etenim cũ Iudæis illi certamen erat. Quur hoc? exempla in medium adduxit, quæ non admodum soluit? Non enim obnoxius erat tam multis difficultatibus explicandis, Velut in pugna aduersus Iudæos suscepta, Sua uero omnia, ex illis reddit clariora. Quid enim miraris inquit, quod ex Iudæis alij seruati sunt, alij non seruati sunt hoc tẽpore? Nam idem hoc retro in patriarchis accidisse dixerit aliquis. Quur enim solus Isaac uocatur semen, quum Abrahã & Ismahelis pater esset, ut & aliorũ complurium. Dixerit aliquis, erat ex matre ancilla. Sed quid hoc ad eam qui genuerat illum? Veruntamẽ nihil contendo. Ejciatur hic ob matrem. Quid dicemus de his quos ex Chetura suscepit? Nónne liberi erãt ex libera nati? Quur non ijsdem prærogatiuis honorati sunt cum Isaac? Verum quid de his loquor? Rebecca, sola & unica erat uxor Isaac, quumq; duos peperisset ex Isaac pueros, habebat ambos. Attamen qui nati sunt, quũ essent eiusdem patris, eiusdem matris, eosdem parturiendi nixus soluissent, communi patre, communi matre, præterea etiam gemelli, non tamen eũdem honorem sortiti sunt. Atqui non potes hic causari matris seruitutem, quemadmodũ in Ismaele, non causari potes, hunc ex hoc, illum ex alio natum fuisse utero, ueluti de Sara & Chetura, quum hic parturiẽdi nixuumq; tempus fuerit cõmune. Propterea sanè

uelut

uelut transiens ad exemplum euidentius: Non solum inquit, accidit hoc in Isaac, sed & Rebecca ex uno uterum gerens, Isaac patre nostro. Quum enim inquit nondum essent nati, neq; quicquam boni maliue fecissent, ut secũdum electionem propositum dei maneret, non ex operibus, sed ex uocante dictum est ei, Maior seruiet minori, sicut scriptũ est, Iacob dilexi, Esau aũt odio habui. Quamobrem igitur hic amabatur, ille habebatur odio? Cuur huic dominatus datus est, ille seruituti traditus est? Quoniam alter malus, alter bonus fuit? Atqui quum nondum essent nati, hic quidem honoratus est, ille cõdemnatus. Nõdum enim natis illis, deus dixit, Maior seruiet minori. Quam igitur ob causam hoc dixit deus? Quoniam non hominum more expectat euentum operum, ut hinc perspiciat quis bonus sit, quis malus, sed priusquam aliquid faciant prospexit, quis malus sit, quis non. Idq; maiore miraculo accidit in Israhelitis. Quid enim inqt loquor de Esau & Iacob, quorũ hic bonus erat, ille malus. Siquidem Israhelitarum commune peccatum erat, omnes uitulũ adorarant, ueruntamen alij misericordiã consequuti sunt, alij nõ cõsequuti sunt. Miserebor enim inqt, cuius cunq; misereor, et cõmiserabor, quẽcunq; cõmiseratus fuero. Hoc uidere licet et in his q puniũtur. Quid enĩ dices de Pharaone, q, punitus est, q, q; tam graueis dedit pœnas? Quoniam durus erat ac rebellis? Ergo ne

BIBL. UNIW. POZNAŃ

solus ille talis erat, ac præterea nullus? Qui factũ igi
tur est, ut ille tam acriter sit punitus? Quid tandem
in Iudæis? nõ populum, uocauit populum. Ac rursum
non eodem honore dignatus est omnes. Si enim fuerit
inquit ut harena maris, reliquiæ saluæ fient. Et quur
reliquiæ tantum? Vides quantis difficultatibus inuol
uerit, quæ fuerant proposita. Idq; optimo iure facit.
Quoties enim licet aduersarium in difficultatem inex
plicabilem conijcere, ne protinus infer solutionem.
Etenim si ipse quoq; uidetur eidem obnoxius ignoran
tiæ, quur superfluum sustineas periculum? Quur illũ
reddis confidentiorem qui cuncta trahit ad sese? Dic
enim mihi Iudæe, qui tã multas moues difficultates,
quum nihil earum possis soluere, qua fronte nobis de
uocatione gentium faces negocium? Quanquã ego
sanè possem iustam adferre causam, propter quam
gentes iustificatæ sunt, uos autem uelut ex operibus le
gis quærentes iusticiam, quum hac uia ad eam conten
deritis, undiquaq; estis destituti. Ignorantes enim dei
iusticiam, & propriã quærentes statuere, dei iusticiæ
non fuerunt subiecti. Totius igitur loci solutio sic anti
cipatur à beata illa anima, ut in summa dicat totum.
Vt autem hæc manifestiora fiant, singulatim etiam
eorum quæ dicta sunt faciamus examinationem, illud
scientes, qd beatus Paulus hic studet illud esse, nimirũ
ut demonstret per omnia quæ dicta sunt, quod solus
deus

deus nouit dignos, hominum uero nullus, etiamsi uehementer dignus uideatur, sed frequenter fallitur in hoc iudicio. Verum qui occulta mentium nouit, ille certò scit, qui sumus corona digni, qui contra digni supplicio & uindicta. Hinc nimirum fieri, ut multos apud homines pro bonis habitos, redargutos deus punierit, Contra multos pro malis habitos coronarit, declarans eos non esse tales, non ex uulgi sententia, sed ex exacto incorruptoq; iudicio pronuncians, nec expectans, ut ex factorum euentu perspiciat, quis malus, quis secus. Sed ne rursum obscuriorem reddamus sermonem, ad ipsa apostoli uerba ueniamus. Nõ solum autem, sed & Rebecca ex uno ferens uterum. Poteram inquit & eos proferre, qui ex Chetura nati sunt, sed de his non loquor, Verum ut ex superfluo uictoriam feram, qui ex eodem patre, eadem matre nati sunt, hos in medium adduco. Nam ex Rebecca nati fuerant ambo, deinde ex Isaac, legitimo filio, ac probato, qui omnibus fuerat honore prælatus, de quo dixerat, In Isaac uocabitur tibi semen. Qui fuit pater omnium nostrum. Quod si ille pater noster est, oportet & eos qui ex illo progeniti sunt, patres nostros esse. At non fuerunt. Videdes quemadmodum non in solo Abraham hoc accidit, uerum etiam in huius filio. Et undiquaque

fides est, quæ dat splendorem, ueramq; signat cognationem. Hic enim discimus, quod nõ solum ex modo natiuitatis, uerumetiam ex eo quod digni sunt uirtute p genitoris, filij uocantur illius filij. Itenim si id fieret tantum ex modo natiuitatis, oportuit eandem esse sortem Esau cum Iacob. Siquidem & hic prodijt è uulua emortua, & huius mater erat sterilis. Atqui non solũ hoc erat quod quærebatur, uerũetiam mores, quæ res nec est fortuita, & ad uitam instituendam nobis conducit. Neq; dicit, alterum fuisse malũ, alterum bonũ, & ideo hunc honore prælatum esse, ne protinus ipsi obijceretur: Quux igitur ij qui ex gentibus sunt, boni sunt potius, quàm ij qui ex circuncisione? Quanquam ita rei ueritas habebat, nondum tamen hoc explicat, eo quod durius esse uidebatur, sed rei summã reiecit in dei secretum, cui nullus auderet repugnare, quãuis insigniter insanus. Nondum enim natis illis, dictũ est matri, Maior seruiet minori. Siquidem hoc erat præscietiæ, quod ex eodem partu fuerint electi. Vt igitur inquit, perspicua sit electio dei, quæ facta est ex præscientia, ex primo statim die uidit uter esset bonus, uter malus, idq; pronunciauit. Ne igitur inquit mihi dixeris, legi legem ac prophetas, tam longo seruiui tempore. Quandoquidem is qui nouit animos probare, idẽ nouit qs dignus sit, ut seruetur. Cõc. de igitur arcano electionis iudicio. Solus enim hic nouit exacto

iudicio

iudicio dare coronam. Quot erant qui uidebantur meliores Matthæo, iuxta bonitatis speciem ex operibus apparentem. Verum is qui nouit arcana quiq; potest mentis idoneitatem explorare, et margaritum in cœno iacens agnouit, idem omissis alijs huius pulchritudinem admiratus, elegit ipsum, & uoluntati genetrosæ promptæq; suam ipsius addens gratiam, reddidit illũ celebrem ac probatũ. Etenim si in liberis istis tẽporarijs alijsq; in rebus omnibus, ij qui iudicio præcellunt, non carum rerum æstimatione, à quibus iudiotæ solent iudicare, eligunt ea quæ proposita sunt, sed ab ijs quæ ipsi certò norunt, neque raro quod est apud uulgus probatum reijciunt, contrà quod improbatum eligunt, Ac domitores equorum, frequenter idem faciunt in equis, similiter & precioſorum lapidũ æstimatores, et aliarum artium opifices: multo magis benignus deus, qui est immensa sapientia, qui solus omnia perspicue nouit, non sustinebit huiusmodi quicquam, sed ex propria sapientia, quæ perfecta est nec falli potest, de cunctis feret sententiam: eoq; publicanum elegit, & latronem & meretricem, Sacerdotes autem, seniores, ac principes contempsit reiecitq;. de hoc & in martyribus uidere licet accidere, Complures ex his qui uidebantur uehementer abiecti certaminis tempore coronati sunt. Contra qui apud uulgus habebantur magni, supplantati sunt ac ceciderunt.

Itaq; ne poscito causas à conditore, neq; dicito, Quur hic coronã adeptus est, ille punitus? Nouit oĩa exacto facere iudicio, & ideo dicebat, Iacob dilexi, Esau aũt odio habui. Vtiq; iuste, quoniã tu quidẽ ex euentu factorũ nosti, ille uero, & ante euẽtum, certò nouerat. Non enim deus solũ quærit operum exhibitionẽ, sed & uoluntatis generosam prõptitudinẽ & probã mẽtem. Talis enim etiamsi per incidentẽ aliquã occasionẽ labatur, facile seipsum recipiet, Et si forte uersetur in uitijs non negligetur, sed celeriter illũ reuocabit q̃ nouit oĩa deus. Quẽadmodũ ė diuerso, q̃ animo corruptus est, etiãsi qd boni uideatur facere pibit, quoniã id facit mala mẽte. Quãdoquidẽ et Dauid cõmisso pariter et homicidio et adulterio, quoniã p incidentẽ occasionẽ abreptus, nõ destinata malicia id fecit, celeriter ea diluit crĩna. Pharisæus aũt q̃ nihil horũ facinorum ausus est, sed alijs etiã bonis ornatus erat, malicia intẽtionis oĩa perdidit. Quid igitur dicemus? Nũ iniqtas est apud deũ? Absit. Igitur nec in hoc qd̃ in nobis fecit ac Iudæis. Post hæc ĩducit aliud hoc euidẽtius. Quod̃ Moysi enĩ dicit: Miserebor cuiuscunq; misereor, et cõmiserabor quẽcunq; cõmiseror. Ac rursus auget obiectionẽ, p mediũ illã dissecãs, ac soluẽs, alterãq; gignẽs dubitationẽ. Sed quo fiat euidẽtius quod dico, explicãdũ id est. Dixit inqt deus, Maior seruiet minori, idq; dixit ante partum. Quid igitur? An iniustus deus? Ne

quaquam.

quaquã. Audi igitur quæ sequũtur. Illic enĩ & uirtus et malicia discernit eos, hic uero erat Iudæorũ omniũ peccatũ, in uituli fabricatiõe. Et tamẽ alij dedere pœnas, ĩ alios nõ est animaduersum. Et ideo dicebat. Miserebor cuiuscũq; miserear, & cõmiserabor quẽcunq; cõmiseror. Nõ enim est tuũ inquit, scire ò Moses, qui digni sunt humanitate, uerũ hoc meũ est. Quod si nõ est Mosi scire, multo minus nostrũ. Nam hanc ob causam non simpliciter retulit quid dictũ esset, sed cui dictum esset cõmemorat. Mosi inquit, dixit, uidelicet ut & personæ dignitate pudorẽ incutiat contradicenti. Quũ igitur dixisset solutionẽ eorum de qbus ambigebatur, mediũ sermonẽ intersecuit, rursus aliam induens obiectionẽ, ac dicẽs: Igitur non uolentis neq; currentis, sed miserentis est dei. Volebat quidem Isaac benedicere Esau, is cucurrit in campũ, ut faceret quod mandauerat pater, desiderans benedictionẽ, Cæterum deus interea Iacob qui dignus erat induxit, iustoq; iudicio dignum benedictione declarauit. Dicit enim scriptura Pharaoni, In hoc ipsum excitaui te, ut ostendã in te potentiam meam & ut annuncietur nomen meum in uniuersa terra. Sicut illic inquit, alij quidem seruati sunt, alij puniti, sic & hic idem seruabatur. Deinde rursus inducit obiectionem, ergo cui uult miseretur, & quem uult indurat. Dices itaque mihi. Quid adhuc queritur? Voluntati ipsius quis resistit?

Vides

Vides ut studuerit hoc modis omnib. explicabile red dere, nec protinus adducit solutionem, idq; facit ad eorum quibuscum agit utilitatem: ac primum occlu/dit os ei qui mouet quæstionem, dicens illi, ò homo tu qui es, qui respondes deo? Hoc autem facit, ut illorum importunam curiositatem coherceat, immodicumq; inquirendi studium, iniecto freno, docens illos scire qd sit deus, quid sit homo, & quomodo sit incomprehen sibilis illius prouidentia, nostrum transgrediens intel lectum, & quod oporteat omnes illi parere: ut postea quàm in hoc præparauerit auditorem, eumq; cohibu erit, animumq; reddiderit mitiorem, tum demũ citra difficultatem inducens solutionẽ, efficiat ut quod dici tur facile recipiatur. Nec ita loquitur, Ista sunt insolu bilia. Sed quid tandem? Impium esse dicit talia quære re. His enim quæ fiunt à deo obsecundare oportet, nõ curiose inquirere, etiamsi quam ob causam fiant igno remus. Ideo dicit, Tu qui es, qui ex aduerso respondes deo. Vides quomodo illum deiecerit, quomodo percel luerit inflatam arrogantiam? Tu quis es, Num con/sors impij? ergo ne sedes iudex deo? Nam ad illi us comparationem nec esse quicquam potes, uel hoc uel illud, uerum nec esse quidem omnino quicquam. Nam quum dicit. Tu quis es, multo magis declarat es se nihil, quàm si diceret, nihil es. Et alioqui ipsa inter/rogatione significat maiorem indignationem. Qui

ex aduerso

ex aduerso respondes deo, hoc est, qui contradicis, qui te opponis. Nam dicere sic oportuit, sic non oportuit, est ἀντιποκρινομένου, id est ex aduerso respõdentis. Vides quomodo terruit, quomodo percelluit, quomodo tremorem potius incussit, quàm quærendi aut curiositatis studium? Hoc est optimi doctoris, nõ sequi cupiditatẽ discipulorum, sed illos ad suam ubiq; trahere uoluntatẽ, ac primũ spinas euellere, deinde deponere sementẽ, nec ubiuis protinus ad interrogata respondere. Hæc non Origenes ineptus scripturarum tractator, nõ Hierõymus oris sacrilegi, sed aurei oris Chrysostomus. Vides autem quàm in his uerbis nihil illi cõueniat cum Luthero. Lutherus ait hoc agi tota hac epistola, ut doceat hominem nihil omnino posse nec in bonum nec in malum, sed mera necessitate ferri agiq; quomodocunq; uisum est deo. Omnia Chrysostomi pugnant cum hoc scopo. Lutherus excludit omne meritum, Chrysostomus duo ponit, indolem & animum gratiæ capacem, deinde merita bene utentis accedente gratia. Præmia destinata prædictaq; sunt nõ dum natis, sed ab eo qui nouerat quales essent futuri. Deinde Lutherus ait hic solutam quæstionem: Chrysostomus negat id esse factum, uerum hæc obiter inferi, ad retundendam contradicentis arrogantiã, quo reddatur docilior. Ambrosius alijs uerbis eadẽ dicit, distinguens iudiciũ à præscientia. Deus inquit ex præ

scientia

scientia pronunciat quod est futurum, Cæterum non iudicat nisi ex meritis. Verba illius subscribam: Sciendo enim quid unusquisq; illorũ futurus esset dixit, Hic erit dignus qui erit minor, et qui maior erit indignus Vnum elegit præscientia, & alterum spreuit. & in illo quem elegit, propositum dei manet, quia aliud non potest euenire, quàm scit & proposuit in illo, ut salute dignus sit. Et in illo quem spreuit simili modo manet propositum, quod proposuit de illo, quia indignus erit. Hæc sat scio Lutherus ad se rapiet. Sed audiat quæ sequuntur, ea declarant non excludi merita, sed præueniri. Hoc inquit, quasi præscius, non personarũ acceptor. Nam neminem damnat antequam peccet, & nullum coronat antequam uincat. Mox agens de Iudæis qui dum inuident gentibus perdurant in incredulitate, possunt tamen inquit, credere, quod ex subiectis aperitur. Rursus aliquanto post. Sed iterum quia ipsi sibi perditionis causa sunt, sopitur dolor. Præscius itaque deus malæ illos uoluntatis futuros, non habuit eos in numero bonorum, quamuis, &c. Ac mox, De iusticia enim deus iudicat, non de præscientia. Sed Ambrosij commentarios cuiuis in promptu est inspicere. Congruunt his quæ scribit Theophylactus, tum commentarij falsò Hieronymum autorem præferentes, in quibus tamen nihil est non eruditum, aut ex eruditis autoribus collectum, excepta præfatiuncula,

tiũcula quam impostor librarius operi præfixit, quo codex esset uẽdibilior. Solus Augustinus excludit etiã præuisa merita fuisse in causa, ut Iacob eligeretur, Esau reijceretur, & odij causam interpretatur pecca tũ originis. Cui uiro quantũlibet per me quidẽ licebit tribuere q uolet, nunq̃ tamen hoc illi tribuam, ut plus uiderit in Paulinis epistolis q̃ interpretes græci. Et tamen Augustinus quamuis multo iniquior libero arbitrio post bellum cum Pelagio susceptum, tamen constanter asseuerat esse liberum arbitrium, licet fateatur ad bonum non ita multum posse. Sed putet Lutherus hanc esse meam interpretationem, Malo enim in me debacchans, tantum sit maledicus, quàm in ecclesiæ doctores blasphemus, tantum expendatur utra magis quadret tenori disputationis apposticæ, atq; adeo scopo quẽ sibi proposuerat. Cupiebat & Iudæos & gentes ad euangelij gratiam pellicere, uia nimirum omnibus exposita per fidem. Ad id quàm non conducibile est, dicere nihil hominem posse nec in bonum nec in malum, sed quos deus elegit, uenturos ad salutem uelint nolint, quos non elegit mera necessitate ituros in gehennam. Quid igitur est causæ, quur hic Lutherus sic exultet, sic gestiat, sic triumphet? Quid inquit, iuuit liberum arbitrium Iacob? Dicam, Quia præbens se gratiæ diuinæ, nec auersatus uocantem deum,

meruit

meruit esse charus deo. Quid inqt, obfuit Esau? Quia auersatus gratiam dei, habitus est, indignus honore primogenitalium. Nihil adhuc egerant. Mirum uero, si deus hunc destinat honori, alterum contumeliæ nõ expectatis operibus, quum physionomi puerum hunc applicent ad studiũ philosophiæ, illum ad militiã & agriculturã, perspecta ex coniecturis indole. Hic inquit, debuit Diatriba respondere. Imò hic Diatribe dilucide rẽ expediuit, sed Lutherus ut aspis auribus obturatis non audit uocem incantãtis sapienter.

166 Concesserat agi de honore dominatus, et contumelia seruitutis, negans referre. Quod si perpetuo dominat, non est necesse in huiusmodi rerum genere seruatari causas. Cain erat primogenitus, & huic Abel erat subiectus, nec tamen deus inuertit ordinem, quẽadmodum fecit in Iacob & Esau. Quod si contendit hic quoq; causam esse quærendã, iam ostendi deo præscitam indolem, & animum diuinæ uoluntati morigerum. Quare uocauit Iacob? Quia sciebat illum fore dignum hoc honore. Quare Esau destinauit seruituti? Quia præsciebat illum hoc honore fuisse abusurum etiamsi fuisset uocatus. At ne quis existimaret satis esse uocatum esse: Nonnulli uocati, per liberum arbitrium defecerunt. Vocatus erat Iudas in sortem ministerij, tamen excidit ab honore suapte malicia. Vocati erant discipuli septuaginta duo, & tamen ex his aliquot

aliquot à domino recesserunt. Hoc in numero fuit & Saul & Solomon. Nulla hic uis fit scripturæ diuinæ, sed Lutherus, ne loco quidem ut apparet apud Paulũ relecto uiolentis interpretationibus omnia detorquet ad suum dogma. Verum ne quid usquam illi cõueniat cum Diatriba, reposcit hoc quod concesserat, negans hunc locum tantum ad honoris prærogatiuam pertinere, quanquam Diatriba non negauit hæc ad gratiam iustificantem per allegoriam accommodari posse. Sic enim loquitur Diatriba: Sed hæc uox non proprie pertinet ad hominis salutem, ut ineptus sit Lutheri clamor, iactantis se non passurum, ut Paulus sacrilegorum calumnijs cõtaminetur. Tali carbone notat non minus eruditos quàm pios ecclesiæ doctores. Sed age quomodo refellit, quod ait Diatribe? In oraculo inquit, manifeste duo populi discernuntur, alter in gratiam dei recipitur licet iunior, ut uincat maiorem, non quidem suis uiribus, sed fauẽte deo. Proinde nõ sola ibi dominatio externa tractatur aut seruitus, sed omnia quæ pertinent ad populũ dei, id est, benedictio, uerbum, spiritus, promissio Christi & regnũ æternum, &c. Sic ille. Fatetur et Diatriba ad hæc locũ hunc per allegoriam accommodari posse. Verũ si Lutherus existimat simplicibus scripturæ uerbis, de quibus se tantopere iactauit, hæc omnia significari, & p Iacob & Esau non significari duos homines, sed duos

populos, quorum alter fauente deo sit uocatus ad grã tiam, alter reiectus à gratia, constat Iudæos, qui crucifixerũt dominum, quiq; in hodiernum usq; diem blasphemijs illum crucifigunt esse prognatos ex Iacob. Rursus constat Iob à deo sic laudatũ uirum, fuisse nepotem Esau, nimirum ab Abraham quintum. Nec dubitandum est quin Iob liberos habuerit sui similes, alijq; permulti fuerint ex eo genere deo grati, utcunq; placet de Esau ferre sententiam. Augustinus putat ad Christianos ex gentibus uocatos et Iudæos pertinere. Iudæi nunc seruiunt Christianis, populus maior minori, nec tamen omnes Iudæi pereũt, nec omnes Christiani seruantur. Sed honor nominis et professionis trãslatus est ad Christianos ex gentibus uocatos, Iudæi quod alijs solent largiri, à nobis petant oportet. Nec tam erat Iudæis de salute contentio, q̃ de honoris prærogatiua. Indignabantur gentes ad salutem uocari sine legis obseruatione, quum illi cuperent gloriari in carne gentium. Itaq; Paulus ad similem causam, simile contulit exemplum, & Iudæorum cohercens arrogãtiam, & gentes inuidia translati honoris liberãs. Vbi est igitur illa sacrilegæ Diatribes ac Hieronymi sententia, non pugnant suis locis testimonia quæ pugnãt apud Paulum? Quanquam hoc à Diatriba dictum nõ est, illud dictum est, hoc testimonium nõ admodũ pugnare ad probãdam necessitatem, sed potius ad retundendam

dendam arrogantiam Iudæorum. Hæc ſacrilega ſententia placuit & Chryſoſtomo & orthodoxis omnibus, certe doctißimis quibusq;. Verum tantum maledicentiæ fruſtra fudit hac occaſione unius uoculæ, pugnat, nec animaduertit quid diceretur. Pulchre uero corrigit, quod ſomniat à me dictum, ut poſthac dicamus teſtimonia fortius apud Paulum pugnare q̃ ſuis locis, id quod non ſolum de Paulo dictũ eſſe uult, ſed de omnibus etiam apoſtolis, quoties adducunt ſcripturarum teſtimonia. Ita Lutherus dum fumum fugit, in ignem incidit. Vter enim magis ſacrilegus eſt, qui ſentit Paulum acriter ſciteq; ſcripturas accommodare ad comprobationem euangelicæ ueritatis, ut ea quæ ſuis locis uideri poterant ſimpliciter dicta, uertat in arma propugnãdæ fidei, quemadmodum apud Athenienſes, ex aræ titulo forte conſpecto ſumit argumentum annunciandi Chriſtum. Eaq; ratio diligenter annotata eſt à græcis rhetoribus, uelut cum primis elegans, nimirum quoties quod ut fiat ſuademus, iam factum eſſe monſtramus. Excmplum adferunt de exulibus, qui patriam obſidione liberarũt. Horum patronus agens ut reſtituantur, negat ſe quicq̃ petere noui, Iam enim exules in patriam rediſſe, quum hoſtẽ à mœnib. depellerent. Ita Paulus nõ ſine arte titulum ignotorũ deorũ adiectũ reliqs gentiũ dijs huc uertit, ut diceret illos iã ignotũ colere, quẽ illis prædicaret.

Itidem quod à poeta dictum erat de Ioue, torsit ad uerum deum, ipsius & genus sumus. Similia quædam ostendere queam in sacris testimonijs à Paulo citatis, si hoc ageretur, ex quibus lector perspiceret hoc non sine causa dictũ à Theologiæ ueteris proceribus. Vter igitur sentẽtiam habet magis sacrilegã, qui dicit Paulum scite tractare testimonia scripturarum, sic ut magis uideantur pugnare apud Paulum tractata, q̃ illis locis unde sumuntur, an qui dicit illum parum dextre usurpare scripturarum testimonia, sic ut frigidiora sint apud apostolũ disputantem, quàm apud prophetam, id quod affirmat Lutherus. Apud Rhetores plurimum refert, quõ tractes argumẽtum. Hoc igitur in Pauli laudem dictum est, non in contumeliã, sed uere contur. Iocosum est quod ait Lutherus, nõ solũ de Paulo, uerũetiã de omnibus apostolis. Vides igitur lector quantum chartarum Lutherus inanibus uerbis perdidit. Vix autem desijt hac clausula. Sed ista decent eos, qui scripturis serio nõ afficiuntur. In quem hoc dicit? In Diatribam? Illa nihil dicit, q̃ Paulũ sic tractare hoc exemplum de Esau & Iacob, ut non admodum faciat pro dogmate Lutheri. In Hieronymum igitur dixit, sed extra causam, simpliciter ἀπὸ τοῦ πρόσωπου, dum Hieronymo affingit blasphemiam in unum Paulum, ipse blasphemiam atrociorem impingit omnibus apostolis.

Nunc

Nunc ad Malachiæ testimonium, Iacob dilexi, Esau 167
autẽ odio habui. Hoc ait à me triplici torqueri arte. Primum in deum inq̃, non cadunt affectus odij aut amoris, quẽadmodũ in nos. Hoc deridet quasi sine causa dictum. Imò quoniã Lutherus non admittit nisi simplicem literam, obiter ostendo uelit nolit hic tropum esse recipiendum. Nam iuxta sermonis consuetudinẽ, iuxta sensum communem, aliud intelligimus quum audimus, Socrates amat Alcibiadem, aut Vatinium odit Cicero, quàm quum eadem prædicantur de deo. Non est quod hic Lutherus confugiat ad æternum amorẽ, quum ipse deus sit charitas, de odio æterno quomodo expediet sine tropo? Deus enim nihil odit eorum quæ condidit, sed uitia odit, quia punit admissa: pietatẽ amat quia pios coronat. Itaq; ridicule gestit hic Lutherus. Quid audio inquiens, An nunc quæritur, quomodo deus amet aut odiat, ac non potius quùr amet aut oderit? Hoc ipsum agit Diatribe, sed obiter taxat sententiam de excludendis omnimodo tropis. Hieronymus admonet deum ἀνθρωποπάθως dici odisse, quemadmodum dicitur flere, dolere aut irasci. Videat igitur Lutherus, an uerum sit absq; tropo quod ait, deus æterna & immutabili natura amat & odit. Verũ hĩc quoq; Lutherus telum arripiet, quo prorsus iugulet lib. arb. si æternum & immutabile est illius odiũ, & talis amor, quid agit lib. arbitriũ? Vt donemus illi qđ

aßumit, qui magis officit amor aut odium æternũ libero arb. quàm præscientia ac destinatio ab æterno? Quod si concedit tropum, ut amor aut odium accipiatur pro honore habito, aut immißis afflictionibus, quid aduersus me ualet telum, qui non loquor de æterno amore aut odio, sed de argumentis amoris & odij temporarij. Sic deus amabat Saulem quum ungi iubebat regem, eũdem odit quum reijceret: bonũ amabat, mutatum in diuersa oderat. Deus ipse nõ est alius, sed illius actiones in res externas uariãt, quẽadmodũ & illius noticia. Vrget igitur, Respõde quo merito diligitur Iacob, odio habetur Esau, anteq̃ nascũtur et opantur? Iã bifariã ad id respondit Diatribe. Primũ in his quæ ptinent ad tẽporaria cõmoda uel incõmoda, non esse nostrũ inquirere dei consiliũ. Neq; enim hic semp expẽdi merita, quẽadmodũ legius de cæco cuãgelico, q̃ nullo uel suo uel parẽtum uitio sic natus fuerat. Deinde si hic quoq; quærãtur merita, iã respõdit Diatribe, merita futura deo præsentia esse: nec aliter deus amat olim bene operaturũ, q̃ nos amamus bene opantẽ, aut operatum. Verũ est igitur quod colligit Lutherus, Paulũ recte adduxisse testimoniũ Malachiæ. Fateor, & quidem rectißime, sed nihil ad dogma Lutheri.

168 Alterã artẽ ostendit Diatribes, quod Malachias nõ uidetur loq̃ de odio quo dãnantur in æternũ, sed de tẽporaria afflictione. Reprehenduntur enim, q̃ extruere uolebãt

uolebăt Idumeă. Sic Diatribe. Hic ſtomachatur Luth. Hoc iterũ dicitur ad cõtumeliă Pauli, quaſi uĩ fecerit ſcripturis. Adeo nihil ueremur maieſtatẽ ſpũs ſancti, modo noſtra ſtatuamus. Quă cõtumeliă hic gănit Lutherus? Finge Paulũ qd'hiſtoria dictum eſt trahere ad allegoriă, aut p ſimilitudinẽ accõmodare ad probati onẽ ſenſus ſpiritualis, nũ ilico uis ſit ſcripturis? Nunc declaratũ eſt et Paul. hic agere, de honore gẽtis Iudaicæ, tranſlato ad gẽtes, et de ſimilibus beneficijs ſentit Malachias. Quũ enim dixiſſet, Iacob dilexi, Eſau odio habui, Iſraelitæ reſpondent, in quo dilexiſti nos. Et do minus cõmemorat ſua in illos beneficia, quæ negauit Idumeis. Conſentit igitur Paulus cum teſtimonio prophetæ. Sed hic conſenſus nihil iuuat dogma Lutheri. Paulus inquit ex Malachia probat illam afflictionẽ ſine merito, ſoloq; odio dei illată Eſau, ut lib. arb. nihil eſſe cõcludat. Hic urgeris inqt, hic reſpõdere oportuit. Quid accidit Luthero? exigit quod ad manũ eſt in Diatriba, ſicut ipſe mox cõfitetur, & tamẽ pinde quaſi nihil eſſet reſponſum ſic inſultat. Quanq falſum eſt quod aſſumit interim, illam afflictionem nullo merito Eſau accidiſſe, et ſi accidiſſet, nõ erat reddenda ratio, non magis q quur deus hũc ſinit naſci uiuacem, illum in cunis emori priusquă uitæ ſenſum acceperit. Quod ſi his adhærent ea quæ ſunt æternæ ſalutis, iă de meritis reſponſum eſt, & ſi non eſſet reſponſum, ta-

mẽ ex cluſum eſt Lutheri ſophiſma, quando non tam hæc adducuntur ad explicandam quæſtionem, q̃ ad obturandum os Iudæis ob gentes admiſſas ad euangelium deo obmurmurantibus. Ad hæc quum Iacob & Eſau hoc loco iuxta ſenſum etiam grammaticum ponantur pro duabus gentibus, & Eſau reſpondeat ad reiectos Iudæos, Iacob ad electas gentes, qui conuenit ut Iudæi dicantur reiecti, non ob aliud, niſi ob odium æternum dei, quum hos antea pronunciarit populum dilectũ? Deinde qui conuenit Iudæos nullo merito ſuo reiectos, quum Paulus aperte fateatur eos ob incredulitatem fuiſſe reiectos, & hinc odium dei? Sed ut pergat ſermo, negat eſſe uerum quod Malachias hic ſentiat de ſola afflictione tẽporali. Nec hoc dixit Diatribe, ſed negauit hic propriè tractari de ſalute æterna. Qui ſic loquitur, idem ſentit quod Lutherus, qui fatetur hoc ſentire prophetam, ſed addit ſenſum allegoricum, & tamen Diatriba totum prophetæ ſenſum peruertit, Lutherus loquitur dei tonitrua. Sed audiamus probationem aſſeuerationis quæ iam præceßit, pronuncians omnia comprehendi hoc nomine dilexi. At quo tandem argumento? Quoniam in Geneſi fit mentio benedictiõis. Sed iuxta ſimplicem ſenſum cõgruit opiniõi noſtræ benedictio: Det tibi deus de rore cœli,
Gen. 27. & de pinguedine terræ abũdantiam frumenti uini et olei, ſeruiant tibi populi, & adorent te tribus. Eſto dominus

minus fratrum tuorum, &c. Habes benedictionem bene crassam si excludas tropos quod hic profitetur Lutherus. Si recipit allegorias, nulla inter nos dissensio est, nisi quod allegoria nihil prodest Lutherano dogmati. Diuus enim Hieronymus ex huius loci allegoria probat liberum arbitrium, ex quo Lutherus iugulatum putat. Sic enim loquitur, Dominus respõdit Esau & Iacob de una stirpe generatos, hoc est uitia atq; uirtutes ex uno cordis fonte procedere, dum ex arbitrij libertate in utranq; partem ut uolumus declinamus, &c. Verum audiamus Lutherum refellẽtem Diatribæ uerba. Propheta inquit, clarissimis uerbis indicat quid uelit. Quid? Exprobrat Israhelitis ingratitudinem, quod quum eos dilexerit, illi uicissim neq; diligant ut patrem, neq; timeant ut dominum. Dilexisse autem se probat tam scriptura quàm opere, nempe quod quum Iacob & Esau essent fratres ut Moses scribit Gene. 25. Iacob tamen dilexerit, & elegerit antequam nasceretur, Esau uero sic oderit, ut regiões eius redegerit in solitudinem. Deinde ea pertinacia oderit & peragat, ut quum Iacob reduxerit de captiuitate restitueritq;, Idumeos tamen non sinat restitui, sed etiam si dixerint se uelle ædificare, ipse minatur eis destructionem. Si nõ hæc habet textus ipse apertus prophetæ, arguat me totus orbis. Hæc ille. Fateor sic habere uerba prophetæ, sed quid tum postea? Hactenus

omnia pro me faciunt. Non igitur hic reprehenditur temeritas Idumeorũ, sed ingratitudo filiorum Iacob ait Lutherus. Nouũ uero ratiocinãdi genus, obiurgat Israelitas, ergo non damnat temeritatem Idumeorũ. Imò simul utrunque notat populum, alterum quod à deo reiectus conaretur restitui, alterum quod restitutus sic ageret, ut mereretur reijci. Quod Hieronymus uertit, Quod si dixerit Idumea, id Septuaginta uerterunt, Quia dicet Idumea. Et alioqui probabile est Idumeam hoc molitam ut restitueretur. Verũ hoc ad id quod agitur proprie non pertinet. Probandum erat prophetam de salutis æternæ causa loqui. Hoc expectatur. Quomodo inquit, nunc stabit, quod propheta de temporaria afflictione loquatur. Quid audio? Redigi in solitudinem, non est afflictio temporaria? Et ubi est lex, qua negabat admittendum tropũ, nisi cogat euidens absurditas? Sed hoc dictum, uelut elapsum per imprudentiam Luthero condonabitur. Audiamus cætera. Quum euidentibus inquit uerbis testetur, se loqui de duobus populis, è duobus patriarchis natis, illum susceptum in populum & seruatum, hunc uero relictum & tandem destructum. Suscipere uero in populum, & non suscipere in populum, non pertinet ad temporalia bona uel mala tantum, sed ad omnia, &c. Si sobrius est quid hic agit Lutherus? Vt populus Israeliticus æterno dei amore perpetuo sit honora

honoratus & commodis temporalibus, & æternæ sa
lutis præmio, alter populus æterno & ineuitabili o/
dio, perpetuo sit afflictus, & incommodis huius uitæ,
& gehennæ supplicio? Atqui constat & ex Esau po/
steris multos fuisse pios, & ex Israelitis impios quàm
plurimos, nec huic populo defuisse crebras afflictiões.
Nec hic agitur, an deus sit deus omnium commodo/
rum, sed de quo rerum genere fiat hic sermo. Si de ho
nore electionis, locus nihil habet scrupuli, si de nego/
cio salutis, licebat & Idumeis amplecti legem ac ser
uare nec omnes Israelitæ seruabantur. Quare si litte
ram absq; tropis urgemus, neutrum populum simpli
citer uel odit uel amat deus: si allegoriam, Israelitæ
sunt in omnibus gentibus, & in ijsdē sunt Idumei.

Recensęt tertiam technam, aut ut ipse loquitur in 169
dustriā, qua locum torquet Diatribe, quem deprauat
narrando. Itaq; fuerit operæ precium diatribes uerba
recitare. Porrò inquit quod attinet ad tropologiam,
nec oēs gētes dilexit deus, nec omnes Iudæos odit, sed
ex utraq; gente quosdā elegerat, ut hoc testimoniū a/
pud Paulū non admodū pugnet ad probandā necessi
tatē, sed potius ad retundendā arrogantiā Iudæorū, q
credebant sibi pprie deberi gratiā euangelicā, quod
esset posteritas Abrahæ, et gētes abominabātur nec
recipi patiebātur ad euāgelicæ gratiæ cōsortiū. Id
paulo post explicās dicit, Quos et uocauit nō solū ex

Iudæis

Iudæis. Quoniam autem deus quos odit aut diligit ex iustis causis odit aut diligit, non magis officit libertati arbitrij odiũ & amor, quo prosequitur nascituros, quàm quo natos. Non natos odit, quia certò præscit illos gesturos odio digna, Natos odit, quia committũt odio digna. Iudæi qui erant populus dilectus, reiecti sunt, & gentes qui erant non populus, receptæ sunt. Quare Iudæi reciſi sunt ab olea? Quia noluerũt credere. Quare insitæ gentes? Quia obedierunt euãgelio. Hanc causam adfert ipse Paulus, propter incredulitatem inquit fracti sunt, utiq; quia credere noluerunt. Et exectis facit spem, ut rursus inserantur, si relicta incredulitate uoluerint credere, & insitis iniicit metum ne excidantur, si auerterint sese à gratia dei, &c. Hæc nimirum arguunt Paulum hoc illic agere, ut reprimat gentium simul & Iudæorum arrogantiam. Hæc quum habeat Diatriba, Lutherus clamitat nihil esse responsum, tantum tergiuersatione uitari pondus quæstionis. Primum ex Diatribæ uerbis, non admodũ pugnet, fecit nihil pugnet, et ex pugnãdi uerbo non intellecto, mouet calumniam blasphemiæ in Paulum. Deinde quum ostendo non hic pronũciari, sed tantum proponi difficultates, ad retundendam Iudæorum arrogantiam, qui uelut ex æquo cum deo rationẽ ineunt, nónne totam argumentationis Lutheranæ aciem fundo? Atqui hoc ita esse ex probatiſsimo/

simorum doctorum sententia demonstraui, demonstraui & ex ipsa loci consequentia. Præterea demonstratum est, in his quæ nec conducunt nec officiunt, pprie ad salutem, non exigendam causam. Etsi causa sit exigenda, docui deum ob iustas causas, licet nobis incognitas, uel amare uel odisse. Nam quod deus pronũciauit amorem & odium suum, antequam essent nati, non colligitur ex Malachia, sed ex Genesi, quo loco non dicitur, alterum odi, alterum diligo, sed, Maior seruiet minori, quæ uerba palàm loquuntur non de salute æterna, sed de commodo temporali. Et quod tum deus promisit, præstitit. Ad Israeliẽ delata est gloria testamenti, ad Idumeos nequaquam. Malachias itaq; non agit de nondum natis, sed ex beneficijs acceptis arguit Israelitarum ingratitudinem. Cæterum in hoc congruit Malachias oraculo quod recenset commoda & incommoda temporaria, uidelicet Iudæam florentem ac restitutã, diruta ac desolata Idumea. Quod si quis hæc per allegoriam uelit ad euangelij uocationem accommodare, ut Esau odio habitus designet Iudæos ab euangelij gratia repulsos, Iacob dilectus, gẽtes ad eam uocatas, geminus obstrepit scrupulus, alter quod ex utraq; gente quidam recepti sunt, quidã reiecti, ut nec hanc nec illam uideatur odisse simpliciter aut amasse: alter quod ut demus gentes nullo merito uocatas ad euangeliũ, certe Iudæi plurimis, grauissimis

simis ac iustissimis de causis exciderunt à gratia. Quod si interpretemur Iacob credentes euangelio, Esau incredulos, ex utraq; gente uel potius ex omnibus gentibus, planè receßimus ab eo quod hic agit Paulus. At Lutherus negat se uidere tropologiam, quum prophetæ uerba sint clarißima. Nec ego hic confugio ad tropologiam, uerum ut in Malachia palàm est mentionem fieri de beneficijs temporarijs, ita patiar & in hoc exemplo, quod Paulus adducit eundem esse sensum, quod in hunc usum adducitur, non ut aßeratur rerum omnium necessitas, quod toties insulcit Lutherus, sed ut impie murmurantibus os occludatur. Euangelij principatus à Iudæis translatus est ad gentes. Quid ni? Quum idem olim fecerit deus in Iacob & Esau. Quod tunc probabant, nunc arrodunt, quum idem sit deus, qui & hoc & illud faciat, decernens principatum quibus uult, & adimens quibus uult. Nõ hæc fortuito accidunt, æterno dei consilio geruntur, cuius rationem exquirere curiosum est, uituperare impium. Nouit ille causas quamobrẽ ita faciat. Hæc quum strictius quidem dißeruerit Abria Diatribe, sed tamen eadem: quid est quod sic inceptit Lutherus? Moriar inquit, si Diatriba ipsa intelligit quid loquatur. Sed est forte et hic rhetoricũ schema, quod docet sensum obscurare, si qua periculum instat ne capiaris uerbo. Moriatur Luther. si uelit, Diatriba sentit

triba sentit cũ probatißimis ecclesiæ doctoribus. Hu/
ius hominis nænias rarius refrico, dißimulaturus o/
mnes, nisi uehementer ad rem pertineret, ut qui se Lu
theri scriptis totos deuouerunt, alba quod aiunt amuſ
si, probantes omnia, uideant, quàm incondito spiritui
sese committunt. Sed pergamus. Scimus inquit, fide
inseri, incredulitate excidi, sed hinc non sequitur eos
posse fidere aut diffidere ui liberi arbitrij de quo nos
agimus. Atqui hoc Lutherus quod nunc negat, ante
partim cõfessus est. Diffidere ni fallor malum est opus,
& ad male agendum professus est ualere liberũ ar/
bitrium. Ego uero cum orthodoxis omnibus sentio,
hominem per liberum arbitrium posse semet à gratia
oblata auertere, & ab accepta excidere, Ac rursum
per liberum arbitrium gratiæ pulsanti sese præbere
aut auertere. Et in his sunt qui plus audent tribuere li
bero arbitrio. Sed urget, quo merito peruenitur ad
fidem? Respondeo. Qui fit ut semen in hanc terram
coniectum euanescat aut degeneret in zizaniam, in
illam pariat bonam frugem? Qui fit, ut quum omni/
bus offeratur euangelium, alij conuertantur, alij fi/
ant deprauatiores. Malicia præcedens in causa est,
quum aspernantur oblatam gratiam, aut simplex a/
nimus facit, ut amplectantur quod offertur. Hæc ra
tio locum habet & in Iudæis et in gentibus, nisi quod
Iudæorũ malicia est inexcusabilior. Habet Lutherus

quod

quod exigit, descriptũ meritũ, quod tamen homo sibi uelut ex ipso profectum uindicare non potest. Hic sermo generalis esto, uiolentas ac singulares quorundã uocationes excipio. Nihil enim non potest deus, si uelit. Proinde falsissimũ est quod hic colligit Lutherus, Paulum docere quod fides homini nullo ipsius opere sed solo dei amore et odio cõtingat. Imò solus deus neminem amat oditue nisi iustis de causis. Nec obstat qđ odisse dicitur nondũ natos. Illi præsentia sunt omnia, Nec absurdius est illum amare nõdum genitos, quàm hominem amare bene meritos. Iam quod exhortatur Paulus insitos, ne excidantur, ex quo docui, hominẽ suo uitio posse gratiam acceptã amittere, Lutherus canit nobis ueterem cantionem, uerba exhortandi nõ probare quid possumus, sed quid facere debeamus. Quis orthodoxorum unquam somniauit hoc sophisma? Nullus, sed hoc tam insigne telum porrexit illi domina grammatica. Verum iam toties ostendimus, etiam grammaticos iuxta sensum communem, intelligere non esse omnino impossibile, ad quod uir prudẽs ac probus alium exhortatur. Vides quàm belle se gesserit Lutherus in hoc loco, à quo tamen non digredi-
169 tur sine ouatione. Aggreditur paribus auspicijs locum de luto et figulo, & ecce statim in ipso limine crimen atrox impingitur. Diatriba dixit: Hæc testimonia magis pugnant apud Paulum quàm apud prophe-

prophetas unde decerpta sunt. Suggillat inquit, Pauli temeritatem uel insciciam. Imò laudo Pauli dexteritatem in tractandis scripturarum testimonijs. Porrò qd Lutherus negat Paulum hæc testimonia mutuatum è prophetis, quanq̃ id indicant interpretes, et loca cõgruunt, non admodum contendam, etiamsi friuolum est argumentum quod adfert, quod Paulus soleat citare scripturam, quum mox in capite undecimo, nulla citatione retulerit scripturæ locũ, Quis cognouit sensum domini, aut quis consiliarius eius fuit? etc. In tam propinquo erat unde Lutherus posset coargui. Quid autem attinebat Diatriben, in hoc simulare probãdi operã, quod per se satis liquet, et à doctißimis ecclesiæ doctoribus receptum ac proditũ est? Verum interim admiror, quid hoc Lutherus sua referre putarit. An quia uidit in prophetis agi de afflictione temporali? Quid tum postea? Nec hoc ab sensu multum abhorret apostolus, agit enim de temporali pœna Iudæorum, q̃ restiterũt euangelio. Nec in aliud Paulus adducit hæc testimonia. Non enim loquitur de causis quare Iudæi quidam non crediderunt euangelio, sed quamobrẽ tali pacto sint puniti, quum multos impios non eodem modo deus punierit, quemadmodũ è diuerso quorundam pietatẽ celebrẽ & honoratam esse uoluit in hoc mundo, quorundã non item. Totus Iudæorum populus quod attinet ad hæc tẽporaria, priuatus est hono-

re suo, pro celebri Hierosolyma quondam religionis principe, succeßit Roma, quondã idolorũ ac dæmoniũ cultrix, Gentiũ populus imperat, Iudaica natio seruit & exulat. De hoc, nã id iam tũ fieri incipiebat, quere bãtur Iudæi, de hoc agit Paulus. Etenim quod non loquatur de reiectione sempiterna post explicat ca. 11. Nunquid deus reppulit populũ suũ? Absit, &c. Sed cõcedit Lutherus prophetas de afflictione temporali loqui, ne toties alienis quæstionibus occupetur. Ciuilitatẽ, ille scilicet solet aliquid de suo iure cõcedere, sed ideo præstruxit Paulũ ex suo spiritu hanc de figulo & luto produxisse similitudinem, ne fateri cogeretur & Paulum de temporarijs incommodis agere, itaq; locus nihil faceret aduersus liberum arb. Sed unde nũc hæc insolita temporis parsimonia, qua grauatur alienis quæstionibus occupari, quum toto hoc opere, plus quàm dimidium temporis perdat insultationibus, cõuicijs, & insulsis salibus? Ad hæc si donat Lutherus, phetam loqui de temporarijs incommodis, & si uerũ est Paulum hæc suo spiritu accommodare ad liberum arbitriũ, nónne fatetur id quod paulo ante clamabat esse sacrilegum, pugnare magis apud Paulum, quàm apud prophetas testimonias? Quanquam falsum est quod assumit, hæc à Paulo accommodari ad liberum arbitrium, adhibet ad reprimendã Iudæorum insolentiam, quemadmodum dominus in euangelio pharisæorum

rum impiam & insidiosam interrogationem non sol
uit, sed alia percontatione reprimit. Itaq; uidere debu
it quod se uidere negat Lutherus, quò pertineat men
tio figuli & luti, si non pertinet ad subuertendum li/
be. arb. Tẽporales afflictiones aut prosperitas à deo
ueniũt, nobis uolentibus nolẽtib. Fateor. Subuertitur
ergo liberum arb. si hoc sumus deo, quod lutum est fi/
gulo. Fateor etiam minus nos posse aduersus deum,
quàm lutum aduersus figulum. Lutum enim lutum est
uelit nolit figulus: aliter atq; aliter fingi potest, ut nõ
fit quod est, nõ est in manu figulo. Deus hominem po/
test in quiduis uertere, potest in nihilum redigere. Ve
rũ his in rebus nõ pono liberum arb. Quanquam mul
ta mala nobis nostra incogitantia obueniunt. Sed de
his nũc nõ agimus, de negocio salutis agimus, in quo
tamen illius sententia nihil aliud sumus deo, quàm lu/
tum figulo, si deus uelit. Verum secus illi uisum est,
uoluit in hac ratione locum esse libero arbitrio, uel
ad perseuerantiam pietatis, uel ad impietatis imputa
tionem. Odiose tamen obmurmurantibus respondet
ret rex. Quid à me uelut ex æquo contendentes exi/
gitis rationem, quur hos honorem, illos abijciam?
Rex sum, meum est statuere, uestrum parere. Hæc
bonus etiam rex pro tempore responderet tumultu/
anti populo, non idem dicturus reuerenter percon
tantibus. Nec ex hac uoce regis sequitur illum

in honorando ac reijciendo, in seruando ac perdẽdo, nihil aliud sequi q̃ quia sic libuit. Dei uoluntas causas habet & iustas & æquas. Verũ ne Luthe. clamet me prophetiam ex meo cerebro confingere, nõ proferã Origenem, aut Hieronymũ, quos cõtemnit, sed Chrysostomum. Interim rogandus est mihi lector, ut hanc disputationis morulã æquo ferat animo. Græca Chrysostomi latine reddã bona fide, Nũquid inqt dicit figmẽtũ ei q ipsum finxit, quur me feciſti sic? An nõ habet potestatem figulus ex eadem massa facere, aliud quidem uas in honorẽ, aliud uero in ignominiã? Hic, non ut tollat lib. arb. ista loquitur, sed ostẽdit quousq; oporteat obtemperare deo. Non enim conuenit à deo causas exposcere, nec hic aliter affectum esse q̃ lutũ. Non enim solum non oportet cõtradicere aut quærere uerum ne hiscere quidem omnino, neq; considerare nũ figuli, quæ flectitur & circumagitur, quocunq; uoluerit ille. Ad id enim solũ apostolus sumpsit exẽplũ, nõ ut ostenderet, quõ deus res humanas administret, sed ut demõstret illi submissam & obnoxiã exhibẽdã obedientiã, cũ silentio. Atq; id sanè ubiq; conuenit obseruare, quod adhibitas similitudines nõ oportet secũdũ omnes partes accipere, sed tantũ excerpto quod in his est utile, & ad id cuius gratia adhibentur, accõmodato, totũ quod reliquũ est omittito, ueluti quũ dicit,

Recubãs

Recubans dormiuit ut leo, excerpendũ est, quod inuictus est, ac metuendus, non qđ immitis, nec aliud quicquam ex his quæ insunt leonibus. Ac rursus quũ ait, Occurram eis quasi ursa raptis catulis, excerpatur uĩ dicta. Itẽ quũ ait, Deus noster ignis consumens est, excerpatur uis cõsumptiua, quæ spectatur ex puniendo. Similiter & hoc loco lutũ & figulũ ac uasa oportet accipere. Quũq; infert, An non habet potestatẽ figulus, ex eodẽ luto facere aliud quidẽ uas in honorẽ, aliud rursus in ignominiam, ne putes hæc Paulo dici, de ratione cõditionis, neq; de necessitate mẽtis humanæ, sed de potestate uarietateq; dispensandi. Etenim ni ad hunc acceperimus modũ, multa sequẽtur absurda. Nã si hic ageretur de mente, deq; bonis ac malis, simul et homo uidebitur alienus ab omni crimine, et Paulus secum pugnare uidebitur, qui nusq̃ non coronat uoluntatem. Proinde nihil aliud hic agere uult, nisi ut auditori persuadeat modis omnibus audientẽ esse deo, nec ullas unq̃ ab eo causas poscere: quemadmodũ figulus inquit, quæ uult facit, neq; quisq̃ cõtradicit, sic et deus ex eodẽ hominũ genere dum alios punit, alios honorat, ne sis curiosus, ne disquiras, sed adora tantũ, & imitare lutum, & quemadmodũ illud sequitur manus figuli, sic & tu obtempera uoluntati eius qui ista dispensat. Nihil enim uulgari more, nihil fortuito facit, etiamsi te lateat sapientiæ secretum. At tu figulo per-

Oseæ. 13.

mittis ut ex eadem massa fingat uaria, nec incusas: à deo uero poscis rationem, quur alios puniat, alios honoret, nec illi concedis nosse, quis dignus quisue sit indignus, sed quoniam eadem massa, eiusdē est naturæ, uis & easdem esse uoluntates. Quàm uero sunt ista stupida? Quanquam ne sub figulo quidem honor aut ignominia, nascitur ex eadem massa, sed ex usu eorū quæ sumuntur in manus, quemadmodum & hic ex animi proposito est, nisi quod, ut cœperam dicere, in hoc solum oportet accipere similitudinem, ne quid cō tradicamus deo, sed ipsius concedamus incomprehensibili prouidentiæ. siquidem oportet exempla maiora esse his, ad quæ adhibentur. Sic enim magis mouēt auditorem. Nam nisi maius fuerit exemplum, ac uehemēter excellat, nequaquam eò peruenire poterit, quò oportet, neque contradicentem pudefacere. Importunam igitur illorum contentionem hoc pacto redegit ad silentium, decente adhibita hyperbole, Deinde uero subijcit solutiōem. Hactenus Chrysostomi uerba recensuimus, quæ quantū ad Luth. dogma ualitura sint nescio, uel scio potius, ī hoc certe ualebūt, ne uocifera ri possit me, p capitis mei somnijs torquere scripturā.

170 Superest ut Lutherus eludat argumentationem Diatribes, sed ut eadem opera rideat sacros ecclesiæ doctores. Duo inquit absurda opponit, alterum è scripturis, alterum ex ratione colligit. E scripturis sic colligit,

git, Paulus 2. Timoth. 2. scribit in magna domo uasa esse aurea, argentea, lignea, fictilia, quædã in honorẽ quædã in contumeliam. Et adiungit, Si quis se emũda uerit ab alijs erit uas in honorẽ, etc. Tũ sic argutatur Diatribe. Quid stultius, q̃ si quis dicat matulæ samiæ, si te expurgaris, eris uas honorificũ, uerum hoc recte dicitur testæ rationali, quæ monita potest se accõmodare ad uoluntatẽ domini. Ex his uult similitudinẽ nõ ꝑ omnia quadrare. Hactenus nihil mẽtitus est Luthe. sed falsum est qđ annectit, atq; sic eludat, ut nihil efficiat. An nihil efficit, quæ facit ad hoc cuius gratia adhibetur, uidelicet ad reprimẽdã impiã obmurmurationẽ hõinis? Sed nihil efficit Luthero, si nõ subuertit liberũ arb. Ad hæc respõsurus obiter admonet, Paulo nõ esse dictũ, si qs se emundarit à sordibus, sed ab his, hoc est à uasis cõtumeliæ: quũ nec Diatribe mentionẽ faciat sordiũ, nec ad hãc quæstionẽ attineat, an se purgatũ uas eximat à consortio reliquorũ, an expurget sordes, nisi quod hoc posterius magis facit aduersus Lutherum: non enim eximitur à uasis ignominiosis, nisi purgatis sordibus, & hoc ipsum est eximi, purgari. Hic rursus donat aliquid Lutheri ciuilitas, quod eq̃dem nõ satis intelligo quale sit. Donemus quoq; inq̃t, hũc locum Pauli prorsus facere, quod uult Diatribe, id est, similitudinem non esse efficacem, quõ probabit idẽ uelle Paulũ loco illo ad Ro. 9. de quo disputamus?

An satis est aliũ locũ citare, & nihil prorsus curare, an idem uel diuersum efficiat? Hæc ille. Quis dixit similitudinem non esse efficacem? Imò docui efficacem esse, licet ad ipsius dogma negaui quicquam efficere. Quid autẽ est illud Pauli de quo disputamus? An sit aliquod liberum arbitrium? Istud non agi Paulo iam demonstratum est, & quid agatur ostensum est, & ad id quod agitur accõmodata sunt quæ uel dicuntur uel citantur, idq; ex probatißimis autoribus, ex consequẽtia tenoreq; sermonis, ex collatione locorũ, si reijcimus hominum autoritatem. Quorsum igitur attinet, quod hic Lutherus rursum occupãs locum cõmunem, declamat contra collationem locorũ, quam oẽs fatentur interpretandi scripturas certißimã rationẽ. Dicit, An satis est alium locũ citare, & nihil prorsus curare, an idem uel diuersum efficiat. Non est facilior et uulgatior lapsus in scripturis, quàm diuersos locos uelut similes è scripturis coaptare, ut sæpius monstraui, ut similitudo locorum magis efficax sit, de quo Diatribe superbit, quàm nostra quæ nõ cõfutat. His Lutheri uerbis quid efficitur, nisi ut quoties ipse confert locos similes, omnia quadrẽt ad amußim: quoties alius cum ipso pugnans, meras agat nugas. Alioqui locus hic communis, qui magis cõpetit in nos, hoc est in orthodoxos, q̃ in ipsum? Certe probabilius est eũ qui cõtẽtiosi dogmatis ppugnator est, undiquaq; colligere q̃

detor/

detorqueat ad uictoriam, q̃ nos qui sequimur receptam et à crepundijs Ecclesiæ probatam opinionem. Fatetur esse uerissimum, similitudinẽ non per omnia quadrare. Sed largitur Paulum idem agere scribentem Romanis, & ad Timotheum. Quis hoc dixit? Non Diatribe, sed in hoc adductus est locus, ut docerem, similitudinem luti & figuli non pertinere ad liberum arbitrium, sed ad retundendam importunam hominis cõtradictionem. Nihil hic largitur, quia non conuenit inter nos quid agat Paulus.

Vt autem ostendat locum ex epistola ad Timotheum citatum, huic loco non congruere, præfatur alium locum communem, ex causa similitudinis, non ex uerbis oportere citare scripturam. Deinde fingitur causa, mox distinguitur doctrina & exhortatio. Huiusmodi uerborũ præstigijs elabitur, qui loquitur deitonitrua. Atqui non patiar, ut huiusmodi fumis imponatur simplici lectori. In epistola ad Romanos Paulus agit, ut Iudæos auocet à fiducia legis, & gentes pariter ac Iudæos prouocet ad fidem Euangelicam. In epistola ad Timotheum hoc agit, ut hæreticos sub Euangelij prætextu diuersa docentes ab Euangelio, Christianus euitet, nec ideo putet labascere fundamẽta Euangelij, si quidam descisscunt ab Euangelij syncerítate. Nouerat enim dominus illos defecturos. Nec mirũ si in magna domo tolerantur uasa facta in con- 171

tumeliã. Non enim laboro, siue interpreteris domum magnam mundum, in qua sunt increduli & hæretici, siue Ecclesiam, quæ frequenter tolerat hæreticos: defi cientiũ incredulitas nihil officit, imò potius illustrat fidem persistentiũ, quemadmodum alibi dicit, Oportet hæreses esse, &c. Habent igitur & illa uasa suum usum in magna domo, deo uidelicet aliorũ incredulitate ad probationẽ fidelium abutente. Monet tamen apostolus, ut talium consuetudo uitetur, quoq; id fiat facilius, exprimit ibidem illorũ nomina. Porrò si quis forte fuit illorum commercio nonnihil seductus, monet ut abiecto errore discedat ab illis, ne cum illis fiat uas ignominiosum, sed honorificũ, paratũ in omnem usum domino. Atq; hũc locũ Theophylactus haud dubie sequutus Chrysostomũ, aliosq; uetustiores, accommodat ad probationem liberi arb. Iudas enim ex uase aureo, factus est uas fictile. Cõtra Paulus ex fictili, factus est uas aureũ. Neq; enim se dicitur emundare, qui nihil contraxit sordium, nec dicitur, erit uas in honorem sanctificatum, de eo qui sine labe est. Congruit et in cæteris locus. Quod illic dicit, Fundamentũ dei firmum stat, habens hoc signaculum, nouit dominus qui sunt ipsius, hic explicat, Si fuerit numerus filiorũ Israhel tanq̃ harena maris, reliquiæ eius saluæ fient. Ac superius, Non autem quod exciderit uerbum domini. Ac rursus, Reliqui mihi septem milia uirorum,

qui non

qui non curuauerunt genua ante Baal. Item cap. 3. Nunquid illorum incredulitas fidem dei euacuauit? Quod autem Timotheo scribens dixit, si se emundauerit, Romanis scribens explanat hoc modo, Sed & illi si non permanserint in incredulitate, inserentur, potẽs est enim deus iterum illos inserere. Hæc est simplex ex ipso loci tenore interpretatio. Nunc audiamus Lutheri torturam. Quum, inquit, tam multi à fide discedant, nullum est solatium nobis, nisi quod certi sumus firmamentum dei certum stare, habens signaculum hoc, &c. Causam itaque facit, quod dominus norit suos. Tum sequitur similitudo, scilicet esse uasa diuersa, alia in honorẽ, alia in contumeliã, Hic inqt absoluitur doctrina. Quæ? Quod uasa nõ seipsa parent, sed herus. Audio doctrinã, sed cuius? Non Pauli, sed Lutheri, In domo magna uaria sunt uasa, hoc est, herus ipse parat bona iuxta ac mala. Rursus postulat, ut similitudo quadret per oĩa. Imò Paulus sentit, diuitem patrẽfamiliâs omnibus uasis uti ad commodum suæ domus, aureis ad honorificos usus, fictilibus ad sordidos, quẽadmodũ in mundo tolerat impios & hæreticos ad exercitationẽ piorũ. Hoc inqt, uult & ad Ro. 9. q. figulus potestatẽ habet, &c. Sic stat inqt, similitudo Pauli efficaciſsima, q. libertas arbitrij nihil sit coram deo. Equidẽ expectabã, ut Lutherus diuersam adferret similitudinis causam eius q̃ est apud

Paulum

Paulum ad Timotheum, & apud eundem ad Roma, scribentem, Nunc eandem induxit. Verum hanc non esse causam in epistola ad Romanos, iam demonstra tũ est, & hanc causam à Luthero detortam res ipsa loquitur, quum ad Timotheũ scribens agat de uitandis hæreticis, & immobili fidei fundamento. Nec mirũ si Lutherus ex ficta causa, produxit falsam doctrinam. Post hæc sequitur exhortatio, Si quis sese emundauerit ab istis. Atq; hic recinitur nobis uetus cantilena, uerba imperandi, subiunctiua & optatiua, nihil ponere, etiam si congerantur centũ myriades eiusmodi uocum. Ideo hæc uerba, si se emundauerit, aut nihil faciunt pro libero arbitrio, aut si quid probant, probant liberum arbitrium sese posse emũdare absq; gratia. Bene colligit Lutherus, si nihil medium est, inter hæc proloquia, liberum arbitrium nihil est, & liberũ arb. per se sine gratiæ præsidio potest quicquid uult. Quid ualeat liberum arb. aliâs satis declaratum est. Interim mihi satis est, q, hæc uerba, Si quis se emundauerit, iuxta sensum communem, et grammaticorum, & agricolarum, & nautarum, & olitorum significant aliquid agere uoluntatem hominis. Addit coronidem huic capiti, Si ista elusio ualet, tota disputatio nihil ualet: Frustra enim induceret murmurantes aduersus figulum deum, si culpa uasis & non figuli esse uideretur. Quis enim murmuret, si audiat damnari

dignum

dignum damnatione? Huiusmodi nugamentis Luthe-
rus explet miseras chartas, & haud scio, an sic pru-
dens deliret, quo fatiget lectorem, aut responsurum
potius. Primum ostendi similitudinẽ hanc adductam
ad reprimendum impium murmur, quod Lutherus
mire dissimulat. Deinde quid sentit Lutherus? Culpã
esse figuli dei non uasis? Hoc enim illius uerba sonant.
Hæc uerba dicuntur à Paulo, Num ille sensit deo im-
putandum quod multi pereunt? Ergo damnantur in-
digni damnatione, & iusta de causa murmurant im-
pij. Ad quid tandem adduxit Diatribe locum ex epi-
stola ad Timotheum? Nónne ut ostenderet similitudi
nem de luto & figulo, non ad omnia congruere, sed
tantum ad id cuius gratia proponitur? Quod nam
illud? Ne creatura obmurmuraret creatori. Hoc cer-
te probant hæc uerba, Si se uas emundauerit. Quan-
tum igitur uerborum incassum hic fudit Lutherus?

His feliciter dissertis expatiatur in campum mira 172
uchementia declamãs in miseram Diatriben, quæ dũ
studet ostendere quod ipse Lutherus fassus est esse ue-
rissimum, nihil esse necesse, ut similitudo quadret in
omnibus partibus, indicauit hactenus non congruere
luti figuliq; parabolam, quod uasis uitium nulli nisi fi
gulo imputatur, at homo à deo conijcitur in ignem
nihil commeritus, nisi quod non sui iuris est. Hic exul
tat Lutherus, Nusquam, inquit, se apertius prodidit

Diatribe

Diatribe q̃ hoc loco. Audis enim hic alijs quidem uerbis, ſed eodem ſenſu dici, quod Paulus facere dicit impios. Quid queritur? Voluntati eius quis reſiſtit? Quem non tædeat cum hoc homine diſputare? Quod Diatribe proponit uelut abſurdum ad probandum, non undiquaque congruere ſimilitudinem, hic rapit quaſi ſerio dictum. Eadem opera ſi quis docere uolens ſimilitudinem corporis & capitis in Chriſto & Eccleſia, non ad omnia quadrare, dicat hoc intereſſe, quod caput animantis uiciſſim à membris iuuatur aut læditur, quum Chriſtus nec iuuari nec lædi poſsit à ſuo corpore, clamet ſerio dictum Chriſtum uiciſſim iuuari ac lædi à corpore. Imò uox iſta non eſt communis Diatribæ cũ impijs murmuratoribus, ſed Luthero potius communis eſt qui hoc docet, unde illi ꝓbabiliter ſumunt occaſionẽ impij murmuris. Quid aũt eſt, quo ſe ꝓdit Diatriba? Si per omnia quadrat ſimilitudo, homo nihil commeritus in ignẽ conijcitur, quẽadmodũ uas nihil cõmeritũ frangitur. Hoc dictu abſurdiſsimũ eſt, fateor, ſed quo abſurdius eſt, hoc efficacius ꝓbat, id qđ ſumpſerã. Vbi ſunt hic Lutheri fautores, q̃ plauſum dent huic dicto tã lepido? Ac primũ exiſtimabã impietatis crimẽ in Diatriben proprie iactũ, uerũ ex ꝓgreſſu ſermonis declarat hoc ad uniuerſos eccleſiæ doctores ꝓtinere. Hic oratione lugubri deplorat deũ, cui per eos qui ſtatuũt liberum arb. non licet fa-

ceat facere quicquid uelit: deplorat Paulum, cuius similitudo de luto et figulo reijcitur. Si deus sibi noluit licere q̃ pugnat cum iustitia, quid mirum, si illi tale nihil tribuũt homines pij? Et si Pauli similitudo ualet ad id, cuius gratia sumpta est, quæ fit Paulo iniuria? Similitudo adimit homini temeritatem de rebus diuinis iudicandi, etiam si homo non posit assequi diuini consilij rationem. Ad hoc adhibita est similitudo. Admonetur homo ut pareat uoluntati dei, quẽ admodũ argilla sequitur manũ figuli. Ad id ualet similitudo: ad sententiam, quæ sustollit liberum arbitrium, quæ docet deum & bona ob quæ seruamur, & mala ob quæ damnamur, operari in nobis, non ualet, quia non in hoc adhibitam demonstrauimus. Quid autem absurdi, si deus non impartit gratiam ijs qui indigni uitati recusant accipere, aut quos scit male usuros? Quis dat beneficium recusanti? Vt nihil aliud sit, hoc pro merito imputatur, quod homo pulsanti gratiæ aperit ostiũ, subducto pessulo, quod illato lumine intendit oculos. Hic Lutherus, Si sic operatur deus, ut merita spectet, quur illi murmurant & expostulant? In seruando non est necesse, ut deus spectet meritum prioris uitæ, quanquam hic quoque spectat futura merita, & animum gratiæ morigerum. In damnando tollere respectum meritorum impium est. Quur igitur isti obmurmurant?

Quoni-

Quoniã erant impij, Quoniam inuidebant gentibus dei benignitatem, Quoniã sibi uidebãtur iusti, quum essent impij, quoniam legis gloria tumebant, quam non seruabant. Hinc est illud impium murmur. Quod si seipsos agnouissent, & dei bonitatem erga gentes adorassent, nimirum & ipsi territi iustitia dei, confugissent ad gratiam. Postremo Iudæorum murmur ortum erat ex eo quod ipsis reiectis, ad gentes honos filiorũ dei transferretur. Quis inquit, miratur, non dicam indignatur aut expostulat, si quis meritus damnetur? Hæc Lutheri uerba quò tandem spectant? Nisi ut nobis persuadeat hominem immerentem damnari. Deinde, ubi inquit, potestas figuli faciendi quod uult, si meritis & legibus subiectus, nõ sinitur facere quod uult, sed exigitur facere qd debet? Imò ubi ĩmutabilis dei iustitia, si non licet illi quicq̃ iniuste facere? Vbi natiua ueritas, quam nihilo magis potest deponere q̃ ipsam deitatem, si non potest fallere in promissis, de quo Paulus non ueretur dicere, Seipsum abnegare nõ potest. Et hic rursus urget parabolam, ubi non oportet, quæ magis ad non exquirendam dei dispensationem in præmijs aut punitionibus erat adhibita. Pugnat inquit, respectus meritorum cum potestate ac libertate faciendi quod uult. Deus igitur qui fidem suam obstrinxit hominibus, nõ facit libere quæ uult, ni si quoties uolet fallat in promissis? Erit igitur & incerta

certa uis sacramentorum. Et tamen hoc libere fit ad quod uolens sese obstringit. Huc allegatur ex Euangelio paterfamiliâs, qui operarijs de inæquali mercede murmurantibus opposuit libertatẽ uoluntatis in suis bonis. Idem hoc fatetur Diatribe, non exigendam à deo rationẽ, quur huic det decem talẽta, huic quinq;, huic tria, huic unum. Euangelica parabola non loquitur de electis ac reiectis, sed de Iudæis prius, & gentibus posterius uocatis, omnibus tamen idẽ datur præmium. Hoc ad dei dispensationem pertinet, nec ibi cuiq̃ fit iniuria, tantum per similitudinem exprimitur liuoris dolor ex alieno bono conceptus, qui non est in pijs, sed fingitur in parabola docendi gratia, qualia sunt illic multa, quæ in collatione sunt omittenda. Debebat hic meminisse parabolæ de inuitatis ad conuiuium, Qui excusant, pronunciantur indigni, et pronunciantur fuisse priusq̃ uocarentur. Non erant inquit, digni. Quur igitur uocantur? Ne iustam haberent excusationem. Quur excusant? Quia liberam habent uoluntatem amplectendi gratiam, & auersandi. Quid obstat quo minus amplectantur? Animus irretitus curis & uoluptatibus huius mundi. Vocauit Petrum, & ilico secutus est. Si similiter uocasset Annam aut Caiaphan, irrisissent uocantem. Vides lector rem magnifice gestam, Nunc audi ducem ouantem: Hæc inquit sunt, quæ Diatribes glossam non si-

173 nunt ualere. Sed pergit argumentari, & disputator commodus, quod est ex scripturarum oraculis indubitatum, fingit esse, ut deus in damnandis respiciat merita, Eadē inqt, ratione merita spectabit & in seruandis. Primū respondi non esse parē causam in dānandis et seruandis. Rex qui uitā donat mortē cōmerito, nulli facit iniuriā, alijs non cōdonans, sed in hunc dicitur clemens. Itaq; sensus etiā cōmunis iudicio falsum est, quod asseuerat Lutherus, æque iniquū esse, indignos coronari, atq; indignos puniri. Verum in genere deus & in seruando & in damnando respicit hominum merita, merita inq̄ non quibus ex pari respondet præmium, sed sine quibus non dantur præmia. Ergo inquit, deus iustificat ex meritis præcedentibus. Quid ni? sed quæ deo præsentia sunt, antequam nascantur homines. Verum hic mihi pone triplex meritorum genus, ac triplex item præmiorum genus. Vita simplicius acta, si non sine peccatis, certe sine malicia, multis interim humano more bene gestis commendabilis, habet merita quædam, quæ quadamtenus redunt hominem dignum gratia uocationis. Sit igitur huiusmodi meritorum premium gratia pulsans. Rursus animus non auersans pulsantem gratiam sed simpliciter amplectēs dei donū, pro præmio imputatur, quo quodāmodo meretur accipe gratiā iustificantē. Denique uoluntas hominis strennue gratiæ ductu per

opera

opera pia contendens ad æternæ uitæ brabium, aliquo modo meretur regnum cœlorum. Deus autem qui ab æuo destinauit his gratias suas & uitam æternam, ideo destinauit, quia præsciuit in illis suam gratiam non fore sterilem. Contra quos destinauit gehennæ, ideo destinauit, quia ab æterno præsciuit, qualia forent gesturi. Non tamen necesse est, ut iuxta nos merita bonorum operum, hoc est, uel primi uel tertij generis præcedant gratiam iustificantem. Hoc enim promisit propheta, hoc profitetur Christus, se uenisse, ut gratis salutem offerret omnibus, qui uellent in ipsum credere. Hic nec Paulus habet respectum meritorum uitæ prioris, sed fiduciæ de promissis. Proinde ut est impudens quod Lutherus multis hic uerbis inculcat, paris esse iniquitatis seruare immerentes, atque damnare immerentes, ita simpliciter impium est dicere, quod deus aliquem damnet immerentem, imò neminem damnat nisi leuius quàm pro meritis, ut habet probabile theologorum dogma. Quos autem Lutherus appellat indignos? impios? Eos non seruat deus, Sed impios uocat ad pœnitentiam, & pœnitentes pro sua misericordia recipit in gratiam. Itaque quomodo iustum sit, ut indignos coronet, etiam nunc intelligi potest. Iustum est, quia promisit salutem credentibus, Alioqui clementiæ est, non iustitiæ,

recipere impios ad pœnitentiam. Cæterum quomodo damnet immeritos, nec creditur hic, nec intelligitur, ne tum quidem intelligetur aut credetur, quũ reuelabitur filius hominis, Non enim intelligitur aut creditur à pijs quod falsum est. Quid autem sibi uolunt ista uerborum portenta, quod ait, iuxta nostrum sensum æque iniquum, si Cain ob parricidiũ laudes regemq; facias, atq; si Abel innocentem occidas. Quis extollit sceleroſos ob malefacta, aut quis punit pios ob benefacta? Huiusmodi monstris delectatur doctor Hyperbolicus.

174 Quis tam patientis est stomachi, qui possit huius hominis glorias, conuicia, battologias ferre? Fingit hic Diatriben stomachabundam, conferre loca scripturarum inter se iuxta speciem pugnantia, ut ex cõflictatione colligatur sensus germanus. Quid ni? An hoc Diatribes exemplum est? An non idem fit à probatißimis Ecclesiæ doctoribus? Quis autem dixit, scripturam cum scriptura pugnare? Sic Diatribe loquitur, Et ita Paulus reperietur sibi cõtradicere. Ita, hoc est si simplicibus uerbis nos urgeas, Si per omnia qd lutũ est figulo, id homo est deo, hoc est, si nihilo plus operatur ad salutem aut exitium suum, q̃ lutum quod fingitur sic aut sic pro figuli arbitrio, quomodo Paulus dicit, Si se emundauerit ab istis, qualia loca sunt in scripturis permulta. Si urgeas uerbis simplicibus exclusõ

cluſo tropo, ne loquitur quidem lutum figulo, quum homo loquatur luto comparatus. Et uas impurũ nec ſe conſpurcauit, nec ſe poteſt expurgare. Sed quomodo hinc elabitur Lutherus? Prodit uetus illa ſed ĩpudẽtiſſima cantio de uerbis ſubiunctiuis. Prodit hyperbole, quæ minimum abeſt à mendacio. Cantione regnat in tota ſcriptura, inuitis dijs atq; hominibus: hyperbole fingit me ſumpſiſſe probandum, quod liberum arbitrium nihil poſſit boni, quum hoc nuſquam profiteatur Diatriba: & ſi profiteretur, non conſequitur, ſi nihil poteſt efficaciter abſque gratiæ præſidio, nihil omnino poſſe. Sic enim perpetuo ratiocinatur doctor hyperbolus.

At quomodo nobis probat ſuum dogma Lutherus 175
quod uerba imperandi, optandi, ſubiungendi, nihil ponunt? grãmaticis iudicibus? Neſcierunt igitur grãmaticam, qui hactenus ſic interpretantur quemadmodum Diatriba, ſub cuius nomine lapidantur Eccleſiæ doctores. Imò dialecticorum potius aut ſophiſtarum iſthuc eſt citius q̃ grammaticorum, qui ſermonem interpretantur iuxta ſenſum communem. At diliges dominum deum, & diliges proximum, indicandi uerba ſunt. Per tropum inquit, uſurpantur pro imperatiuis. Atqui hic ipſe tropus indicat aliquo modo præſtari poſſe quod præcipitur. Subauditur enim à præcipiente, Si uis eſſe ſaluus, ſi fungi uis tuo ofício, facies

hoc, illud uitabis, ut colligas nolle, si non faciat. Sede à dextris meis, Postula à me, et dabo tibi gentes, Itē, Intra in gaudium domini tui, quoniam sunt uerba imperandi, non intelligemus hoc esse factum aut fieri posse? Si nos ad grammaticos prouocat, si sensum cōmunem facit arbitrū diuinæ scripturæ, hæc illi sunt recipienda. Non credit interpretationi, non dicam Diatribes, sed totius Ecclesiæ, nisi adferat alium locum, per quem probet quod interpretatur. Sed quid retulerit adduxisse sex milia locorum, si Luthero liceat sic interpretari, quemadmodum hactenus interpretatus est plera? Quid procliuius est, q̄ ut is qui nullius interpretationem recipit, si locus ad loci probationem allegetur, utcunq; interpretetur ad sui dogmatis cōmoditatem, præsertim si idem sibi permittat quoties commodū est à seipso dissentire, quod complu ribus locis ab alijs demonstratū satis ciuiliter, ne dicā scurriliter dissimulat, iuxta parabolam ab ipso prolatā, existimans se à nemine uideri, si cū pueris ipse sibi tegat oculos. Clamat totam scripturā aliā fieri, si uelet consequentia, hoc deus præcepit, ergo fieri potest quod præcepit: & nihil accidit scripturæ, si credimus Luthero, uerba præcipiendi, uetandi, minandi, hortandi, promittendi, blandiendi, terrendi, quibus undique scatent sacri libri, tantum ea spectare, quæ fieri nullo modo possunt, sed hæc omnia dici à deo uel

insultan

insultante nostræ superbiæ, uel ostendere uolente, nos nihil aliud posse quàm peccare, etiamsi gratiæ præsidium accesserit. Et ad hoc paradoxon euincendum habet tria uerba ex Paulo, Per legem cognitio peccati, quæ q̃ torserit supra demonstratum est. Ast urget Diatriben, ut seipsam liberet, doceatq; quomodo ista cohæreant, liberum arbitrium nihil potest uelle boni, & si quis se emundauerit, ergo potest se emundare. Dissimulato mendacio quod assumit, expediam. Iuxta meam sententiam, liberum arbitrium uitiatum ex sese nihil potest ad consequendam salutem efficaciter, sine gratia, Et si quis factus sit uas ignominiosum, adiuuante gratia, potest se expurgare à consortio uasorum impurorum. Operam militis uides lector, spectata triumphum. Vides igitur inquit, uexatum & uictum similitudine illa figuli, tantum hoc agere, ut illã eludat, nihil interim cogitans, quantũ causæ suscepta noceat interpretatio, quàmque seipsam confutet & irrideat. Hæc triumphator. Iam docuimus toties luti & figuli similitudinem, adhibitam ad retundendam Iudæorũ arrogãtiam, nec quadrare per omnia, nec pertinere ad liberum arbitrium in negocio salutis æternæ, sed ad dispensationem dei, quæ peragitur in ratione rerum temporalium, ac præmiorum & pœnarum, nec ulla res me minus urget quàm illa similitudo.

876 Sui similis pergit, negans se usquam sic interpretatum, Extende manum, id est, gratia extendet, Hæc omnia, inquit, Diatribe fingit de nobis in commodum causæ suæ. Sed sic diximus, &c. Diatribe nõ dixit hoc scripsisse Lutherum, sed Carolstadiũ indicauit, in hoc uere stulta, q; in re tã seria crederet tãtos symmystas consentire. Nunc ut uideo Lutherus quid Carolstadius scripserit securus, sua tantum tuetur, interpretans ea suo commodo, si forte quid ipse quoque scripserit fuerit oblitus, quod arbitror illi non raro accidere in tanta battologia. Quum autem complura loca recitet Diatriba, quæ uidentur prima specie inter se pugnare, tamẽ ille dißimulans unũ atq; alterũ tantum attingit. Quumq; Diatriba non omnia loca similia ratione redigat in concordiam, tamẽ Lutherus unicam tantum occinit cantionẽ, Hæc loca similia sunt. Nunquid dicit lutum figulo suo. Et Esa. 10. Nunquid gloriabitur securis aduersum eũ qui secat in ea? &c. His repugnare uidetur, si quis se emundauerit, aliaq; apud Diatribam recitata. Verũ ista sic redigit in concordiam Diatribe, ut dicat sermonem de luto & figulo, item de securi & fabro, non tollere liberum arbitrium hominis in omnibus, sed retundere superbiam hominis sibi fidentis, seseq; erigentis aduersus deum, itaq; non pugnare cum cæteris locis hortantibus ad uitæ correctionem. Altera concordiæ ratio est, si me

minerimus

minerimus collationem à luto & figulo, á fabro & securi à percutiente et uirga sumptã, non per omnia quadrare, quum homo sit uiuum instrumentum, quod simul agat actum, quale instrumentum est iumentum agricolæ, aut seruus hero. Quoties ergo scriptura dicit, Recede ab impuris, compellat liberũ hominis arbitrium: quoties dicit, auferam cor carneum, indicat auxiliantem gratiam. Hæc non ex se somniat submersa, suffocata, & corrupta Diatriba, sed è diuinis libris iuxta sensum communem, & si id parum est, iuxta ueterum probatißimorum sententiã adducit. Iam quod est 1. Corin. 12. operatur omnia in omnibus, non agit de libero arbitrio, sed de dispensatione donorum spiritus, quæ deus partitur singulis ut ipsi uisum est ad utilitatem corporis. Idq; adeò non tollit arbitrium hominis, ut Paulus profiteatur spiritus prophetarum prophetis esse subiectos, sic ut altero surgente prior licet afflatus tacere posßit si uelit. Quid autem frigidius, q; hos omnes nodos Lutherus dissoluit per distinctionẽ uerborum indicandi & imperandi, siue subiungendi. Hoc commentum quum nullus mortalium ausus sit inter eruditos dicere, tamen Lutherus ostentat ubiq; ueluti telum longe certißimum et ineuitabile. Quid autem dicet ad illud Ioannis, Omnis qui habet hanc spẽ in eo, sanctificat se, sicut ille sanctus est? Hic est indicandi uerbum, & ne confugiat ad tropum, præsen-

tis tẽporis. Qui se sanctificat, utrũ agit aliqd, an non? Apud eundẽ legimus, Qui ex deo est, nõ peccat. Qui se cõtinet à peccãdo, nihil agit? Iã uerte hæc in imperandi uerba, Qui habet hanc spẽ in eo sanctificet seipsum, Et, q ex deo natus est, ne peccet. Ad hũc modũ oĩa impandi uerba uerti possunt in uerba indicandi. An qui ex uerbis impandi colligũt posse fieri qd'præcipitur, habent aliã scripturã? Solus igitur cũ paucis Lutherus habet germanam scripturã. Et quomodo dicitur ex suo cerebro hoc somniasse Diatribe, quod est omniũ et Græcorum & Latinorũ et barbarorum cõmune? Quando desinet nobis κοκκύζειν, hæc aut nihil probant, aut pugnant cũ eo, quod Diatriba defen-
177 dendũ susceperat. Hæc, pximo quoq; capite uersat, iterat, inculcat, repetit, infigit, ad nauseã usq;, ad quorũ singula si parẽ respõdere, nullus erit uoluminis finis.
178 Accedit triũphabundus ad locum Gen. 6. Non pmanebit spiritus meus in homine, quia caro est. Hic quũ Diatriba sequatur probatos interpretes, tamẽ audit, quæ nusq; nõ significat se scripturas, p fabulis habere, neq; mitius accipitur Hieronymus, qui nugatur; & scripturarũ puersor dicitur. Euge Luthere, βάλλ' ὀὺ τως. Sic loqui solent, qui aguntur spiritu dei, & qui Paulũ imitantes, placent omnibus, ne quod offendiculũ præbeant Euãgelio. Sed ad rem. Fortiter negat Lutherus ullum locum inueniri in sacris literis, ubi spiritus

ritus dei usurpatur pro indignatione, quũ cõtra spiri tui benignitas & suauitas tribuatur. Primum demus esse uerum quod sumit Lutherus, quid phibet, quo mi nus spiritus id sonet alicubi qđ sonat etiã uulgo, quũ Spiritus dicimus uehementes et impotẽtes affectus, un de et Græcis μέγα πνεῦμ dicuntur, q elato sunt fero ciq; animo, præsertim quũ ipse loci tenor suffragetur huic sensui. Inducitur enim illic deus indignãs sceleri bus hominũ cogitare de delẽdo mortaliũ genere. Ma le dialectice colligit, Vox hæc alijs in locis aliter usur patur, igitur hoc loco non potest secus accipi. Iã uero nõ dubito, quin plus q̃ quindecim locis inueniri possit spiritus uocabulũ in scripturis usurpatũ, p indignatõe siue uindicta dei, nisi Esaiæ 11. Et percutiet terrã uirga oris sui, et spiritu labiorũ suorũ interficiet impiũ, nõ loqtur de uindicta. Apud eundẽ ca. 30. Ecce nomẽ do mini uenit de lõginquo, ardẽs furor eius, et grauis ad portandũ, labia eius repleta sunt indignatione, & lin gua eius quasi ignis deuorans, Spiritus eius uelut tor rens inundãs, usq; ad mediũ colli, ad pdendas gentes. Rursum 2. Thes. 2. Et tunc reuelabitur ille iniquus, quẽ dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. Etiã ne hic spiritus sonat benignitatẽ, ac non potius ultionẽ? Huius generis pmulta licuit adducere, sed hæc suffici unt ad coarguendũ Lutheri spiritũ. Saltẽ addidisset, quod eqdẽ sciam, Sed non didicit nisi hypbolas loqui.

Hoc

Hoc de spiritu, carnem simili lemmate probat non posse accipi pro infirmitate, sed sonare uitium. Hoc non est inficiata Diatriba, sed negauit semper accipi pro impio affectu. Nam impius affectus sonat extremam malitiam, usq; ad dei contumeliam. Sed facilius ignoscuntur uitia, quæ cũ errore, seu infirmitate coniuncta sunt. Tales arbitror fuisse Corinthios & Galatas, imperfectos, non impios. Imò nec adulteriũ Dauid cum homicidio coniunctum tribuitur impiæ malitiæ, sed infirmitati carnis: casu uidit, correptus est amore, quo ueluti temulentus occidit Vriam. At monitus q̃ cito resipuit, q̃ luxit admissum. Hinc apparebat infirmitatis fuisse lapsum. Hoc adieci, ut etiam si Corinthij laborassent grauibus uitijs, tamen aduersus me non ita multum faciat. Postremo falsum hoc quoq;, carnem semper sonare uitium, nisi naturæ imbecillitatem appellamus uitium, à qua nec ipse dominus fuit expers, quũ diceret, pater si fieri potest, transeat à me calix iste.

179 Expositis uocabulis pro suo commodo mutat etiam publicam Ecclesiæ lectionem, pro non permanebit legens, non iudicabit, pro quo Lyranus indicat Hebræum quendam Rabinũ uertisse, non disceptabit, ut sensus sit, non diutius differã ac suspendam sententiam, quia caro sunt, hoc est suapte natura procliues ad malum, nisi reprimãtur afflictionibus ac minis. Ad hæc

istos

istos pronomen omittit, quod tamen addit Hieronymus. His ita digestis aggreditur interpretationē scripturæ, quam prædicat satis apertam, si nostra somnia mitteremus. Quid est, si nostra somnia mitteremus? Id est, si contemptis omnium ueterum interpretationibus, quicquid assueuerarit Lutherus pro oraculo amplecteremur. Age præbebūtur aures. Sunt inquit, uerba dei irati. Id illi nobiscum conuenit. Causam dederant gigātes tyrannide ac libidine sua. Esto sanè. Ita ut diluuium cogerent accelerare iratum deum, & uix ad centum annos differre, quod aliās nunq̄ erat inducturus. Quomodo cogatur deus, ut cito faciat qđ alioqui nunq̄ erat facturus, relinquo explicandū Luthero, qui tropos odit, & immutabilem uoluntatem deo tribuit. Vt omittam interim locum communem, quo rursus destomachatur in deprauatores scripturæ sacræ, ut blasphemias in Hieronymum, & in omnes hunc sequentes, remq; conferam in compendium, Primum negari non potest, quin hæc particula, in æternum, ancipitem habeat sensum, potest enim esse sensus, Spiritum dei nullo unq̄ deinceps tempore mansionem habiturum in homine: & intelligi potest, mansionem spiritus diuini non fore perpetuam in homine: Lutherus accipit posteriorem sensum, quū uerba magis exprimant priorē. Præterea remittimus illi quod Hieronymus annotauit ex Hebræorum traditione,

donat

donamus q; spiritum accipi pro affectu dei procurantis hominũ salutem, carnẽ pro affectu peccandi. Si Lutherus hæc interpretatur de natura totius humani generis, caro erant omnes ab Adã lapso, quẽadmodum sunt & hodie. Quur igitur deus tã diu siluit, ac post tot annorũ periodos incipit minitari panolethriã rerũ omniũ? Quur post quũ essent opinor homines sceleratiores in terris, sub imperio Romano, q̃ erant illi gigantes, qui tantũ insaniebant in fœminas, deus effudit spiritũ suum super omnẽ carnẽ abunde, dicẽs, Delitiæ meæ sunt esse cum filijs hominũ? Si deus nouerat illos absq; spiritus sui præsidio homines non posse recte uiuere, quur non impartiens spiritus opem sic indignatur, ac destinat exitium? Ad hæc, quur hoc illis imputatur, quod exemplo monitis q; Noe iusti, nihilo facti sunt correctiores? Rursus quur indulgetur centũ uiginti annorũ spatiũ, ut uel tam atrocibus minis territi resipiscerent. Quod enim hos annos indulsit æditis minis, erat nolentis pdere, Alioqui poterat tacitus perdere, sed ideo minatus est, ideo dedit spatium satis amplum, ut interim resipiscerent, & effugerent iram diuinam. Quod si Lutherus non solum sentit de natura communi hominis uitiata, quam μάλα ὑπερβολικῶς ubiq; exaggerat, sed magis de peccatis mortalium uoluntarijs, quæ semper in peius glisscebant, dum malunt suis cupiditatibus obsequi, q̃ uel

legi

legi naturæ, uel monitis iusti Noe: habemus quod imputetur libero arbitrio. Primum ob spretam naturæ legem, deinde ob contẽptam gratiam per Noe monita uitamq; pulsantem. Quibus rebus quoniam isti facti sunt etiam deteriores, uel insanabiliores, traditi sunt exitio, ne sine fine peccarent, accumulantes sibi grauiorem damnationem, quod idem euenit Iudæis pertinaciter Euangelio reclamantibus. Quod si spiritus dei non potest, ut ait Lutherus, durare inter homines quia caro sunt omnes, quomodo durauit in Noe, ac postea effusus est in plurimos? Quis autẽ hic loquendi tropus est, spiritus dei non potest, quum sit omnipotens? Ita sibi permittit loqui, in nos uociferaturus, si quid excideret simile. Verum Luthero pium est, quicquid facit pro adamato dogmate. Hic igitur sermo non pertinet ad uniuersum hominum genus, sed ad illius ætatis nationem, nec tam ad naturæ corruptelam ptinet, quàm ad sceleribus contaminatam uitam. Itaque locum habet liberum arbitrium, quia contempserunt naturæ legem ad meliora uocantem, contempserunt exempla monitaq; iustorum, quæ probabile est, nullis unquam seculis defuisse, Contempserunt dei bonitatem, qui post tot seculis toleratam illorum maliciam, tamen adhuc concesit annos centum uiginti, denunciato diluuio, ne tum quidem resipuerunt, quum uiderent

uiderent apparari arcam. Vnde tanta duricies? Non aliunde q̃ à natura? Imò multo magis à contẽptu gratiæ pulsantis, quam per liberum arbitrium poterant amplecti, resipiscentes ad pietatẽ. Et hos homines Lutherus pronunciat immerito damnatos, quemadmodum et Iudæos. Hic ne rursus clamet Diatribam somniare, ex Chrysostomo paucula uerba subscribã, quibus ita deum facit loquentem. Sed quia etiam eos qui incurabiliter peccauerunt seruari uolo, nullumq; perire, idcirco uobis indulgeo tempus centum uiginti annorum, ut si uolueritis & peccata ablueritis, resipiscendoq; & ad meliora uos conuertendo uirtuti studueritis, pœnas et pericula effugiatis. Hactenus Chrysostomus, in quo Lutherus statim ridebit uerba subiunctiui modi, sat scio, sed eam legem Chrysostomus non didicerat. Nec in hoc profero Chrysostomi testimonium, ut Lutherum redarguam, qui iam suo quodam iure iubet omnes esse anathema, qui secus exponunt q̃ ipse scripturas. Sed mire urget nos uoce carnis, carnẽ exponẽs impios, et sunt inquit, nihil aliud, totiq; sunt caro. Has hyperbolas si recipimus, ex homine faciet diabolum. Atqui ubi homines dicuntur caro, nulla uitiorum mentio fit, nisi ductis uxoribus. Sic enim habet locus, Cumq; cœpissent homines multipli cari super terram, & filias procreassent, uidentes filij dei filias hominum, q̃ essent pulcræ, acceperunt sibi uxores

bi uxores ex omnibus quas elegerant. Dixitq; deus, Non permanebit spiritus meus in homine in æternũ, quia caro est. Lutherus qui toties clamat, in scriptu/ris nihil obscurum esse, uel hoc caput nobis explanet, qui sint filij dei, quæ filiæ hominum, qui gigantes ex filijs dei, ac filiabus hominum prognati. Verum his omissis, hic nihil aliud intelligi potest, q̃ quod uel in/dulserint libidini ductis uxoribus, ut interpretatur Chrysostomus, uel promiscue duxerint uxores, nulla ratione propinquitatis habita, uel quod alienas spon/sas constuprarint, quã ultimam opinionẽ solus, quod equidẽ sciam, Lyranus attingit. Certe Luthero auto re, pium est uxorem ducere, & iuxta theologos or/thodoxos, condonabile peccatum est, in matrimonio nonnihil dare uoluptati, nec crimen est, uxorem libi/dinis nõ prolis gratia cognoscere. Vbi est igitur quã Lutherus exaggerat impietas, quia caro sunt? Præ/cessit causa, quur eos uocaret carnem. Carnem uocat quia carnis affectibus indulgebant, hoc est, uoluptati potius q̃ rebus æternis. Verum hic affectus progressu temporis postea profecerat ad maiorem maliciam, eoq; sequitur, Corrupta est terra coram domino, & repleta est iniquitate. Nec tamen ulla fit impietatis mentio, quod immolarint dæmonijs, aut blasphemias eiaculati sint in deum, libidinis & uoluptatum lues erat. Quur igitur sic incandescit deus? Dicam, quia

totus hic scripturæ sermo, per tropologiam, affectus ac uerba hominum tribuit deo, non quod uere adsint, sed ut homines crassi facilius agnoscerent cognata. Inducitur itaq; deus tanquam nouus rex aut pater familiâs, qui nondum assuetus uicijs suorum, ob leuiora etiam delicta grauissime cõmouetur ac punit. Cæterum ubi comperit alterutrum esse ferendum, ut aut nullam habeat familiã, aut ferat illorum defectus, fit mitior, et aut ignoscit commissis, aut certe mitius punit. Sic ante diluuium ait, Ego disperdam eos cum terra. Post diluuium autem quanto mitius loquitur, Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines, quoqúe sint æquioribus animis, ponit Irim fœderis signum, in nubibus. Hæc tropologia quid sibi uelit, non est huius loci disserere. Quum igitur deus loquitur, caro sunt, leuius quiddam sonat q̃ interpretatur Lutherus, nimirum infirmos & ad uicia procliues, ac rebus corporalibus magis quàm spiritualibus deditos, perinde quasi dixisset, homines sunt. At ille nouus paterfamiliâs exigebat ut dij essent sapercntq; primam originem. Sic usus carnis uocabulo Paulus scribens Corinthijs, ut obiter refellam, quod Lutherus fortiter asseuerat, illic Corinthios ob impietatem dici carnales, quum eodem in loco, eandem ob causam uocet eos paruulos in Christo, ac mox homines. Cæterum impij non sunt in Christo, nec hominis

minis uocabulum ſonat impietatem, ſed imperfectum quiddam. Verba Pauli ſic habent, Non potui uobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, tanq̃ paruulis in Chriſto lac uobis potum dedi non eſcam, nõ dum enim poteratis, ſed ne nunc quidem poteſtis. Adhuc enim carnales eſtis. Quum enim ſit inter uos zelus & contentio, nónne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis? Quum enim quidã dicat, Ego ſum Pauli, alius autem, ego Apollo, nónne homines eſtis? Talis contentio erat & inter apoſtolos, adhuc rudes & carnales, qui tamen non erant impij. Carebant enim malicia, nec alienabat illos à Chriſto. Sic idem Paulus ad Romanos 6. dum non exigit id quod perfectum eſt, Humanum inquit, dico propter infirmitatem carnis ueſtræ. Sicut enim exhibuiſtis membra ueſtra, &c. Et aliquando negat ſe ſecundum hominem loqui, quum abnegat affectus humanos. Verum his nihil agitur, Lutherus confeſtim ex homine faciet ſatanam, quemadmodum & antea in diſputando, nullum inter eos fecit diſcrimen, quũ in homine ſint ueluti duæ naturæ, corporis terreni, et animi cœleſtis. Volẽtibus ſeſe ad cœlum erigere nõ deeſt gratia, aduerſus eã partẽ quæ uergit ad terrena. Nihil aũt hic detrahitur, neq; uolũtatis diuinæ libertati, neq; gloriæ gratiæ. Hoc uoluit diuina prouidẽtia, ut in homine reſideret, quod ſe præberet

pulsanti gratiæ, & ita hic quoq; fit illius uoluntas, & hoc ipsum quod homo potest naturæ uiribus, dei donum est, quod toties à Diatriba repetitum constanter negligit Lutherus.

180 Postremo donemus affectum humanum siue carnalem, non sapere ea quæ sunt spiritus, qui scrutatur etiam profunda dei, sunt tamen elementa, sunt gradus ad spiritus pfectionẽ prouehẽtes. Nascitur homo denuo, sed hic partus non semp est subitus, & habet suam infantiam, pueritiam, adolescentiam, ac maturam ætatem, gratia dei humanam imbecillitatem sensim ad meliora prouehente. Proinde ut donemus hoc quod dictũ est de corrupto Noe seculo, ad omnes pertinere, quod nec ueriſimile est, nec uerum esse credo, tamen hæc sententia non excludit liberum arbitriũ, quando Pharaoni quoq; diuus Augustinus asscribit liberum arbitrium, cuius hoc minor erat in eo uis, quo magis erat sceleribus induratus, & tamen hoc ipsum quantulumcunq; si non auertisset à deo prouocante ad pœnitentiã, saluus esset. Et si cui sese subducit gratia, ob præcedentia merita facit.

181 Tuetur locum ex Gene. 8. Sensus & cogitatio cordis humani prona sunt ad malum ab adolescẽtia sua. Et 6. Cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum omni tempore. Miratur hic Diatribam ita loqui. Proclinitas ad malum quæ est in pleriſq; hominibus, non adimit

adimit in totum libertatem arbitrij, quasi non sit in omnibus. In matre Christi non arbitror fuisse, quemadmodum nec in Christo, & fortasse plures sunt nobis ignoti, quibus hoc munus indulsit gratia diuina. At deus in genere loquitur. Esto, At sermo generalis non obstat prærogatiuis paucorum. Quod autem hebraismum nobis citat, qui nec cum Græcis, nec cum interpretatione Hieronymi cõsentit, nec ab ullo probatorum interpretum annotatur, respõdere possum, aut Lutherum non intelligere uim Hebræi sermonis, aut codicem habere corruptum. Sed ex abundanti donemus, totum esse malum quod homo ex se cogitat, habet tamen indolem spiritui habilem, qui nulli deest nisi uolenti. Quin isti Hebraismo reclamat sensus cõmunis. Quæ uirtutum semina uidemus fuisse in ethnicis, imò q̃ eximias uirtutes præstiterunt sine Christo? Non igitur totum malum est quicquid cogitat homo, nisi malum dixeris quicquid non iustificat perfecte. Augustinus scribit Romanis ob quædam pie sancteq; gesta donatam imperij gloriam. Nemo malum coronat sanus. Male habet Lutherum, quod Diatriba non tantum exaggerat pronitatem ad malum, quantum ipsi commodum est. Fateor in quibusdam ingenijs bene natis ac bene educatis minimum esse pronitatis. Maxima procliuitatis pars est non ex natura, sed ex corrupta institutione, ex improbo conuictu, ex assue-

tudine peccandi maliciáq; uoluntatis. At scriptura Geneſ. 6. non proprie loquitur de natura hominis, ſed de corruptis affectibus, & in genere loquitur. Neq; enim arbitror hæc in Noe & in huius familiam congruere. Verum hoc Luthero diſplicere mirum non eſt, quum ille tantum exaggeret hunc raptum & impetum ad malum, ut nec ſpiritu in homine operante, poſſit aliud agere quàm malum. Præſtat igitur in medio conſiſtere, q̃ aut nihil tribuere proclivitati naturæ, aut tantum tribuere, quantum nemo pius poteſt ferre. Iam illud argumentum, Si nulla pars reſipiſcentiæ pendet ab arbitrio, quur datum eſt ſpatium pœnitentiæ? Hic litem lite diſſoluens, reſpondet, quur tot præcepta dedit, quæ ſeruari non poſſunt? Imò in hoc præcepta dedit, ut horum obſtinati contemptores intelligerentur iuſto dei iudicio perire, fierentqúe cæteris exemplum, ne ſimilia auderent. Deus pro ſua bonitate tolerarat quingentis opinor, annis genus hominum, nimium referens ſuos progenitores, quumqúe ſemper in peius degenerarent, promulgata ſententia terrorem incutere ſtuduit, ſed interim dato ſatis longo pœnitendi ſpatio, ut quum nec lenitate tanta, nec tam ſæuis minis dei permouerentur ad meliorem frugem, uelut inſanabiles ſuo merito conſtaret extinctos, alijs exemplo futuros. Hoc reſponſum quanto ſcripturis, ſenſuiſq;

suique communi congruentius, quàm quod adfert Lutherus.

Tuetur quod uelut inuictum telum protulerat ex Esa. 40. Suscepit de manu domini pro omnibus peccatis suis. Atque hic rursus uapulat Hieronymus cum Hebræis, Quanto magis debacchaturus erat in me, si mei capitis commentum protulissem? Quid huic faciemus, qui præter scripturam nihil recipit, sed ipso interprete. Atqui in assertionibus suis quoties illi ualet Augustinus & Gregorius? Verum ut ex ipso tenore sensum eliciamus, negari non potest, quin hic Esaias agat de Hebræis per Cyrum è captiuitate Babylonica liberandis. Hoc substrato fundamento, facilior erit allegoriæ peruestigatio. Ob peccata sua deducti sunt in Babylonem, illic septuaginta annis longas pariter ac graues dedere pœnas. Quorum tandem misertus deus, ex irato factus propitius, post tolerata tristia subiungit consolationem misericordiæ, qui ferè tenor est omnium prophetarum, in quibus post minas & plagas terribiles succedit blanda consolatio. Verba prophetæ sic habent: Loquimini ad cor Hierusalem & aduocate eam, quoniam completa est militia eius, dimissa est iniqtas illius, suscepit de manu domini duplicia, pro omnibus peccatis suis. Hæc si ad mores trãsferas, qd aliud accipere possis, q̃ deũ post inflictã pœnã 182

si peccator resipiscat, largiter effundere consolationis gratiam. Post asperitatem enim pœnitentiæ sequitur hilaritas bonæ conscientiæ. Quod autem dixit duplicia, congruit affectui miserentis, uelut in diuersum uerso. Loquitur enim creberrime scriptura de deo tropis humanis, perinde quasi patrem, cui iam cæso filio pietas excußit iram, pœniteat sumpti de nato supplicij, nimiumq; uideatur propitio, quod irato uidebatur infra meritum. Iam si prophetiam conferas ad legem & Euãgelium, Babylonica captiuitas erat regnum peccati, quod & Iudæos oppresserat in lege Mosaica, & gentes sub lege naturæ. Hierusalem erat Ecclesia complectens utranq; gentem, unde Hieronymus uertit, aduocate eam, & inferius habetur, Et uidebit omnis caro pariter quod os domini loquutum est. Sit consolatio remißio peccatorum, & uberioris gratiæ promißio. Sit duplicium receptio, calamitates inflictæ diuinitus, & angores infelicis cõscientiæ, uersi in gaudiũ & quietem. Hæc interpretatio quanto mollior est Lutherana, qui Hierusalem interpretatur populum Iudæorum oppressum tyrannide legis plurima præscribentis, quorũ nihil seruari poterat, Cyrum gratiã, quæ pro male factis quod inauditum est, reddidit amplißima beneficia, Et quod propheta scribit, eas calamitates immißas à deo, tametsi per homines inflictas, interpretatur, remißionem peccato-

rum

rũ gratis à deo donatã pro malis etiã meritis, quasi malefactorum præmium esset condonatio peccatorũ: & hoc admirabili commento, quod nulli mortalium unquam uenit in mentem, præterquam Luthero, stat inuictum Esaiæ testimonium aduersus liberum arbitrium. Atq; interim quàm multa sibi sumit parum pudẽter. Primum militiam esse legendum non maliciam, quum huius rei non meminerit Hieronymus, Et 70. uerterunt ταπείνωσιν, id est, humiliationem, ut idem sit sensus utriusq; translationis, Nam & afflicti dicuntur humiliari, & malicia dicitur afflictio. Iam ut demus Hebræis haberi militiam, probabilius est significari duram illam ac fœdam satanæ militiam, cuius stipendium ut ait Paulus mors est. Deinde quod hãc militiam interpretatur legem, ut pro deo supponat Nabugodonosor, qui legem imposuit seruilem. Præterea quod duplicia recepta pro datis pœnis, quæ misericordi domino uidebantur ingentes, interpretatur, p peccatis & non seruata lege præmij loco donatam à deo gratiam. Sic enim loquitur Lutherus in assertione, Quid hic dicent? Gratiam dicit à domino non dari, nisi pro peccatis, scilicet pro malis. Tolerabilius erat si dixisset, peccata fuisse commutata iusticia, & in malitiæ locum succesisse per gratiam pietatem. Ad hæc 185
sumit deum coactum fuisse tollere legem, quàm seruare nemo poterat, quum euangelium consummet legẽ

non tollat. Nam pro non occides dicit, ne iraſcaris. Et pro ne peieraris dicit, noli omnino iurare. Simul & illud, ſub lege non fuiſſe gratiam, neque quenquã eam ſeruaſſe. Iam ut demus accipi poſſe duplicia reddita à deo, non pœnas, ſed gratiam & innocentiam, idque gratuito per fidem euangelicam & baptiſmum, non tamen hæc pugnant aduerſus liberum arbitrium. Nec Diatriba negat deum aliquoties dare gratiam, non ob merita præcedentia, ſed ob ſequutura, nimirum his in quibus ſcit gratiam ſuam non fore fruſtraneam, Poſtremo in amplectenda gratia dũ pulſat, nonnihil agit liberum arbitrium: Item dum uolens cooperatur, dum ſe non auertit.

184 Arripit hoc quod obiter addidit Diatriba, quam uis uerum eſt, ubi abundauit peccatum illic ſuperabundare gratiam, non tamen hinc ſequi, quod homo ante gratiam gratum facientem, adiutus auxilio dei, non poſſit ſe per opera moraliter bona præparare fauori diuino. Mirum inquit, ſi è ſuo capite loquitur, ac non ex aliqua charta aliunde miſſa uel accepta decerpſerit, libroque ſuo inſeruerit Diatribe. Neque enim uidet, neq; audit, quid ſua uerba ſonent. Euge ut conſtanter ſui ſimilis eſt noſter hyperbolus. Et pergit argutari, Si per legem abundat peccatum, quomodo per opera moraliter bona poteſt homo ſe

præpa

præparare? Quomodo opera prosunt, quum lex non prosit, aut quid est aliud per legem abundare peccatum, quàm opera secundum legem facta esse peccata? Primum Diatriba nullam ibi mentionem legis facit sed Pauli uerbis abutitur ad generalen sententiam, concedens interim illorum interpretationem, qui duplicia recepta exponunt, innocentiam gratia conduplicatam, hoc est non solum condonata peccata, uerum etiam per Christum donatam iusticiam. Nam ibi me non proprie de Iudæis loqui declarat exemplum, quod sequitur de Cornelio Centurione, qui Iudaicæ gentis non erat. Et sæpe fit, ut qui fuerant insigniter peccatores, ueluti gentes idololatræ, publicani, & meretrices, magis illustrent dei gratiam. Id tamen non obstat, quo minus alij se præparent gratiæ iustificanti, quemadmodum legimus de Cornelio. Hoc sensit Diatribe, quæ neque uidet neque audit. Quod autem obijcit de missa charta, utinam tam felix essem, ut eruditorum opera posim in hoc negocio iuuari. Nam ea res cum primis me deterret à scribendo, quod plusquam solus hoc negocium sustinere cogor. Quid uidet aut audit Lutherus? Non prodest lex? Multa sunt igitur mendacia in uno psalmo, Beati immaculati in uia. Rebellibus autem & insanabilibus, non solum non prodest, uerum etiam officit. Quid autem sibi uult ænigma nouum,

opera

opera secundum legem facta esse peccata? Quo nomine igitur donabit contra legem facta? An opera secundum legem fieri possunt absq; gratia? Porrò offensus quod adiunxeram, auxilio diuino, clamat, Disputamus de diuino auxilio, an de libero arbitrio? Quid enim non sit possibile diuino auxilio? Quis ferat hũc disputatorem ad singula uerba conspuentem os contra disserentis? Nam hic quoque Diatriba contemnit causam quam agit, ideo stertit & oscitat. Si Lutherus fideret causæ suæ, quam uult uideri optimam, nõ toties eam interrumperet plusquam scurrilibus conuitijs. Quomodo possumus disputare de libero arbitrio, nisi iuncta mentione gratiæ, per quam & qui cũ operatur? Quomodo disputat Augustinus? An non eodem modo sermonem temperat? Imò hoc ipsum habet Augustinus, quod Diatriba stertens & oscitans loquitur. Facit enim statum quendam medium inter iniusticiam, & perfectam iusticiam, quum homo bonis operibus uelut ambit gratiam iustificantem, & huc ipsum exemplum centurionis adducit, quod hic irridet. Scoti sodales dicunt absque ulla gratia peculiari huc peruenirí, qua sententia mihi liberum est uti si uelim, nec eam damnaui. Augustinus mauult & in hoc transitu adesse gratiam præparantem duntaxat non iustificantem. Proinde quod Lutherus contendit Conuelium fuisse uere iustum ante baptismum & acceptũ

spiritum

spiritum sanctum, cũ Augustino rixetur potius quàm cum Diatriba. Sed ubi legit Lutherus Cornelium iustum ac timentem dei dictum? Acto. 10. dicitur religiosus ac timens deum. Ita citat qui nusquam stertit. Est autem & uana religio, & timor non semper est iunctus charitati. Religiosus ac timens deum erat Paulus dum persequeretur ecclesiam dei. Quis autem dixit Cornelium iustum sine spiritu sancto? Quanquam est & humana iusticia, quæ ad euangelij iubar fit iniusticia. Qui gratiam illi tribuit præparantem, num admit illi spiritum sanctum? Vtrum est absurdius facere iustum sine spiritu, an facere iustum sine Christo? Reuerebatur deũ & orabat. De Christo nihil audierat. Nec Iudæi iustificabantur, nisi fide in Christum. Quid autem sibi uult illa uisio? Cornelium esse uere iustum? An ea uisio ad solum Cornelium pertinet, an potius ad omnes gentes? Itáne omnes gentes significabantur iam esse mundæ, an potius à deo destinatæ ut reciperentur in gratiam euangelicam: Nam Iudæi uocant immundum, non quod est inquinatum peccato, sed quod ducunt abominandum, ueluti cibum uetitum appellant immundum, & quod tangere nefas est, uocãt immundum, & mulierem in menstruo profluuio uocant immundam, etiãsi pia sit. Nónne pulchre hæc cõfutauit Lutherus, etiãsi nulla intercederet Augustini autoritas?

Multa

185 Multa sciens prætereo, ne nullus sit disputandi finis, seu rixandi potius. Ventum est ad eum locum, Omnis caro fœnum, & cætera. Hic iterum conspuitur Hieronymus, ac declamatur locus communis de tædio, quum ipse postulet à nobis, ut bono stomacho deuoremus tam impotentes scripturarum torturas, tot paradoxa lemmata, tot parerga, tot ecbases, tot sannas, tot conuicia, quibus intolerabilis est etiam suis applausoribus. Sed ad fœnum redeamus, auditurisophistam nugacissime nugantem. Hieronymus interpretatur carnem infirmam hominis conditionem, spiritum indignationem diuinam. Hæc uere dixit Diatribe. Nunc audi sophistam mire facetum. Nihil ne inquit, igitur aliud habet indignatio diuina, quod exiccet, quàm miseram illam & infirmam hominis conditionẽ, quã potius debebat erigere? Vbi sunt hic applausores huius fabulæ. Nónne lepide, lauteq; noster miles? Dissimulat quod addidit Diatriba, qui nihil ualet aduersus deum, significans hominem naturæ dotibus inflatum erigere se aduersus deum, & hanc elationem exiccat dei uirtus, quemadmodum auster exiccat fœnum aut flores. An non hoc eximie facetum? Manedum addit quiddam facetius. Sed illud inquit pulchrius, flos fœni est gloria quæ nascitur ex felicitate rerum corporalium. Iudæi gloriabantur templo

templo, circunciſione, uictimis, Græci ſapientia: igi
tur flos fœni, & gloria carnis eſt iuſticia operum,
& ſapientia mundi. Quomodo igitur iuſtitia & ſa/
pientia dicuntur res corporales apud Diatriben? Ha
bes alteram facetiã. Sed interim cõiungit meam opi
nionem cum recitatione Hieronymianæ. Hactenus re
cenſeo Hieronymianam, Siquidem hoc loco ſpiritum
accipit Hieronymus pro indignatione diuina, car/
nem pro infirma hominis conditione, quæ nihil ualet
aduerſus deum, florem pro gloria quæ naſcitur ex fe
licitate rerũ corporaliũ. Huic Hieronymianæ ſenten
tiæ adijcio meam illi finitimam, de fiducia uictima/
rum & philoſophiæ. Quod autem Hieronymus ſen
tit de corporalibus bonis declarant illius uerba quæ
ſunt, Et re uera ſi quis carnis fragilitatem aſpiciat,
& quod per horarum momenta creſcimus atque de/
creſcimus, & cætera. Ac mox, Quod dudum in/
fans, ſubito puer, qui puer repente iuuenis, & cæte/
ra his conſimilia. Quibus Diatriba adijcit quiddam
altius, nec pugnans cũ his, nec omnino idem, ſed gra
du diſtans potius quàm genere. Quis enim neſcit Iu/
dæorũ obſeruationes eſſe corporales, & iuſticiã hine
natam eſſe carnalẽ? Talis eſt et philoſophorũ fiducia,
quæ nititur humanis rationibus ignara ſpũs cœleſtis.
Hic quo ſit locus calũniæ, tẽplũ, præputiũ et uictimas

uertit

uertit in iusticiã operũ, & indignatur hãc iusticiam ac mundi sapientiam dici corporalem, etiamsi hoc non dixi, quum ipse fateatur totum hominem, & qđ in eo est maxime spirituale, nil nisi carnem esse, quum Paulus toties appellet sapientiam carnis, humanam sapientiam, & iusticiam carnis, obseruationem rerum corporalium, Romanorum octauo. Sapientia inquit, carnis inimica est deo, Et secũda ad Corinthios primo: Non in sapientia carnali, sed in gratia dei conuersati sumus in hoc mundo. Hanc sapientiam aliâs uocat sapientiam huius mundi: Et Iacobus uocat animalem, distinguens à spirituali. Et iusticiarum carnis meminit scribens ad Hebræos. Reliqua sunt insulsiora, quàm ut uel referenda sint. Nunc audiamus doctorem hyperbolicum, Fœnum est populus, flos fœni est gloria populi. Quum confert populum deo, hoc est totum genus humanum, nónne significat infirmos, & imbecilles, frustráque gloriantes aduersus deum? Dic sophista, Quid interest inter infirmam hominis conditionem, & hominem infirmum? Verum ne nugis huiusmodi teramus tempus, donemus uniuersos homines esse fœnum siue gramen, huius florem esse, quicquid adest homini naturæ uiribus, quid efficiet? Impium igitur affectum esse quicquid est in homine, Nam hoc negat Diatribe, nec tamen suggillat Philippum, quem non nominat, & si suggillaret,

ret, quid erat periculi? Non est phas à Philippo dissentire? Vide tamen quàm hoc ipsum uerbis modestis significo, Si quis contendat, id quod in hominis natura præstantißimum est, nihil aliud quàm carnem, id est affectum impium esse, huic facile assentiar, si id quod asseuerat scripturæ sacræ testimonijs doceat. Atque id quidem tam modeste, suppresso etiam nomine dictum, ferre non potuit Lutheri stomachus, adeo gloriatur quod illud ingenium sibi δεδοῦλωκεν, qua de re plurimi non mediocriter idque non sine causa dolent. Vtinam felicem illam indolem optimis disciplinis natam non inuoluisset suæ tragœdiæ. Assentior quod est in homine præstantißimum, exaresceresi contendat cum uerbo dei, cui si se submittat, efflorescet in uitam æternam. Et Petrus explicat prophetæ sermonem esse parabolicum, sic referens, omnis caro ut fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni. Nec tam interpretatur de quibuslibet hominis partibus, quàm de corruptis affectibus. Præcedit enim, animas uestras castificantes in obedientia charitatis. Et sequitur. Deponentes igitur omnem maliciam & omnem dolum, & cætera. Si Lutherus misotropos gaudet quàm minimum à simplicibus uerbis discedere, approbare debet hunc sensum. Omnis caro, id est, omnis homo nondum renatus cœlitus, est fœnum, id est, res terrena, uilis, momentaneaq;, exa-

ruit gramen, afflatu diuini spiritus, uel immisso morbo, uel senio, uel alia calamitate, aut si Lutherus patitur, uidicta: neq; enim hic urgebo aheneam regulam, qua nos docuit, spiritus uocabulum quoties confertur ad deum, sonare benignitatem, nisi forte dei benignitas exiccat hominem. Arefacto gramine, flos id est gloria si qua est leuis & momentanea, decidit. Verum si gramen hoc inseratur Christo, fit arbor frugifera, nunquam marcescens, eo quod uerbum domini manet inæternum. Indicat hoc Petrus quum ait, Renati non ex semine mortali, sed ex immortali per uerbum dei uiui & permanentis in æternum. Et huius arboris fructus attigerat ante, puritatem, obedientiam, charitatem, fraternum amorem, cordis simplicitatem. Quis igitur ferat eos, qui carnis uocabulum tribuunt homini quamlibet per gratiam purificato, & carnem interpretantur impium affectum. Taceo de uirgine matre, quam credimus ab omni carnis affectu fuisse immunẽ, de prophetis, de Iohanne Baptista, arbitror & hodie uiuere quàm plurimos qui carent impio affectu. Aliud enim est odisse deum, aliud minus quàm oportet amare deum: illud impietatis est, hoc infirmitatis humanæ. Iam ut demus hic aliquem locum peccato originis, & ex hoc relictæ ad malum pronitati, aut naturæ incommodis, certe Petrus mali graminis

fructus

fructus commemorat, iubens abijcere omnem mali-
ciam, dolum, simulationes, inuidiam ac detractio-
nem. His uicijs ut maxima pars hominum ante gra-
tiam fuit inquinata, ita non arbitror omnes æque fu
isse corruptos. Alioqui si omnis homo habet impi-
um affectum, habebat & is qui hæc uociferatur im-
pium affectum. Dicet se sentire hominem spiritu ua-
cuum. Imò docet nos in hoc libro cui respondeo, in nõ
renatis impune regnare satanam, in renatis esse re-
gnum satanæ sub regno spiritus, eo quod caro eti-
am in sanctis concupiscit aduersus spiritum. Sic a-
ro sonat impium affectum, & impietas est contu-
melia in deum, nónne sequitur & in renatis esse impi
um affectum? Quod si pronitas ad peccandum est im-
pietas, pietas erit propensio ad bene agendum. Pone
mus igitur & in adultis non baptizatis pietatem, eo
quod habent natiuam propensionem indolis ad uirtu
tem. Nã quod gentes colebant Iouẽ quem optimũ ma
ximũq; uocabãt, ex insitis à natura religionis semina
rijs proficiscebatur, licet errarent in delectu pson æ,
rituq; colẽdi. Proinde caro quoties absq; tropo sumi
tur significat eã corporis partem quæ mollior conue
stit ossa neruosq;, per synecdochen accipitur pro to-
to corpore, ita dicũtur in carne uiuere, qui supersunt
corpore. Rursum per synecdochen sumitur pro to-
to homine, & uidebit omnis caro salutare dei.

Et, uerbum caro factum est, Item hoc loco, omnis ca-
ro fœnum. Eadem autem figura Hebræi carnem ap-
pellant hominem, qua Latini pro hominibus dicunt
mortales, & scriptura pro omnibus hominibus dicit
omni creaturæ. Nã abusus generis pro specie addit
epitasim oratiõi. Interdũ sonat imbecillitatem aut af-
fectum humanum, qui nonnunquam mere naturalis
est, nonnunquam ad uitium inclinat, sed nec omne ui-
cium impietas est, nec omnis ad impietatem procliui-
tas, dici potest impietas. Habes inquit, scripturam
quam exigis. Quam? Esaias magna uoce clamat po-
pulum spiritu domini uacuum, carnem esse. Audio.
Sed impium affectum omnibus adesse non audio, nec
audio spiritu uacuum. Iam enim præcesserat, pec-
cata illius esse condonata. Imò propheta nihil exci-
pit, sed carnis uocabulo signat hominem, & hanc sen-
tentiam in uniuersos homines pronunciat, eos nihil
esse collatos ad deum, ut mox docebimus. At ipse ne-
go quod profiteor. Quid profiteor? Philosophorum
gloriam esse florem fœni. Quid ni? Carnalis est illo-
rum sapientia, non mirum si gloria similis est flori
graminis, si conferatur cum uerbo dei. Quare car-
nalis? Quia animalis, insyncera, in plerisque corru-
pta malis affectibus. Et tamen in his corruptis est sum-
ma quædam animi pars, quæ ipsos redarguit, eam
appello τὸ ἡγεμονικόν, id est principalem. Paulus au-
tem diui-

tem diuidit hominem in treis partes, corpus, animam & ſpiritum: ſpiritum appellans quod philoſophi dicunt τὸ ἡγεμονικὸν. Conſtat autem in ſcripturis carnis uocabulum, uarijs uſurpari modis, ut modo demonſtrauimus. Hæc obiter attigit Diatribe, ut excluderet totum hominem nihil aliud eſſe quàm carnem, etiam poſt acceptam gratiam. Quid porrò faciit aduerſum me Ioannes? Dicit homines ex deo natos fieri filios dei, dicit quod natum eſt ex carne carnem eſſe, quod ex ſpiritu natum eſt, ſpiritum eſſe: & Paulus diſtinguit hominem carnalem à ſpirituali, & in Chriſto renatos appellat nouam creaturam. Quur hæc refert Diatribe? Nimirum ut refellat improbum dogma, hominem etiam poſt gratiam nihil aliud eſſe quàm carnem, hoc eſt impij affectus. Nec ſtatim fateor principalem hominis partem eſſe carnem, ſi plurimi gloria cæteriſq; cupiditatibus corrupti dilexerunt ea quæ carnis ſunt. Sed Iohannes diuidit hominem in duas partes, in carnem & ſpiritum, imò uertit totum hominem à carne in ſpiritum. Alioqui quid eſt renaſci, aut fieri nouam creaturam? Et Lutherus committit duo regna Chriſti & Belial. Verum hæc omnia quum tropo dicta ſint, non magnopere urgent in ſeria quæſtione, quum allegoria plærunq; ſit incerta, nec undiquaque congruat. Verum ubi eſt ille ſpiritus in homine qui non ſapit carnem, quum Lu-

therus doceat totum hominem etiam post datam grætiam iustificantem, nihil adhuc aliud esse quàm carnem, nec aliud posse quàm peccare, adeo ut quum deus non aliter operetur in illo, quàm faber in officina materiaúe, tamen non posit ullum opus bonum facere. Sed quod ex spiritu natum non est, caro est, fateor, Ergo nihil aliud quàm caro, ergo totus impius? Non assentior. Si concedit carnem sonare quiddam imperfectum & ad malum procliue, fatebor totum hominem esse carnem, non quod omnes hominis affectus sint uicioſi, sed quod nulla pars sit hominis quæ non egeat auxilio gratiæ, uidelicet, ratio, uoluntas, memoria, appetitus sensitiuus. Non tamen ilico quicquid ratio percipit, error est, nec quicquid uoluntas eligit, impietas est, nec quicquid horret appetitúe uis sensibilis, crimen est.

187 Hic expatiatur rursus in locum communem, debacchãs in me simul & omnes quos hic locus non cõuincit, ut fateantur nullum esse liberum arb. ac nobis impingit dißimulationem uafram, qui fingamus nos uelle doceri per scripturas, quũ nihil uelimus minus. Obsecro qua de re postulauit edoceri Diatribe? Num an homo nondum renatus sit caro, & renatus an sit spũs? Imò hæc & his similia loca pduxit aduersus Luthe. dogma, quo docet hominẽ q̃uis renatũ nihil aliud q̃ peccare. Verba Diatribes sic habent: Si totus homo etiam

etiam renatus per fidem, nihil aliud est q̃ caro, & caro sonat ut ipse uult peccatum, ubi spiritus è spiritu natus, ubi filius dei, ubi noua creatura? Super his doceri uelim. Quæ tandem est in his uerbis dissimulatio. An mihi persuasam existimat sententiam tam absurdam, in qua sibi non constat ipse, nonnunquam dicens populum sine spiritu carnem esse, id est impij affectus, interdum asseuerans hominem quantumuis iustificatum nihil aliud q̃ carnem esse, nec aliud posse uelle quàm peccare. Si caro peccat, & spiritus carni cohærens, quid est illud in homine renato quod dicitur spiritus? Si non est pars hominis, quomodo dicitur homo renatus? Hoc erat quod Diatriba cupiebat doceri testimonio scripturarum. Proinde quis hic erat locus his quæ declamat aduersus Iudæos, negantes probari scripturis, quæ Christus & Apostoli, & tota ecclesia docuerũt, aduersus hæreticos, qui nihil doceri possũt, aduersus papistas sophistas et Arrianos, Proteos, & Vertumnos, aduersus eos, qui relicto quod est in manibus disserunt de bello Troiano, nisi quod huiusmodi conuicijs saginatur.

Vrget, quod negaui τὸ ἡγεμονικὸν esse carnem 188
Etiamnum nego hoc quidem sensu quo Lutherus carnem appellat. Atqui hoc quod anxie probat, ego pro pemodũ cõcesserã. Quod urgebã nõ probat, sed tãtũ asseuerat. Verũ paßis uelis ĩuehitur ĩ philosop. q nec

deum nouerint, mentiente Paulo, qui scribit contrarium, nec ullum habuerint ad honesta nixum quum tam multa sanctißima præcepta tradiderint, solam turpitudinẽ esse malũ, solam uirtutem esse bonũ, nõ esse boni uiri iniuriã iniuria pensare, honestũ propter se expetendũ, quique de natura dei, de præmijs ac pœnis piorum & impiorum tã multa prodiderunt Christianorum dogmatibus consentanea. Hic rursum nihil credo, & accersitur Lucianus ἄθεος. Quis hæc non rideat? Erasmus cum orthodoxis, cum ecclesia, cum sacris ecclesiæ doctoribus, si non magnifice, certe simpliciter sentiens, nihil credit et ἄθεος est, & Lutherus intelligit ac reueretur scripturas, quas sic torquet ad improbata dogmata. Exigit à me quis præstiterit quicquam horum quæ proposui. Aut si præstiterunt, gloriæ causa præstiterunt. Certe in Socratem nulla unquam gloriæ cecidit suspitio, nec in Epictetum, nec in Aristidem nec in Catonem Vticensem. Et fieri potest, ut alij fuerint Socrate cæterisque quos recensui meliores. Verum ne simus prolixiores, fingamus neminem præstitisse, quod ego non sumpseram, hoc ipsum tamen uidere, quid sit expetendum, deque eo tam accurate non sine affectu scribere, id quod fecit Seneca, declarat in illis aliquam fuisse tum cognitionem, tum propensionem ad honesta. Quod si caro est procliuitas ad turpitudinem, certe hæc animi

pars

pars qua ista perspiciebant, et expetenda iudicabant, & aliqua ex parte expetebant, caro dici non poterat. Quanquam non patiar ullas philosophorum dotes conferri cum dotibus spiritus Christiani. Vt tamen hoc ipsum boni quod erat in philosophis dei donum erat, dicente Paulo. Deus enim illis reuelauit, & fortasse nonnullis haud deerat gratia peculiaris ad iusticiam. Romani inquit, gloriæ causa gerebant, si quid recte gerebant. In M. Antonino philosopho, nulla erat gloriæ suspitio, ne in Aristide quidem ut modo dictum est, aut Phocione, aut Epaminonda, aut Catone Vticensi, aut Bruto. Sed esto, non caruerunt omnino cupidine laudis. Ea res non officit uirtuti. Nónne Theologi probant eiusdem actionis honestæ, duos fines, alterum principalem, alterum secundarium, ueluti dum concionator salario conductus, suscipit assiduos labores in docendo populo. Si quis hos fines inuertit, is peccat. Iam potest quis laudem cum laude petere. Quod genus sit, si pastor integritate uitæ factis ac dictis comparare sibi studeat bonam opinionem, gratiam & autoritatem apud homines, non ob aliud nisi ut maiore fructu fungatur suo munere. Sic arbitror multos ethnicos multa præclara gessisse tum priuatim tum publice, primum quia iudicabant hoc esse honestum, eadem facturi, etiamsi nullæ statuæ tituliue cõtigissent, & huc

tamen spectasse, quo simul & suis relinquerēt domesti-
ca uirtutum exempla, & alios ad æmulationem re-
cte factorum prouocarent. Iam qui docuerunt, archetypum omnis honesti proficisci à mente dei, quem quocunque nomine, summum bonum, & omnium bonorum parentem intelligebant, dum fatentur honestum propter se expetendum, utique deo benefactorum gloriam tribuebant, non sibi uindicabant. Verum facile patiemur, illū debacchari in philosophos, nisi eadem prædicaret de ijs qui per spiritum renati sunt. Id ni est quomodo peccat, etiam quum quod est optimum facit? Imò quum peccatum sit quicquid in illo agit spiritus iustificans, & peccatum capitale ni succurreret dei misericordia? Velim igitur & illud nobis expediat Lutherus, qui cohæreant inter se se, quæ docet, nullum omnino bonum esse opus hominis, sed iustum in omni opere quantumuis bono peccare, & hominem per spiritum renatum implere omnia præcepta dei, atque adeo nihil non posse. Nam hoc posterius tradit in hoc libro, ridens Diatriben, quæ sola nescierit, quod omnibus esset notissimum.

189 Nec erat opus nobis explicare tropum, quo caro dicitur carnalis, & spiritus spiritualis. Carnalem imperfectum & infirmum dici nōnunquam constat,

stat, ut iam docuimus apostolorum testimonio & Corinthiorum exemplo. Lutherus tamen asseuerat, impium dici, quisquis sine spiritu dei fuerit. Nam ideo dicit scriptura donari spiritum, ut impium iustificet. Ergo quum apostoli die pentecostes acciperent spiritum sanctum, ex impijs fiebant iusti? Sed ante insufflauerat illis spiritum, & priusquam id quoque faceret, dicebat illos mundos propter sermonem quem audierant. Sunt igitur iusticiæ gradus & uarijs modis agit in homine spiritus. Sed Lutherus nusquam recedit ab extremis. Quod si spiritus excludit carnem, uelut ignis aquam, redditque hominem spiritualem, quomodo spiritus fit iustificatus homo, quum nihil adhuc aliud sit, quàm caro, adeo ut non possit non odisse deum, ac proximum, nec breuiter aliud quàm peccare? Si totus homo nondum iustificatus caro est, hoc est impius, igitur totus homo renatus spiritus erit, & nihil habebit impietatis, id quod negant Lutheri dogmata. Sed caro regnum dei uidere nõ potest. Si carnem accipis pro impio, fateor: si pro crasso & imperfecto, nego. Apostoli carnales erãt, et tamen in Iudaismo probi. Si Christus multo post fuisset natus, fuissent ne illi alieni à regno dei? Non arbitror, & tales erant plerique Iudæi, quos tamen dei benignitas recepit ad uitam æternam. Idẽ sentiendum opinor de

nor de discipulis quos Paulus repperit Ephesi baptizatos baptismo Ioannis, iussosque credere in Iesum, quum omnino nescirent esset ne spiritus sanctus. Nos si nemo docuisset ulterius, simplicem illorum fidem arbitror deum boni consulturum fuisse. Verum Christus aduenies attulit sublimiorem quandam doctrinam, quam homines uel occupati prauis affectibus, uel rudes quidem, sed nondum illustrati dono fidei, non capiebant, euangelicam enim doctrinam appellat regnum dei. Atque ut tales homines crassos, qualis fortasis erat Nicodemus, carnales dici patiar, Ita sub regno Satanæ esse negarim. Est ne igitur inquit, medium aliquid inter regnum Satanæ & regnum dei? Quid ni? Quandoquidem satanas regnat in egregie malis, spiritus regnat in perfectis, In medio sunt, nutantes, incipientes, ac ad defectionem spectantes. Alioqui si regnat satanas ubicunque peccatum est, Ioannes Euangelista de pijs loquens, negat quenquam immunem esse à peccato. Et à doctis annotatum est, quod Paulus non dixerit, ne sit peccatum in uestro mortali corpore, sed ne regnet peccatum.

190 Nondum statui utrum ineptior aduersarius, qui nugis huiusmodi perdit & suum & aliorum ocium, an ego stultior, qui tales nænias digner responsione. Audi plusquam sophisticum nugamentum. Donat Diatriba non omnem affectum hominis esse carnem, id est

est impium, sed exigit ut fateamur huic diuersam partem, quam rationem appellant philosophi, ipse spiritum uocat, esse sanam & honestam. Verum hinc ô quanta inquit, malorum tragœdia nascitur, ut uilem faciamus Christi sanguinem, quo tantum infima pars hominis sit redempta, summa pars per se ualeat, nec opus habeat redẽptore, ut Christum inquit, deinceps prædicemus redemptorem, non totius hominis, sed partis uilissimæ scilicet carnis, hominem uero ipsum met sui redemptorem in potiore sui parte, & cætera his affinia. Quis non malit audire rudentem asinum, quam hunc disputantem, si tamen hoc disputare est? Quis dixit rationem simpliciter esse sanam & honestam? At negaui hac parte cunctos homines totos esse impios. Alioqui per errorem sæpe perperam iudicat ratio. Non enim assuetudine uiciorum sic obruta est, ut uideatur prorsus extincta, quod accidit his quos deus tradidit in reprobum sensum. An non hæc in initio disseruit & hoc ipso loco dicit, nónne interiecit his hæc uerba Diatribe, Quanq̃ sæpe corrupta ratio male iudicat, nec caligat solum, uerumetiam frequenter est imbecillior, quàm ut possit imperare cupiditatibus, & uidens meliora, sequitur deteriora. Hæc surdo Luthero cecinit Diatriba. Quantulũ autem hoc bonum quod habet humana ratio, si conferatur ad Christi spiritũ? sed Lutherus non nouit aliã

ratio/

rationem exaggerandi redemptoris gloriam, nisi ex homine faciat satanã, aut si quid est satana magis impium: nec meminit hoc ipsum quod in homine residet boni esse donum Christi, cuius tanta est benignitas, ut ingratis etiã et impijs non inuideat sua munera. Abũde multum homo debet redemptori, per quem liberatur à gehenna, per quem illustratur lumine fidei, accenditur igne charitatis, trãsformatur in filiũ dei, Hoc quod repperit boni perficit, non extinguit, & naturam absoluit, non destruit, quod sopitum est excitans, quod deprauatum est corrigens, quod diminutũ est explens. Si ratio pugnat cum affectibus, ad inhonesta procliuibus, necesse est ut aliquousque prospiciat probetq; quod sit honestum. Hanc partem scholastici haud scio unde hausto uocabulo syndieresim appellãt, quæ manet etiã in sceleratissimis. Vnde alioqui, quod qui nondũ uenerunt in profundum malorũ, ut exultẽt in rebus pessimis, sic sibi displicent admisso flagitio? Vnde rubor in adolescentibus deprehensis? Vnde sensus ille uoluptatis in eo qui seruauit periturum, aut insigni quopiam beneficio iuuit proximum? Hæc eminent litteris prodita sunt & ab Ethnicis, hodieq; in se sentiunt etiam mũdo dediti homines. In comœdia displicet sibi Phædria ratione pugnans cũ morbo suo, in hunc loquens modũ, Viuens, sciens, prudensq; pereo. Eijciẽda est hæc mollicies animo, Nimis mihi indulgeo. Au-

dis

dis scintillã rationis. Itẽ in tragœdijs quũ Medea aut Procne parat iugulare liberos, aliud loquitur naturæ pietas, aliud ira. Quibus aũt uerbis Myrrha & Byblis aduersus incestas animi flammas litigant? Quod idem uidemus in Didone, in qua ratio dicit: Sed mihi uel tellus optẽ prius ima dehiscat, &c, Ante pudor q̃ te uiolem & tua iura resoluam. Hæc apud poetas tã multa reperiuntur, qui penitißime nouerunt, ac scitißsime depinxerunt affectus hominis. Vnde in Ethnicorum theatris illi fauentes applausus & acclamationes, quoties repræsentatur exẽplum, aut pnunciatur sententia, declarãs insignem pietatem in parentes aut patriam, pudicitiam inexpugnabile, fidem incorruptam. Vnde tumultus in illũ qui uersibus aliquot prædicabat aurum, ut explodendus fuerit histrio, nisi poeta assurgens commonuisset populum, ut expectaret, quem exitum habiturus esset ille auri admirator. Dices, facile est applaudere aut obsibilare. Sed unde lachrymæ, quas uiris etiam excutiunt insignia uirtutum exempla? An non ista declarant homini penitus insita uirtutum semina, quæ per occasionem mota uim suam exerunt? Huc spectat illud Platonis ænigma, de animabus è cœlo in corpora delapsis, quæ per sensibiles pulcri imagines, ad illius summæ pulcritudinis recordationem expergiscuntur. Et si Peripateticis credimus, affectus quos Stoici morbos

appellãt,

appellant, in hoc dati sunt à natura, ut in his in quibus nondum absoluta est ratio, stimuli sint ad uirtutẽ, uelut ira calcar addit ad fortitudinem ac iustitiam, inuidia ad æmulationem rectè factorum, misericordia ad subueniendum oppressis, charitas erga liberos ad liberalem educationem. Quid igitur est illud quod excitatum adeo gliscit, nisi summa rationis pars penitus insita cunctis hominibus? Hæc scintilla manet etiam in deprauatissimis. Optat Balaam exitum Israhelitarũ, Iudas agnoscit admissum prodito domino, ac de se sumit pœnas, In tanta impietate uiuebat adhuc naturæ ratio. Est igitur aliquid in homine, quod non omnino careat sensu honesti. Nunc mihi uide Lutheranas hyperbolas, atq; etiam technas. Diatriba primum agens de philosophis, hoc est, ethnicis, docet rationi, hoc est, animæ parti principali, inesse nixus quosdam ad honesta. Cæterum quod philosophi uocant rationẽ siue τὸ ἡγεμονικὸν, Paulus appellat spiritum, & quod illi uocant πάθη siue morbos, Paulus appellat carnem, medios affectus, hoc est mere naturales appellat animam 1. Thess. 5. ut integer spiritus uester, & anima & corpus sine querela, &c. Spiritus amat quæ deo grata nouit, Caro quærit uindictã, uoluptates & honores huius mundi, Anima in medio posita utrocunq; se flectit, in hoc uertitur, cui semet applicuit. Diligere uxorem, curare liberos, est

nobis

nobis cum brutis quoq; commune non modo cum ethnicis. Si hunc affectum temperamus ex uolũtate dei, fit spiritus. Si charitate uxoris aut liberorum negligimus præcepta dei, fit caro. Hæc Lutherus commiscuit. Neq; enim philosophi uocant summam animi partem spiritum, sed mentem aut rationem. Neq; Paulus appellat quamuis rationem spiritum, sed eã quæ iam afflata est gratia. Quotics enim de malis loquitur scriptura, spiritum accipit pro carnis affectu. Habes technam, Nunc hyperbolas accipe. Diatribe dixit etiam in ethnicis inesse nisum quendam ad honesta, iste interpretatur in ethnicis esse partem, quæ tota sana sit, nec egeat redemptore, quasi nixus hic naturæ sit absolutus, posítque quicquid alioqui præstat gratia Christi, ut homo supra Christum ac diabolum extollatur, hoc est, fiat deus deorum & dominus dominantium. Huiusmodi portenta nobis gignit suis hyperbolis. Nam si ratio per peccatũ originis obscurata, perspicit tamen adhuc aliquid ceu per nebulam, & nonnullos habet nisus, licet inefficaces, ad honesta: deinde cupiditatibus aggrauata, plerunq; succumbere cogitur, protinus tota hominis ratio non eget Christo? Hæc à me disserta in initio dissimulat. Insunt hominis menti semina uirtutum licet corrupta, ergõ ne tota hominis mens undique sana est, perspicax, libera, omnipotens ad iudicandũ, eligendum,

efficiendum quicquid uelit? Talib. enthymematibus uincit Lutherus. Et ubi est probabilis, inquit, opinio, liberum arbitrium nihil posse uelle bonum? Nihil hic diuersum adfero, Tota Diatriba sequor opinionem illorum, qui dicunt uoluntatem hominis inefficacem esse ad consequendam salutem absque gratia. Idem nunc fateor nisum ad honesta, seminaq; uirtutum in homine relicta, egere auxilio gratiæ diuinæ. Quam quam illa ipsa semina manant à dono dei, unde est totus homo. Sat nunc & tragicis uocibus intonet Lymphato similis. Et adijcit quiddam ridiculum. Hoc dico, inquit, ut iterum uideas, quanti periculi res sit, sacra ac diuina tentare sine spiritu dei, temeritate rationis humanæ. Omnes Ecclesiæ doctores temeritate rationis humanæ feruntur, Lutherus agitur spiritu dei. Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri. Post hæc tam nugalia triumphat, Igitur, inquit, si Christus est agnus dei, qui tollit peccata mundi, mundum totum sub peccato, damnatione, & diabolo esse sequitur, nihilque prodest distinctio partium principalium & non principalium. Mundus enim significat homines mundana sapientes partibus omnibus. Quid hic aliud quàm fortiter asseuerat? Fatemur in hominibus huius mundi, nihil esse quod non egeat gratia, sed impium esse quicquid homo uult, aut agit naturæ uiribus fortiter negamus. Quicquid autem

autem impium est, mortiferum est: at non quicquid mortuum est, statim & mortiferum est. Fatemur & illud, hominem nihil habere puri, si ad dei puritatem conferas, nihil sapere, nihil posse, nihil esse. Hac professione contenta est Ecclesia, quæ Luthero non est satis.

Is quo uehementer attolleret gratiæ magnitudi- 191
nem, ex homine propemodum fecit satanam, non alia arte, q̃ qua pictores imperiti quo lucem addant quibusdam, adiungunt in proximo umbram, non intelligens interim, quod dum hac exaggerat dei gratiam, altera ex parte eleuat. Nam & quicquid in homine residet ex natura condita, residunt autem magnificæ dotes, id quod tot disciplinarum inuẽtio perfectioq;, tot rerum pulcerrime gestarum exempla, tot de recte uiuendo præcepta docent, diuinæ benignitatis est. Quum igitur hominem nondum renatum totum faciat carnem, hoc est impium, sequitur ut renatus ex spiritu, totus fiat spiritus. Nunc Lutherus etiam renatum nihil aliud propemodum facit, q̃ carnem. Super hac re Diatribam postulantem doceri, qui fiat, ut qui spiritus natus sit ex spiritu, etiam num maneat caro, satis procaciter deridet, negans hoc in ipsius dogmatibus inueniri. Atqui quum docet quamlibet iustum in omni opere quamlibet bono nihil aliud q̃ peccare, & quidem damnabiliter, nisi misericordia crimen uertet in

ret in uenialem culpam, nónne docet hominem etiam renatum, hoc est iustum, nihil aliud esse q̃ carnẽ, semper peccantem, et adeo carnem, ut spiritus sanctus in eo operans, nihil aliud efficere posit, q̃ peccatum, ob materiæ maliciam. Veluti peritus faber mala securi facit malum opus, aut ex putri materia uas inutile. Itaq; quod attinet ad ipsum hominem quamuis renatum, totus est caro, nec aliud q̃ peccat. Vnde sequitur, totum esse carnem, & in eodem homine regnare spiritum & satanam, sed satanam esse superiorem, per quem non licet spiritui per suum organum quicquam boni operis facere. Quid quod idem propemodum fatetur hoc ipso loco, loquens hunc in modum, Deinde renatum non amplius carnem esse dicimus, q̃ secundum reliquias carnis, quæ aduersantur primitijs acceptis spiritus. Si reliquiæ tantum ualent etiam post accepto spiritum, ut homo in opere quantumuis bono, totis uiribus adlaborans ut bene faciat, peccet, etiam capitaliter quod quidem in ipso est, nónne fatetur totum hominem nil nisi carnem esse? Quæ sunt fructus carnis, nisi peccata? Quid igitur aliud est quàm caro, unde præter peccata nihil proficiscitur? Nũc & obijciat nobis uel profundam rerum ignorantiam, uel pondere rerum sic pressum & confusum animum, ut parum meminerit, quid uel pro me, uel aduersus istos loquatur. Et hæc nobis ingerit, qui toties

ipse

ipse sui oblitus secum pugnat in scriptis suis, nonnunq̃ & in eodem articulo, quod à tam multis ostensum eti am æditis libris, perquam facete dißimulat, & ocio/ sis salibus ludit in alios. Iam & illud male habet ho/ minem, quod in Diatriba testatus sum me ueterum au toritate uelle abuti, ut credam insita mortalium ani/ mis uirtutum semina, donec aliquis doceat certiorà. Ac uideor illi nullam habere curam religionis, qui credam hominibus. Ita ne qui credit probatis Eccle/ siæ doctoribus, credit hominibus, qui Lutherum ac Vuyclephum sequitur, deum habet ducem? Et quod illi ueteres citant ex scripturis somnium est, quod in/ terpretatur Lutherus oraculum est? Nónne hæc sunt egregie suauis cuiusdam philautiæ? Deinde quum Ec clesiæ religio tot seculis constiterit, adorans & glori ficans Christum principem suum, hic demum in fine seculorum inijciet nobis curam religionis? Sed pri/ usquam ab hoc loco digrediar, admonendus est le/ ctor, quicquid hic dissertum est de carne & spiritu hominis propemodum extra causæ septa dissertum esse. Constat enim apud Esaiam clamantem, Omnis caro fœnum, carnem simpliciter pro homine poni, quemadmodum superius in eodem capite, Et uidebit omnis caro pariter, quod os domini loquutum est: fœ num pro creatura infirma temporariaq̃, quæ nihil ualeat aduersus deũ creatorem, etiamsi totis uiribus

nitatur, potentia, sapientia, falsa religione, magicis artibus. Vnde simul & consolatur populum suum, ne quid metuat idola aut reges gentium, minitantes acerbiora, quasi futuros impedimento, quo minus deus liberet populum suum, modo deum habeãt propicium: nihil enim illas ualituras, si deus nolit: Et deterret gentes, ne frustra deo rebellent, qui condidit ac moderatur nutu omnia, neque fidant suis dijs factitijs, sed illum metuant, qui nutu solo potest uniuersa quamuis fortia in nihilum redigere. Fœni uero florem appellat fiduciã alibi quàm in deo collocatam, Spiritum insufflatum, exertam dei potentiam siue uindictam. Explicat enim mox quod hic per similitudinem dixerat. Et quidẽ neq; satus, neque plantatus, neque radicatus in terra truncus eorum. Repente flauit in eos, & aruerunt, & turbo quasi stipulam auferet eos. In cap. 39. dominus per Esaiã prædixerat futurum, ut opes Ezechiæ regis transferrentur in Babylonem, id factum est, frustra obnitentibus Iudæis. Hic prædicit reditũ ex Babylone, ac templi simul & urbis instaurationem, quã multi sunt impedire conati. Et hoc argumentum perpetuo tenore, multis tractatur capitibus, in quo tamen uaticinium est, de aduentu Christi et ecclesia per eũ innouãda. Sed qd hæc aduersus lib. arbitriũ? Tribuitur inquit, aliquid homini, quo glorietur, Imò tribuitur de quo gratias agat, quando

quando quicquid habet homo, dei munus est. Alioqui potest qui stultus & impius est de cæteris naturæ dotibus gloriari, forma, ualetudine uiribus, ingenio, memoria. Quanq̃ & de his licet & in domino gloriari. Sic autẽ gloriari est illi pro sua largitate gratias agere. Hunc in modũ de libero arbitrio gloriati sunt orthodoxi patres, quiddam in homine relictum à deo, quod uel gratiæ capax esse, uel gratiam emereri queat, non ignorantes interim, totũ hominem esse in manu dei. Quorsum autem attinet tollere liberum arbitrium, ne qua sit materia gloriandi, quum de gratia quoq; possint & soleant homines insolescere. Ad hãc insolentiam uitandam, non erant docendi nullum esse liberum arbitrium, quemadmodũ ingenio felici præditis, non persuademus, nullũ illis esse ingenium, sed monendi potius, liberum arbitriũ esse dei munus, quo nisi recte utantur, imputandum ad damnationẽ æternam. Tuetur locum Hieremiæ 10. Scio domine quo 192
niam non est hominis uia eius, &c. Hic bene habet q̃, citaram Hieronymum, alioqui uapulassem, taxat tamen absq; nomine nescio quem magnæ autoritatis uirum, Et ego tamen audio, Sat est, Erasmus dicit, ergo sic est. Postulat autem ex serie sermonis doceri sensum prophetæ. Id itaq; fiet, si dignabitur auscultare. Ostenderat non esse metuendum à dijs gentium saxeis ac ligneis, ne recederent à cultu dei uiui, quem ha-

ctenus essent professi, hoc certe meliores gentibus, quanquam alioqui uarijs peccatis cõmeruerant iram dei, per quam affligebantur à Babylonijs, & uidebantur maiora imminere mala. Præcipuam autem mali causam fatetur esse pastorum, id est principum impietatem, qui fiduciam suam non posuerant in deo, sed in falsis prophetis, sortilegijs & uiribus suis, Ita factũ, ut et populus afflictus sit. Agnoscens igitur Hieroso/lyma magnitudinẽ culpæ suæ, metuensq; extremum exitium, abijcit eam fiduciam, confugiens ad domini misericordiam, dicens: Scio domine, quoniam non est hominis uia eius, nec est uiri, ut ambulet & dirigat gressus suos, hoc est, non est in manu nostra uel cauere ne incidamus in afflictiones, uel ab ijs ad res prosperas emergere: hoc tibi in manu est domine, qui nosti quid expediat homini. Agnoscimus culpam, nec recusamus ferre manum castigantis, tantum hoc oramus, ut iustam iram tuam misericordia temperes, ne forte ad nihilum redigas nos. Habet glossam non distortam, sed ex ipso sermonis tenore natam. Diuus Hieronymus uidetur hæc uerba ad Babylonios referre, subijciens hoc commentum: quod à Babylonijs sustinemus, non est eorum fortitudinis, sed nostri meriti & indignationis tuæ. Confer lector nostram interpretationem cum 10. cap. uidebis ad unguem quadrare: confer Lutheranam, uidebis uiolentam prorsus ac ferream.

ferream. Verum donans, ut ad rerum lætarum ac tristium euentus pertineat, sic argumentatur, Si euentus rerum temporalium, quarum dominium homini traditum est Gene. 1. non est in manu nostra, quomodo erit in manu nostra res illa cœlestis gratia dei? Atque hic expatiatur in locum communem, proferens etiam Codrum in medium. Vt rem in pauca conferam, Non hic tantum spectatur magnitudo rei, sed ratio. Ab externis euentibus non pendet salus hominis, imò tristia sæpenumero sunt utiliora iucundis, secus est de his, unde pendet æterna salus hominis. Multos innocentes diseruciatos & occisos legimus ita uolente deo, sed immeritos cõijci in gehennã ab uno Luthero didicimus. Ad hæc hominum conatus aliorsum exisse, q̃ illi destinarãt crebro legimus in scripturis, ueluti de Ioseph & Pharaone, de Iudæis conantibus abolere nomẽ Iesu, sed in ijsdem legimus accusari uoluntatẽ impiorum, sua sponte pereuntiũ, necessitatem Lutheranã non legimus. Quis aũt dixit, dei gratiam esse in manu nostra? Ipse dispensator est suorum munerũ, ut ait Paulus, distribuit cuiq; pro ut uult, sed eam dicimus esse domini bonitatẽ erga genus humanũ, ut nulli uelit deesse gratiã suã, modo ne auersetur ipse. Atq; hoc ipsum qd homo potest naturæ uiribus gratia est. Vt omnia disputator hic trahit ad hypbolas, Homo potest consequi gratiam, si per liberum arbit.

se præbeat pulsanti gratiæ. Ergo inquit, dei gratiam habet in manu. Imò ergo deus benignus est ac iustus, nec dãnat nisi commeritũ. Similis hyperboles est illud, Miror inquit, Diatriben, quæ illud Vuyclephi, omnia necessario fieri, adeo persequuta hactenus, nũc ipsamet concedit euenta esse necessaria nobis. Quantum tædij disputare cum huiusmodi spermologo. Si quis ingurgitet se multo mero, huic in manu est, ut inebrietur. Si quis pfundat sua, huic in manu est ut egeat. Verum negaui semper euenire quod homo desti/nauit, & iste colligit nihil euenire. Sed finge in hoc rerũ genere nullũ esse nostrũ arbitriũ, qd hoc ad præsens argumentũ, à quo rerum euenta separauimus?

195 Diuus Hieronymus ex hoc Hieremiæ loco reijcit eos, qui cum Pelagio sentiebant. Erubescant, inquit, noui prædicatores, qui aiunt unumquenque suo arbitrio regi. Ergo donauimus quidem, ut prophetæ uerba interpretemur de libero arbitrio, negantes tamen hinc probari necessitatem, quum id nemo non fateatur, hominem absque dei gratia non posse tenere rectum uitæ cursum. Nam & oramus quotidie, Dirige domine deus meus in cõspectu tuo uiam meam, nihilo secius tamẽ annitimur interim & ipsi pro uiribus. Oramus, Inclina cor meũ deus in testimonia tua. Qui petit auxiliũ, nõ deponit conatũ. Hic quũ Luthe/rus simpliciter non intelligat quid agat Diatriba, tamen

tamen ualde ſcurriliter geſticulatur. Obſecro inquit, an nos irridet, an ludificatur papiſtas? Non eſt mirũ hominem ſic ineptire, ſed ineptijs huiuſmodi nũquam ſatiari mirum eſt. Diatriba ſentit illic de homine iam illuminato, qui nõ poteſt tenere rectum uitæ curſum, niſi auxilio gratiæ, & ideo præſidiũ huius aſſidue implorat, annitens interim et ipſe pro uiribus, utiq; per liberum arbitrium. Quod ſi homo iuſtificatus non poteſt perſeuerare ſeu perficere abſq; gratia, nec tamen interim ceſſat liberum arbitrium, conſequitur Hieremiæ uerba non excludere liberum arbitrium. Nam dirigẽdi uerbũ auxiliãtis eſt, non neceſſitatis. Et nõ eſſe in manu noſtra, declarat gratiã noſtræ uoluntati cooperantem. Probandum inquit, fuit, an nos uiribus noſtris nitamur, & probat quod orans aliquid conatur. An hoc nouum eſt, ut laborans imploret auxilium numinis? Nauclerus moderatur uelum et clauũ, optans interim à deo uentos, quos in manu non habet, quod in ipſius eſt poteſtate ſedulo confert. Diſſimulo interim nouum dogma quod hic admiſcet, ſpiritum orare in nobis, non nos. Fingamus Diatriben loquutam de homine uacuo gratia, an non orant frequenter, qui tamen adhuc ſunt in affectu peccandi? Et an non conatur, qui eleemoſynis, lectione ſacra uelut ambit dei gratiam, uel ſolis naturæ uiribus, ſi ſcholaſticis credimus, quam opinionem nunquam reieci,

citius

citius eam amplexurus, q̃ Lutheranã, auxiliante gratia pulsante, iuxta eos qui propensiores sunt ad exaggerandam dei gratiam: quanq̃ si quis posita contentione rem propius inspiciat, minimum interest inter has duas opiniones.

194 Quod est Prouerbior. 16. Hominis est præparare cor, &c. Diatribe responderat & hoc ad euenta pertinere: Hic requirit autorem, & si quando nomino autorem, flagellat eum conuicijs. Verum hoc quod adfero sermonis tenor approbat, Hominis est animam præparare, & domini gubernare linguã. Agit enim illic, ne homo suis fretus uiribus, negligat auxilium gratiæ, sine qua nihil potest homo perficere. Velut apostoli quũ dicerent causam apud præsides, animum promptum exhibebant gratiæ, dominus gubernabat linguã. In præparando locus est libero arbitrio, quia non auertit sese à gratia, dictionis euentum moderatur suo consilio deus. Hoc quod partim in nobis situm est, exigit à nobis deus, euentum sibi uult relinqui. Quod si animus sit bonus, euentus quisquis erit, infelix esse non poterit: Sin malus, fallet seipsam impietas. Eoq; sequitur, Omnes uiæ hominum patent oculis eius. Spirituum ponderator est dominus. Talis igitur erit euentus, qualis est animus. Ideoq; monet, si uelis exitum esse felicem, exhibe domino syncerum animum, ac uelut illo teste fac quicquid facis. Reuela inquit, do-

quit, domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ. Quod ante dixit, præparare animum, hic appellat reuelare cogitationes. Habet Lutherus quod unum recipit, ex serie sermonis expromptam sententiam. Quid autem agas cum hoc disputatore? Si cites autorem, arripit occasionem blasphemiæ: si nullum cites, ridet somnium nostri capitis. Deinde magna cum autoritate suam profert interpretationem, pro sua libidine contortam. Hic iterum triumphat tali syllogismo. Si libertas, inquit, arbitrij in rebus & operibus nostris nulla est, multo magis nulla est in rebus & operibus diuinis. Quis obsecro dixit in operibus humanis nullam esse libertatem arbitrij? Dixi rerum exitus non semper pendere ex nostro arbitrio. An medicus ideo caret libero arbitrio in medendo, quia moritur quem sperabat reualiturum? Et hic disputator ridet perpetuo Diatribes acumen. Dixerat, Quomodo est hominis præparare animum, quum Lutherus affirmet omnia necessitate geri? Respondet homo acutus, quum eucnta rerum non sint in nostra potestate, quomodo est hominis res gerere? Respondeo uicissim, quando rixandum est, qui dat pecuniam filio, ut emat Euangelicum codicem, quum ille commercetur scortum, utrum libero arbitrio dedit an non? Fatebitur dedisse. Nam in his rebus concedit liberum arbitriũ, & tamen fefellit euentus.

Quomo-

Quomodo igitur dare pecuniã fuit in illius arbitrio? Tam est acutus, ut non discernat actionem rei gerendæ ab euentu. At si præparare cor, est hominis, consequitur aliquam huius rei partẽ esse sitam in arbitrio hominis. Quod si necessario deus præparat animum, & gubernat linguam, dixisset, dei est & præparare animum & gubernare linguam. Hic expatiatur in locum communem, tanto attentius nobis adlaborandum, q̃ rerũ euentus sit incertus, quasi nos aliud suaserimus. Quod si loquitur de euentu salutis æternæ, extra oleas currit, quum Diatriba de hac non agat. Quanquam equidem citius tribuerim pio uiro fiduciam bonam, q̃ certitudinem. Citat Ecclesiasten, Mane semina semen tuum, & uespere ne cesses, &c. Sed interim utitur uerbis imperandi, quæ in scripturis nihil ponunt. Quid autem hortatur hominem ad operandum, qui nihil agit, sed tantum patitur? Quur colligit ex hoc uerbo semina, homini operandũ esse, quum imperandi uerba nihil aliud declarent, quàm nõ posse fieri quod præcipitur? Videtur aũt sibi belle rẽ moderatus hac distinctione, Nobis inqt, sunt incerta cognitione, sed necessaria cuẽtu. Necessitas nobis timorẽ dei incutit, ne præsumamus & securi simus; Incertitudo uero fiduciã parit ne despemus. Qui maxime statuũt liberũ arb. fatentur necesse, ut alterutrum eueniat, nimirum ut homo uel seruetur, uel pereat.

Id igitur

Id igitur ad incutiendum terrorem satis est, etiam posito libero arbitrio. Quis autem unquam dixit, incertitudinem parere fiduciam? Fortasis adimit extremam desperationem. Etiam si Paulus certus est, ipsi repositam iustitiæ coronam, ut hic obiter notem Lutheranorum inconstantiam. Sed uter futurus est ad agendum alacrior, is ne cui persuasum est, siue serat, siue non serat, prouenturam messem, si deus uoluerit: an qui credit, citra ipsius operam nihil prouenturū, sed laboranti non defuturum cœli fauorem? Rursus uter studiosius ambiet dignitatem, is ne, qui scit regem eam alterutri destinasse, siue mereatur, siue non mereatur: an qui credit regem ei daturum, qui se maxime dignum præbere studuerit ipsius faucre. Reliqua stolidiora sunt, q̃ ut recensere libeat. Et properandum est, ne tædio lectorem enecem.

Iam illud ex eodem capite, Vniuersa propter semetipsum operatus est dominus, &c. defendēs, mirorquur tantope horreat fateri, deū creare impiū, quū ante sit ingenue fassus, deū quotidie gignere impios homines, sed sensit opinor, de dei operatione assidua in rebus propagandis. Sic igitur interpretabimur, Operatus est impium, id est, operatus in impio ad diem malum, aut operatus est impietatem ad diem malum. At quanto simplicius est, quod exponit Diatriba? Antea dixerat, Reuela domino uiam tuā, & diri- 193

gentur

gẽtur cogitationes tuæ, hoc est, esto syncero animo coram deo, & ille dabit bonum exitum. Hoc ad pios pertinet: Ad impios autem pertinet quod sequitur, Vniuersa propter semetipsum operatus est dominus, impium quoq; ad diem malum, Vt prior illa pars pertinet ad naturas rerum et ad bona, posterior ad impios, qui non reuelant domino uiam suam, sed credunt se suis consilijs eò peruenturos quò uolunt. Verum hos manet infelix exitus, ita domino moderante rerum euentus, ut impiorum etiam maliciam uertat in gloriam suæ bonitatis ac iusticiæ, simulq; in bonũ electorum, quos alieno supplicio reddit cautiores. Malum enim diem uocat infelicem exitum. Et hanc habet interpretationem ex ipso sermonis tenore nullo autoris nomine, ne prouocetur ad blasphemiam. Quid igitur hic locus facit aduersus liberum arbitrium? Consilia impiorum habent infelicem exitũ, an ideo nihil agũt per liberum arbitrium?

196 Proximo capite dum tuetur illud Prouer. 21. Cor regis in manu domini, tantum asseuerat, sed offenditur coactionis uerbo, quod toties obijcit Diatribæ, recinens illam distinctionem, de necessitate coactionis & immutabilitatis, quum ea apud nullũ legatur Theologum, ut antea declarauimus. Atqui ipse in assertione sua, non horruit hanc uocem coactionis, dum sic loquitur, Quis audet negare, se etiam in malis operibus sæpius

bus sæpius coactum aliud facere quàm cogitauit, Et hic ubi fatetur, cor regis uiolento impetu sic rapi ad hoc aut illud agendum, ut non posßit sese aliò deflectere, non fert uerbũ coactionis, præsertim quum adducat exemplum de Balaã, qui diuersa compulsus est dicere quàm uolebat. Quod exemplum quum sit singulare, nisi patiamur ad omnes pertinere, negat ulla exempla in scripturis posse subsistere. Ad hæc male habet hominem quod Diatriba dixerit, huius generis testimonia permulta colligi posse ex sacris litteris, præsertim gnomologijs, quæ commoda interpretatione, huc aut illuc deflecti posßint.

Hic protinus aperit se campus debacchandi in rhe 197
tores, qui doceant artem deprauandi sacras litteras, quũ nullus adhuc extiterit, q uiolẽtius tractarit eas q̃ ipse. Subest & nonnihil uel stomachi, uel emphaseos in nomine Lutheri, quod toties repetit μιμητικῶς, quasi non oporteat Lutherum absq; præfatione honoris nominare. Si indignatur nominari Lutherus, quid faceret si designassem eum ijs titulis quibus designant alij? Nisi forte placet Eccius q Lutherũ uertit in Luderum. Quum ipse toties scurretur in dominam Diatribam, nõ fert simpliciter appellari Lutherus. Delicatum animum. Atqui quoniã in Diatribe personis tam insigniter errauit, coactus sum ipsa re subinde Lutheri nomẽ inculcare, ne qd'ipsius est asscriberet Pau-

lo. Negat me hactenus ullũ gregariũ militẽ ſupaſſe, quũ præter duo triáuc loca, uix ulla fuerint reſponſio ne digna. Sed qs unq̃ mortaliũ refellit uel unã Luth. ſententiã, quã uel ludẽs effutierit, tanta eſt oraculorũ maieſtas. Ventũ eſt igitur tandẽ ad Achillẽ Lutheri, quo mire ſe uẽditat in aſſertione. Hic primũ impingit Diatribæ, q̃ ſtuduerit ſibi uindicare gloriã, quaſi prima docuerit, nihil accipi p̃ eo qd' eſt, nullius p̃ ſe momẽti. Vnde id colligit? qa nõ nomino autorẽ? Atqui id Luthe. nõ fert, Ex locis igitur ſcripturarũ docco qd' aio, nã hoc exigit ipſe. Etſi nihil tale legiſſẽ apud alios, qd magni erat id ex ſacris libris decerpere, quum tropũ etiã habeat populares ſermo? Pudet referre manifeſtũ hominis mẽdaciũ, quo fingit Diatribẽ hoc unice agere, ut ſcripturæ dei ſint ubiq; ambiguæ, ne illis cogatur uti, autoritas uero ueterũ certa, ut illis liceat uti, mira ſanè religiõe, ut uerba dei ſint inutilia, hominũ uerba ſint utilia. Quantã hic mendaciorũ cõgeſſit farraginẽ? Nõ ſaltẽ uereri, ne qui legerũt meã Diatribã ſtatim intelligãt homini nullã eſſe frontẽ. Reliquas nænias et ineptias prætermitto, quanq̃ à nænijs ad næ
198 nias eundũ. Nihil enim aliud agit toto hoc opere Diatriba ſibi nõ conſtat. Qui ſic? Quia fatetur nihil pro modico accipi poſſe et imperfecto. Nec modici nec imperfecti uox eſt ĩ mea Diatriba. Sed has uoces affingit Sannio, quo locus eſſet aliquot ſcurrilibus facetijs. Sic

habent

habent uerba Diatribæ. Atqui mea sententia potest ad hoc nõ uno modo respõderi. Primũ uulgo nihil agere dicitur, q non assequitur id quod expetit, et tamen frequẽter aliquousq; promouit, qui conatur. In hoc sensu uerissimum est, nos sine Christo nihil posse. Loquitur enim illic de fructu euangelico, qui non contingit nisi manẽtibus in uite, q est Christus Iesus. Hactenus Diatriba. Fructũ euangelicũ, ppello prædicationẽ apostolicã, qua mundũ Christo subegerũt. Dominus se dixerat uitẽ, discipulos palmites, late ppagaturos spũm euangelicũ. Hoc euãgelij uerba sonãt, Vt eatis et fructũ adferatis, & fructus uester maneat. Palmitũ ppagatio est apostolorũ discursus, primũ Hierosolymæ, mox ĩ Samaria, locisq; pximis, mox per oẽs mũdi plagas proferentiũ quod hauserãt è stirpe. Erant aũt qui insyncere prædicabant euãgelium, ad gloriã & quæstũ, non manẽtes in uite, eoq; doctrina eorũ nõ adferebat fructũ copiosum. Fuisse tales, declarat Paul. Phil. 1. Quidam autem ex contentione Christũ annunciant non syncere, &c. Scopus autem apostolicæ prædicationis erat, uniuersum orbem ad euangeliũ pertrahere. Hunc scopũ non potuissent attingere nisi mansissent in uite. Nihil interim dicam de hæreticis doctrinã euangelicã uitiantibus, à quorũ exẽplo deterret suos dominus. Nihil igitur posse facere dicũtur, qui nõ ptingũt ad scopũ. Iam pari scurrilitate interpretatur

nobis non, ut significet fructũ euangelicũ extra Chri
ſtum, & hinc colligit portentoſa quædam, planè reſi
pientia ſpiritum quem habet in pectore, quum tam ab
ſurda ſint ut me pudeat referre. Riderem ſi tantũ me
læderẽt. Nunc uideo quanta ſit mortalium pernicies,
qui tali ſpiritui credant animas ſuas, quantaq; ſcriptu
rarum contumelia ab homine tam effrenis animi lin
guæq; tractari. Nam mihi cum primis gloriæ duco à
tali uiro talibus tractari modis. Hoc dolet quod pus
illud tam diu diſſimularit, nam & me liberaſſet gra
ui inuidia, & pauciores opinor hic tumultus inuoluiſ
ſet. Sed ne uidear hæc fruſtra dicere referam unam fa
cetiam. Si nihil inquit & non, ſignificat modicum &
imperfectum, ſic interpretabimur & illud, Sine ipſo
factum eſt nihil, id eſt modicũ. Dixit inſipiens in cor
de ſuo, non eſt deus, id eſt, imperfectus eſt deus, Ipſe
fecit nos, et non ipſi nos, id eſt modicum fecimus nos.
An non iſta ſunt ocioſe ludibundi, ſed mali ſpiritus?
Quanquam ut dixi modicum & imperfectum, nõ ha
bet mea Diatriba, tantum dixit uulgato more loquen
di, eum nihil facere, qui non efficit quod deſtinatum
eſt, ueluti legatus qui petit inducias, ſi non impetrat
nihil egiſſe dicitur, & tamen omnia fecit ut impetra
ret. Rodit ac ridet & illud, quod modeſtiæ cauſa ſic, p
pono reſponſionem. Mea ſententia, poteſt ad hoc
non uno modo reſponderi. Probandum inquit erat ſic
debere

debere accipi. Non mirum si Luthero displicet modestus sermo, qui asseuerat omnia. Cæterum an ideo minus uerum est quod adfertur, si modestis uerbis adfertur? Et ideo uerũ est quicquid dicit Lutherus, quoniam tam arrogantes habet asseuerationes, nihil deferens aliorũ iudicio, nec post ipsum surgenti prophetæ loquendi faciens locum? Ad hæc multum sibi falsus uidetur, irrisione cõmodæ interpretationis, quũ hoc in ipsum dixerit Diatriba, qui non solum commode, sed impudentißime quiduis detorquet ad suæ causæ uictoriam. Nã ipse si quid in litteris sacris nõ assequor, soleo ueterum sententias amplecti, quod Lutherus clamat esse sacrilegum, quum ipse in pugna non solum Gregorium magna cum autoritate citet, uerumetiam ex poetarum testimonio probet rerum omnium necessitatem, ob id philosophis iniquior, quod asserunt hominis liberum arbitrium. Vociferatur si quando refero Hieronymi commentum, & sibi ignoscit quum ex fabulosis autoribus probat quod asserit, ueluti si ex Virgilij uersu, O Melibœe deus nobis hæc ocia fecit, probet omnia necessario euenire. Repetit illud ex acerruo mendaciorum, quem indicaui pauloante, me certitudinem scripturæ susq; deq; facere, quũ ipse interim conspuens orthodoxorum interpretationes, irridens scholarum opiniones, ecclesiæ placita, conciliorum decreta, quamuis ueterum, pili non faciens, sed sibi uni

uindicans autoritatem interpretandi, ſtabiliat conſcientias hominũ. Res ipſa nimirũ indicat, quomodo ſtabiliat conſciẽtias hominũ, tot quotidie nouis ſectis ſuppululantibus, plerisq; mortalium nutantibus undiq;, quid cui credãt. Ita uidelicet habebimus ſcripturã certã, ſi quicquid attulerit nobis Lutherus, amplectamur pro oraculo, nihil offenſi, quod toties ipſe ſibi non cõſtat. Aliâs uult ſcripturam adeo dilucidam eſſe, ut ad intelligentiam non alia re ſit opus, q̃ grãmatica et ſenſu communi. Aliâs clamat oẽs retro doctores una cũ eccleſia cæcutiſſe. Sciebant grammaticã, nõ carebãt ſenſu cõmuni, quid obſtitit? Quid niſi ſpiritus ſatanæ, qui nõ audet tentare Lutherũ. Crede mihi alia eſt ſpiritus ſancti lingua q̃ hic habet. Si coruus rauca craſſaq; uoce diceret ſe eſſe luſciniam, quis illi crederet? Et alicubi negat me, ſi roget, quid ſit ſpiritus, quid ſit miraculum, ne ſyllabam quidem habiturum quã reſpondeam, quum hæc uerba ſint in litteris ſacris, & arbitror me nec grammatices, nec ſenſus cõmunis expertem eſſe. Sed nimis immoror hiſce quiſquilijs, præſertim quum orbis iam nimium norit hominis ingenium.

199 Iam ad probabilis ſententiæ iocũ toties iteratum ſatis reſponſum eſt. Reliqua quæ Lutherus hic magna uehementia diſſerit, nihil ad rem faciũt, quũ mea ſententia loquatur de euangelio propagãdo, hic agat de gratia

gratia per lib.arb.paranda: Deinde modicum & imp fectum, ipsius uerba sunt nõ mea. Ad hæc constat etiã insynceres doctores aliquousq; profuisse euangelio, li cet sibi non profuerint. Dominus aũt hic loquitur ijs qui iam erant in uite, quos hortatur ut maneant, Iudã subnotãs, qui paulo ante hunc sermonem accepta buc cella exierat. Idem minitatur omnibus euenturum ni/ si in uite manserĩt. Idem arbitror & ad hæreticos per tinere, qui se subducunt à corpore Christi, quod est ec clesia. At Lutherus in assertione locum hunc in hoc adducit, ut probet liberum arbitrium nõ pararc gra/ tiam per opera moraliter bona. Ast ego istam opini/ onem proposui duntaxat in Diatriba, nec probãs, nec improbãs. Illud igitur indicabat Diatriba, locũ Ioãnis à Luthe. nõ apte citatũ, quũ Christus loquatur ijs qui erãt in uite, excepto Iuda, qd' ipsum tamẽ latebat disci pulos, et Luth. accõmodat ad hominẽ q cupiat inseri ĩ uitẽ p gratiã. Quicquid igitur hic conuiciorũ iacta/ tur, absq; scopo iactatur, uidelicet de regno Christi, de regno satanæ, qd' ubiq; supra modũ exaggerat, nõ distinguens inter soli peccato originis obnoxios, et su is etiam sceleribus cõtaminatos, nec inter simpliciter per infirmitatẽ peccantes, et inter induratos malicia. Quod addit me lib.arb. sic in medio ponere quasi nec deus adsit, nec diabolus, ut uerbo respõdeã, manifestũ est mẽdaciũ, et hic agebã de ijs q sunt ĩ regno gratiæ.

Quoniam autem polliceor illic respõsionem uariam, si hæc minus satisfaciebat, licebat aliam amplecti, eo' qúe dixi, mea quidem sententia. At Lutherus qui aberrat à scopo, tamen sic tumultuatur circa hanc, ac si solam asseueraſſem.

200 Verum donemus hæc uerba pertinere ad eos qui
201 sunt sub regno satanæ, Sine me nihil poteſtis facere, ponamus mihi tuendam sententiam Scoti, quam non suscepi tuendam, non excluditur his euangeliſtæ uerbis liberum arbitrium. Non enim sequitur, liberũ arbitrium nihil poteſt absq; Christo, igitur nihil poteſt. Nam Christum hic accipio Christi gratiam, & hoc ipsum quod poteſt homo naturæ influxu Christi gratia eſt, sine qua nec uiuimus nec sumus. Fingamus rursus hunc sermonem pertinere ad pios, sine me nihil poteſtis facere, nihil aduersus liberum arbitrium facit, quod principalis gratiæ auxilio facit, quicquid facit, et tãto magis aliq̃d agit, qa sine gratia nihil agit. Tã dẽ scurrante Luthero, etiã Diatriba uertitur in nihil. Vulgo, inq̃t Diatriba, nihil agere dicitur, qui nõ aſſequitur id qd' expetit, et tamẽ frequenter aliquousq; pmouet, qui conatur. Reſpondet Lutherus: Nunquam audiui uulgo sic dici, tu ita fingis pro libertate tua. sic reſpondent qui nihil relinquunt incertũ. Quomodo Saxones uulgo loquantur neſcio, latine loquentes apud nos sic loquuntur, ut quum redeũt oratores ab irrita

lega

legatione, dicant eos nihil egisse: & qui rogantur, quod decreuerunt non concedere, solent dicere, Desine rogare, nihil egeris. Id supra docuimus esse uerum per autores, qui si parũ illi graues sunt, uel Philippũ suum consulat, Fatebitur, ni fallor, esse uerum quod dixi. Quis dixit conatũ esse nihil? Nã hoc obijcit Lutherus, qui nihil interpretatur modicũ, non Diatribe. Non enim illa exponit, quid sit nihil, sed quo tropo dicatur nihil agere, q non efficit quod uult. Tropus autem non esset, si de ocioso diceretur, nihil agit. Quàm multa hic delirat Lutherus, sine mẽte fundens uerba. Verum donat ualere quod adfero, tamen id inquit, facit aduersus liberum arb. quod multa agat, quæ coram deo nihil sunt. Rursus multa agit liberum arbitrium, quũ in assertione pnũciarit, liberum arb. nihil esse in rerum natura. Quid profuerit inquit, illi conatus, si non assequitur quod expedit? Hoc, Iuxta quosdam tantum prodest, ut suo conatu perueniat ad gratiã, Iuxta alios ut si suum conatũ accõmodet gratiæ præparanti, perueniat ad gratiam iustificantem, Et si sit sub regno gratiæ, ut perseueret ac proficiat ad uberiorem gratiam. Sin se auertat, perdat etiam hoc quod donatum est. Quin & illud Pauli infeliciter adduxit Diatribe, Neq; qui plantat, neq; qui rigat est aliquid. Quis enim unq̃ citauit feliciter scripturam aduersus Lutherum? Quod minimi momenti

est, ac per se inutile, Diatribe nihil appellat. Hic Lutherus: Quid? Tu Diatriba ministerium uerbi per se inutile & minimi momenti esse dictitas, quod tantis laudibus Paulus quum ubique, tum maxime 2. Cor. 3 uehit, ubi ministrationem uitæ & gloriæ appellat? Imò tu Luthere doces nos uocem Euangelistæ esse alicuius momenti, si desit Christi spiritus? Tecum igitur ipse pugnas. Opinor enim intelligere te, quid sonat per se, hoc est, solitarium & sine acceßione spiritus, ueluti quũ dicimus, genus per se nihil esse, nisi acceßerit uita genere digna: et corpus p se nihil esse, nisi adsit anima. Non hic excutio, q̃ argutia cauillãdi plantatorẽ mutat in ministeriũ Euangelicum. Ipse Christus fuit minister Euãgelij, & ministratio spiritus, est ipsa uis euangelij per Christũ exhibita primũ, mox p apostolos, quorũ opera nihil est, si cõferatur ad deũ operantem in illis. Quod si qui præstat hic opam, est aliquid magni, quur Paulus dicit esse nihil? Hic Luther us adfert è contẽptißimis scholæ prouerbijs, Sermonem intelligendum secundũ materiam subiectã, quod à Diatriba sæpe negat fieri. Audiamus igitur oraculũ Lutheri. Ad incrementũ inquit dandum, plantator & rigator nihil est, sed ad plãtandum & rigandum nõnihil est, quũ sit opus summũ in ecclesia dei docere & exhortari. Quid noui dixit noster sophista? Qui plantat & rigat, præbet opam docendi & exhortandi, &

di, & hac functione præstat honestum munus, fate/
mur, Sed hoc quod est huius rei caput præstare non
possunt, & ideo per se nihil agunt, quia frustra labo/
rant, nisi deus det incrementum. An non toto hoc uo/
lumine sic argumentatus est Lutherus, Liberum ar/
bitrium nihil potest absq; gratia, ergo nihil est. Et uo
luntas hominis per se res est inefficax, ergo nihil est.
Addit asseuerationem, Hoc uult Paulus, hoc & uer/
ba satis aperte tradunt, Hoc est signaculum spiritus.
Verum hic rursus donat, ut ualeat ineptum exem/
plum homo commodus & facilis, nihilo minus exem
plum pro ipso facit. Nam hoc ipsum agimus, quod li/
berum arbitrium sit nihil, id est, inutile per sese, ut tu
exponis coram deo, non ignari q, uoluntas sit aliquid
& non merũ nihil. Dispereã ni Lutherus hæc scripsit »
à cœna, nisi q, hic obiter aperit aliã rimã, de genere
essendi corã deo. Atqui posteaq; semel pfessus est omni
um rerũ & summarũ & infimarũ necessitatẽ, eoq;
liberũ arb. nihil esse in rerũ natura sed tantũ inanem
titulũ, frustra nobis hic distinguit Empusa, esse natura
le, & esse coram deo, sicut distinxit dominium in re/
bus inferioribus & superioribus. Si ex animo pro/
bat dogma Vuicleui, sibi constet oportet in oĩbus, ne
cogar ipsi toties ostendere statũ, cuius non subinde,
sed perpetuo obliuiscitur. Sed age sit liberum arbi/
trium per se nihil, quid hoc ad pbabilem opinionem?

Nónne

Nónne hoc in calce Diatribes fateor iuxta probabilem opinionẽ, quæ plurimum tribuit gratiæ? Sic & homo totus, imò mũdus uniuersus per se nihil est, cui si se subduceret uis numinis omnia seruantis, collabe-
202 retur. Exagitat exemplum quod adduxeram ex Paulo, Si charitatem non habeam, nihil sum, admirãs in quem usum hoc adduxerim. Dicam paucis, Vt ostenderem hominem inutilem dici nihil, sicut nihil agere dicitur, qui nihil efficit. Atq; hic ingenue fatetur liberum arbitrium ualere agereq; in rebus uulgaribus, siue naturalibus, edendo, bibendo, et similibus. Item ualere ad peccandum, quum toties affirmauerit omnium rerum absolutam esse necessitatem, liberum arbitrium titulum esse sine re, tum ad bona, tum ad mala. Sic constat sibi Lutherus, qui negat me usquam mihi cõstare, ne hoc quidem loco. Qui sic? Quia non somniaram eum hic commentaturum duplex esse, naturæ & gratiæ. Nec interim intelligit, quid dixerim de fructu Euangelico. Ast aliquẽ fructum faciunt etiam ij, qui insyncere docent Euangelium, quum interim non sint in uite. Quid autem noui docet nos Lutherus, si monstret gratiam dei à deo proficisci? Illis erat respondendum, qui asseuerant hominem absq; peculiari gratia posse per opera moraliter bona, peruenire ad gratiam iustificantem. Hanc opinionem inter cæteras proposui, nec unquam improbaui. Aut qd

adfert

adfert noui, si docet opus quod non est profectum ex gratia uacare gratia? Nihil enim aliud docet istis uerborum turbis. Quod naturæ est, inquit, nihil est in genere essendi, de quo nos agimus, Sed ubi dormit interim absoluta necessitas? Ac rursum exigit exemplum, quo doceam nihil accipi pro modico. Hoc ipse doceat qui fingit, Ego qd' posui docui, nihil dici, quæ per se nihil efficiunt. Itaq; nihil agere dicitur, qui frustra fidit suis uiribus, cõtemnens dei gratiam. Et quia non docui, nihil accipi pro modico, quod hactenus ne somniaui quidem, pronũciat me nihil intelligere aut curare, quid sit Christus aut gratia, aut quomodo aliud sit gratia quàm natura. Quod tamẽ etiam rudissimi sophistæ nouerunt, & usu uulgatissimo hoc discrimen in suis scholis definiuerunt. Quid faciemus huic rabulæ, quem nihil pudet in quemuis dicere? An non satis aperte Diatriba distinxit naturalem influxum omnibus communem, à gratia, & an non gratiarum effectus discreuit? Et hic nescit quid significat Christus. Nec hoc uidet cæca Diatriba, quod omnia hæc exempla faciunt pro ipso. Quo pacto? Hoc enim facit euincere uerbum Ioannis baptistæ, quod homo nihil potest accipere, nisi donatum fuerit ei è cœlo, ut liberum arbitrium nihil sit. Audis mirabile enthymema. Quod accipitur fatetur esse gratiam iustificantem. Neq; enim uidetur agnoscere gratiam præparantem.

rantem. Demus igitur gratiam immitti cuipiam è cœlo, quid prohibet, quo minus uolũtas amplectens gratiam simul agat cum illa? Et si potest homo sua culpa dei gratiam amittere, nónne sequitur esse liberum arbitrium, & quod gratiæ cooperatur, & à gratia semet auertit? Ac rebus adeo misere gestis, tamen ipse sibi canit encomium. Sic inquit uincitur meus Achilles, quum ei per Diatriben arma porriguntur, quo ipsa nuda & imbellis conuincatur. Sic uno uerbo scripturæ soluuntur, quibus urget Lutherus peruicax ille assertor. In stomachum generosi ducis, non potest concoquere quod alicubi tribuerim ipsi peruiciam. Alijs alijs elogijs ornaris ô bone, ab ijs qui melius norunt rebus sua dare uocabula. Magnifica sanè uictoria, quum interpreteris uoces tuo arbitrio, quum etiam affingas quod libet tuo commodo, quũ reijcias omnium orthodoxorum scholarũ & conciliorum iudicata, quum tecum ipse pugnans nunc arripis hanc sententiam, nunc illam, quum ex animi tui sententia doceas scripturam loqui, quod tibi conducit, crebro torquẽs eã insigni impudẽtia, triumphũ agis Achilles. Nihilo deteriore fronte docere poteras nullũ esse liberũ arb. ex precatione dominica, ex salutatione angelica, & si libet, ex eclogis Virgilij, aut transformationibus Ouidij. Pater noster: audis? Filij sunt in potestate patris, non contra. Nullum est igitur liberum

rum arbitrium. Qui es in cœlis. Auſculta, Cœleſtia agunt in inferiora, non contra. Noſtra igitur uoluntas nihil agit, ſed tantum patitur. Sanctificetur nomen tuum. Quid apertius? Si liberum arbitriũ eſſet aliquid, tum gloria eſſet hominum, non dei. Adueniat regnum tuum. Sol meridianus non eſt lucidior. Nos non uenimus ad regnum gratiæ per opera moraliter bona, ſed regnum uenit ad nos. Fiat uoluntas tua ſicut in cœlo & in terra: Partem hanc iam ipſe ſerio citauit. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Audin? Semper egemus nihil habẽtes in nobis boni, ſed quotidie gratiæ imploramus opem. Vbi igitur liberũ arbitrium? Et dimitte nobis debita noſtra. Habes ad quid ualeat liberum arbitrium, nimirũ ad peccandum. Et ne nos inducas in tentationem. Quid quæris? Deus & bona & mala operatur in nobis. Nullus igitur arbitrio locus. Sed libera nos à malo. Hinc liquet liberum arbitrium nihil aliud q̃ peccare. Nam hæc dicuntur à iuſtificatis, qui tamen erant damnãdi ꝓpter omnia bona mala opera, niſi dei miſericordia liberarentur. Hæc ſunt nuda rerum capita, quibus ſi accederẽt aſſeuerationes, cõfictæ uoces, locupletationes, ꝓſopopœiæ, ſannæ, cõuicia, nõne res eſſet planè palmaria? Aue gratia plena. Vbi eſtis Pelagiani? Nõ auditis? Angelus deferens gratiã dicit, aue, non dicit para te gratiæ, ſed de dono gratuito iubet gaudere.

Et ple-

Et plenam dicit, ne locus esse posit uacuus libero arbitrio. Dominus tecum, sine quo nihil potes facere. Et ab Elisabet salutatur, Benedicta inter mulieres. Vbi benedictio, ibi non est liberum arbitrium. Troiæ qui primus ab oris Italiam fato profugus. Audis rerum ineuitabilem necessitatem, Non profugit consilio, sed mera necessitate. ● Melibœe deus nobis hæc ocia fecit. Animaduertis, alterum eiectum agris, altero fruente suis rebus. Vnde? Ex merito? Non, Sed deus fecit, quia sic illi libuit. In noua fert animus mutatas dicere formas Corpora. Audis nõ liberam uoluntatem, sed animi raptum. Hæc uidentur, ut sunt, ridicula, At multa citantur à Luthero, longe durius detorta ad subuertendum liberum arbitrium, q̃ hæc detorsimus. Sed quod illi bonum atq; cõmodum est, ipse saltat fabulam & applaudit sibi, ipse decertat, & addicit brabium: ipse narrat suas res gestas, & decernit triumphum. Sed hoc commento sibi cum primis placuit, quod Diatribam sibi ueluti stultam mulierculam finxerit, in quam declararet quid posset facecijs homo gratijs ac leporibus natus, adeo festiuus, ut etiam blandiens sit amarulentus, adeo non putidus, ut illic etiam sit gloriosus, ubi sese maxime deijcit, quum in Diatriba nihil ferè sit, quod non hauserim ex probatis ac uetustis Ecclesiæ doctoribus, in quos omnes recidunt istæ plusquam scurriles facetiæ uerius q̃ in me.

Quod

Quod si tantopere cõtemnebat Diatriben, quur non congressus est cum Ioanne Episcopo Roffensi, cuius eruditionem, ni fallor, haud contemnit, cuiusq; auctoritate longe magis premitur, quàm Diatribes, præsertim quum ille non contulerit, quemadmodũ ego, nec Lutherum tantum appellet peruicacem, quod à me non potest concoquere, sed legitimis præconijs illũ exornet. Ad hæc conniuens homo facetus, tot ocio sis nugis lusit in Diatribam, sub huius nominis fuco blasphemijs petulantißimis debacchans in sacros ecclesiæ doctores.

Tandẽ ueluti delassatus transilit plurima loca, qui 203
bus Diatriba declarauit, hominis uoluntatem aliquid agere cũ auxiliante gratia. Quid hoc, inquit, ad me? Imò hoc ad eas opiniones quas proposueram. Harum una fuit, quæ dicebat liberum arb. hominis in bono, nihil aliud quàm pati ab agente gratia: nec gratiam agere per liberum arbitrium, sed in libero arbitrio. Nam hanc ideo ppposuit Diatriba, ut refelleret. Quod si Lutherus fatetur uoluntatem hominis cooperari gratiæ, sinat Carolstadium suum dogma defendere. Quid autem insolentius, q̃ toties obijcere Diatribæ q̃ aberret à statu causæ, quũ ipse non intelligat, quos scopos proposuerim. Sed mire falsus sibi uidetur in deridenda similitudine de nauita & agricola, de medico, de ædificatore & custode ciuitatis, quum eas hau-

serim ex probatissimis autoribus, quos hic meretricia procacitate deridet. Primum inquit, similitudo diuersum opus tribuit nautæ, diuersum deo, quasi similitudo debeat per omnia quadrare. Quanquam hoc quod ait falsum est. Nam in seruanda naue, fingo duos simul operantes, deum & nauclerum. Verũ quoniam principale opus est dei, totum illi tribuitur, dicitúq; seruasse nauem, sine quo non fuisset salua. Simili modo fingo unicum opus parandi fruges, quod totum tamen asscribitur deo, sine cuius ope frustra laborasset agricola. Ita restitutus ægrotus, dicit, deus me restituit sanitati, eo q; illius auxilium medico adfuerit. Atqui ut sannis aliquot locum faceret, homo natus ad maledicentiam, deprauat uerba Diatribes, ut deus quidem seruat inquit, nauita tamẽ deducit ad portum, quare nonnihil agit nauita. Diatribes uerba sunt hæc. Quemadmodum nauita, qui nauim in portum deduxit è graui tempestate incolumem, non dicit, ego seruaui nauim, sed deus seruauit, sed tamen illius ars & industria non fuit ociosa, Quicquid factũ est in seruanda naue, pro uno opere ponẽs, in quo iuncta fuit dei auxiliantis gratia cum hominis adnitentis industria. Qui perduxit incolumẽ seruauit, utercq; seruauit, uterque perduxit. Et si essent diuersæ operationes in summa operis, similitudo tamen ualet ad explicandum quod agitur. Commemoret igitur

si lubet

si lubet, quàm multa faciat opera nauclerus, priusquàm statuat nauim in portu, quàm multas operas sumat agricola, priusquàm agri prouentum conuehat in horrea. Atque hæc tam stolida, tam ebria, tam insana similitudo est Origenis & Hieronymi, imò scripturæ diuinæ. Quicquid enim sannarum in hanc euomit Lutherus, euomere potest & in illam, Nisi dominus ædificauerit domum, in uanum laborãt, qui ædificant eã. Nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat qui custodit eam. Quur hic non clamat aliud opus tribui deo, aliud homini, & excubandi opus totum tribui homini, custodiendi totum deo. Hæc est sancti spiritus comparatio, simillima illis quas adduxi, Frustra laborat nauclerus, ut seruet nauim, nisi dominus seruauerit, Frustra laborat agricola, nisi dominus laborantem adiuuet, Frustra faber ædificat domum, nisi dominus adiuuans ædificauerit: Frustra uigiles custodiunt ciuitatem, nisi simul & dominus custodierit. Ibi seruandæ nauis opera communicata est deo & nauclero, Agricolatio communis est colono & deo, hic structura ciuitatis communis est deo cum fabris, custodia communis est excubitoribus et deo, Vtrique dicuntur ædificare, utrique custodire. Qui deridet priores similitudines, et has deridet. Quid enim aliud superest illi, qui iam sibi permisit

in omnes Ecclesiæ doctores digna atq; indigna dicere. Scilicet Origenes homo disciplinarum rudis nescii uit conferre similitudines, Ipse solus nouit conferre deum cum bono fabro malum opus fabricante mala securi, bono equiti, agenti equum tripedem. Euge tales parabolæ docent pietatem, uidelicet deum esse malorum omnium quæ fiunt autorem. Ipse nobis adfert sua exempla, de Paulo docente, & Paulo loquente in spiritu. An Paulus quum doceret non loquebatur in spiritu? Et dum huius uox afficit animos auditorum, nónne cooperatur gratia principalis? Et hic ponit diuersum opus. Quum loquitur in spiritu facit unum opus. Paulus appellat loqui in spiritu, sonare uoce tantũ, Lutherus fortasse accipit loqui in spiritu, rapi mente. Atqui ponere idem cũ eo quod docere cupis, non est conferre similitudines. Huiusmodi sophisticis cauillis remoratur lectorem. Sed remittit homo facilis, ut sit idem amborum opus. Quid hoc inquit, ad rem? Non agimus, inqt, de coopatione, sed de propria ui & operatione lib. arbitrij. Si propriam uim accipit, quæ uacat gratia, demiror quid sibi uelit. An hic erat Diatribes scopus unicus, ostendere quid liberum arbitrium possit absque gratia? Erat quidem & illa proposita opinio, quæ prædicat liberum arbitrium per opera moraliter bona, posse de congruo promereri gratiam iustificantem. Verum hanc Diatriba

triba nec admodum tuetur, nec improbat, uerum in hoc magis confert omnem disputationem, ut ostendat uoluntatem hominis posse præbere se gratiæ pulsanti, posse auertere, Item cooperari gratiæ operanti, & ab hac se posse subducere. Si uim propriam quæris, in bonum & in malum, & propriam habes & communem. Id quum constanter agat Diatriba, quonam fugit ille rhetor, qui dicturus de palma, nihil dicit, nisi de cucurbita, & orsus amphoram, absoluit urceum? Huiusmodi facecijs deliciatur, qui nondum intelligit, quas opiniones proposuerim, quasq; potissimum oppugnet Diatribe. Sed bene habet, indicat scopum, Fatetur deum omnipotenti motu, quo gignit et agit omnia, cooperari & pia & impia patrantibus, & hoc confitens deum facit autorem malorum operum, quatenus mala sunt, quēadmodum ante demonstratum est, & fatetur hominem immerentem damnari, æque atq; immerentem seruari. Sed nunc inquit, non erat his locus. Verissime: neq; enim Diatriba illic agit de naturali influxu primæ causæ, sed adhibitis exemplis docet agente in nobis gratia peculiari, uoluntatē hominis non esse ociosam, id quod negat Carolstadius, cuius opinionem recenset Diatriba. Quid igitur quærebatur? An inquit, iam creati ex nihilo, aliquid nos faciamus uel conemur illo generali motu omnipotenti, ut paremur ad nouam creaturam spi-

ritus? Hic inquit, respondendum erat, non aliò diuertendum. Primum quid appellat creari ex nihilo? Prodire opinor in hunc mũdum, Nisi forte iuxta Platonis sententiam, corpus malit esse domicilium animi, quàm partem hominis. Nam diuinandum est, quid uelit hominis sermo propheticus. Nouam creaturam, nisi fallor, appellat gratiam iustificantem. Hic igitur iubet responderi, quid ad eam gratiam possit homo. At quoties ad hoc respondit Diatribe? iuxta uarias opiniones, quarum nulla tamen damnata est ab Ecclesia, Et omnium oblitus exigit ut respondeam. Opinio scholastica quid tribuat uiribus liberi arbitrij, toties dictum est, Quid Augustinus modo recensuimus. Et hoc idẽ hic agimus per similitudines. Quod igitur diuerticulũ narrat nobis Lutherus? Non est sobrius, ut paucis dicam, non uino fortassis aut ceruisia, sed philautia, & dulcedine quadam maledicendi, qua nunquam satiatur, quantumuis sese ingurgitauerit. Audi nunc ipsius responsum, quandoquidem quod respondeat Diatriba non habet. Sicut homo, inquit, antequàm creatur, ut sit homo nihil facit aut conatur, quo fiat creatura, deinde factus aut creatus nihil facit aut conatur, quo perseueret creatura, sed utrunq; fit sola uoluntate omnipotentis uirtutis & bonitatis dei, nos sine nobis creantis & conseruantis: sed non operatur in nobis sine nobis, ut quos ad hoc creauit

creauit & seruauit, ut in nobis operaretur, & nos ei cooperaremur, siue hoc fiat extra regnum suum generali omnipotentia, siue intra regnum suum singulari uirtute spiritus sui. Hæc ille. Mire sibi placet hoc sophismate generalis omnipotentiæ, quod tamen inter eruditos non conuenit. Deus iuxta quosdam, semel data ui gignendi & agendi causæ secundariæ, uidelicet naturæ, non agit, nisi quum ex causis singularibus impedit communem naturæ actionem. Verum ut hac de re non contendamus, illud falsum est quod assumit, hominem creatum nihil agere ad sui conseruationem, quum nihil prius insitum à natura sit animanti, quàm conseruatio sui. Quod si uerum iste prædicat, multa sollicitudine leuauit matres & nutrices, medicos & pædagogos, atq; ipsum adeo hominem, cui tam multa facienda sunt, ut quod natum est uitet casus & morbos, utque à morbo liberetur. Iam ante diem perire dicuntur, qui sibi mortem consciscunt uitæ tædio. Illud ænigmatis instar est, non operatur in nobis sine nobis, sed ideo nos creauit & seruauit, ut in nobis operaretur, & nos ei cooperaremur. An qui curat ualetudinem, nihil operatur? Quomodo igitur seruat nos sine nobis, & operatur non sine nobis? Verum si deus generali omnipotentia mouens uniuersa, sic operatur in homine, ut non impediat illius liberum

berum arbitrium, id quod profitetur Lutherus, ad mi-
lum dũtaxat, & in rebus humilioribus, quur hoc axi-
oma profert ad destruendum liberum arbitrium? Per-
git oraculum absoluere. Sic deinceps inquit, dicimus,
Homo antequam renouetur in nouam creaturam, re-
gni spiritus, nihil facit, nihil conatur, quo paretur ad
eam renouationem & regnum. Deinde recreatus, ni-
hil facit, nihil conatur, quo perseueret in eo regno,
sed utrunq; facit solus spiritus in nobis, nos sine nobis
recreans, & conseruans recreatos, ut & Iacobus di-
cit, uoluntarie genuit nos uerbo uirtutis suæ, ut esse-
mus initium aliquod creaturæ eius: loquitur de reno-
uata creatura. Sed non operatur in nobis sine nobis,
ut quos in hoc recrearit & conseruet, ut oparetur in
nobis, & nos ei cooperaremur. Sic per nos prædicat,
miseretur pauperibus, consolatur afflictos. Verũ quid
hinc libero arbitrio tribuitur? Imò quid ei relinqui-
tur, nisi nihil & uere nihil. Habes oraculũ dogmatis
magnificis sanè planeq; tragicis uerbis phaleratũ, ue-
rum hinc nihilo uerius. Hominem nihil agere quo na-
scatur ut uerum est, ita mirũ non est, si nihil agit qui
nondum est aut si infans in quo sepulta est uis animi,
plantulæ in modum, citra suam operam seruatur, præ-
ter naturæ sensum nihil habens, Sed falsum est, homi-
nem simpliciter agere nihil ad sui conseruationem,
quum eam curam à natura insitam, primum omnium

absoluat

absoluat ratio, priusquam contingat honesti & inhonesti discrimen. Nec est necesse, ut si qui ex impio fit pius, dicitur renasci, & iuxta Paulum fieri noua creatura, quoniam per metaphorã dicuntur, per omnia quadret similitudo. Tropus enim indicat uehemẽtem & insignem mutationem, quemadmodũ uulgo quoq; qui moribus sit in diuersum commutatis, eum alium hominem factum dicimus. Itaq; nec renascimur sine opera nostra, nec recreamur, nec conseruamur, etiã si fatemur, quod hic nostrum est, adeo pusillum esse, ut in supputatione summæ, totũ dei gratiæ sit asscribendum, præsertim quum hoc ipsum sit diuinæ beneficentiæ, quod natura nostrum est, aut etiam humana partum industria. Homo uelit nolit nascitur, Quis autem dicitur renasci uelit nolit? Qui nascitur, quatenus licet uult nasci, dum se naturæ ui mouet & inflectit ad exitum. At in renascentia adest uoluntas, quæ potest uelle aut nolle renasci. Sic Adam nihil egit quum crearetur: non enim erat, qui posset agere. At homo qui recreatur habet uoluntatem, quæ se poterat præbere gratiæ refingenti, aut reluctari gratiæ. Et iam recreatus habet liberam uoluntatem, qua possit agnoscens datam gratiam efficere, ut magis proficiat in gratia, possit rursus efficere, ut amittat donum quod acceperat, Quod multis accidisse legimus, eo q̃ abuterentur dei gratia. Porrò si quis urgeat similitudine, ne-

mo bis nascitur. Hic iterũ atq; iterũ renascitur homo. Nã Paulus iterũ parturit Galatas, donec in eis formaretur Christus. Quanq; aũt deus subito potest hominẽ aliũ reddere, tamẽ imitãs naturã paulatim fingit formatq; nouã spiritus creaturã: quẽadmodũ hoĩs rudimentũ primũ nihil aliud est, q̃ coagulũ, mox ritu plãtarum uegetatur & augescit, accedit dein sentiendi uis, tandẽ inditur ãia rationalis. His pactis quantũ ad huc tpis ĩtercedit, priusq̃ ingrediatur, loq̃tur, sapiat? Ac de spiritu renatis loquẽs Paulus dicit ĩteriorẽ hoĩnẽ in eis renouari de die in diẽ. Et scripturæ qđ interdũ appellant renascentiã & nouã creaturã, aliãs uocãt reformationẽ, renouationẽ, instaurationẽ reparationẽ: interdũ & reuiuiscentiã. Ineptum uero sit has metaphoras ex oĩbus urgere partibus. Non reformatur qđ non est, sed quod uiciatũ erat. Erat igitur liberũ arb. quod per gratiã instauratur. Quoties aũt reparatur id quod natura uim habet agendi, nõ mirũ si in renascẽtia et cõseruatione sui nõnihil agat cũ agente gratia. Quod aũt Iacobus dicit, uolũtarie nos genuit uerbo uirtutis suæ, nõ excludit in totũ uim liberi arb. sed excludit obligationẽ dei. Iudæi iudicabãt salutẽ hanc suis deberi meritis, Iacobus imputat benignitati diuinæ, q̃ peccatores & auersos p euangelij gratiã uocauit ad iustitiã. Sed quæ tandẽ illa sunt in qbus nos cooperamur dei gratiæ? Opa charitatis. Hoc opinor

nor sentit, quando dicit, Sic p nos prædicat, miseretur pauperibus. Iã primũ fatetur falsam esse Carolstadij opinionẽ, q docuit hominis uoluntatẽ in bonis opibus nihil aliud q̃ pati. Quod si gratia p arrogantiã ac negligentiã homis amittitur, utiq; p cõtraria seruatur. At in his ut ostendimus, nõnihil agit liberũ arb. eoq; Paulus hortatur Corinthios, ne in uacuũ gratiã dei recipent, ac de se gl'iatur, q, in ipso gratia dei nõ fuerit uacua. In uacuũ aũt recipiũt, q desunt ipsi gratiæ, uel dũ auersantur oblatã, uel dũ male utẽdo repellũt. Nihil hic moror stultã Lutheri cantionẽ, uerba hortãdi nihil ponũt. Falsum est igitur hoiem nihilo plus agere in cõseruatiõe sui, q̃ i creatione sui. Præterea ridicule imaginatur Lutherus, deũ sic recreasse per spiritũ hominẽ, quẽadmodũ faber extruit sibi domũ aut officinã, in qua exerceat artem, quũ deus in hoc præparet hominẽ, ut agat non solũ in eo, sed p eũ potius, quẽadmodũ princeps adolescentẽ magnæ spei curat diligenter erudiendũ politicis disciplinis, ut p eũ administret rẽpub. Postremo qd est hoc quod in homine coopatur opanti gratiæ? Nõne uolũtas hominis? Atqui hæc est quã nos dicimus liberũ arb. Voluntas enim uoluntas non est, si libera nõ est, Et si quãdo impeditur, naturæ tamen est libera. At Lutherus docuit liberum arbit. esse nomen sine re. Præbet se gratiæ, cooperatur gratiæ, subducit se gratiæ. Sed hæc negat aduersarius.

Hoc

Hoc igitur docere debuit, non asseuerare. Hactenus præter fortissimas asseuerationes nihil audimus.

204 Hanc autem collectionem terq; quaterq; putat insanam, Gratia cooperans auxiliatur homini conanti, ergo nonnihil agit hominis uoluntas, quod negat Carolstadius. Nullus enim dicitur auxiliari securi aut serræ quam agit. Et ut hanc consequentiam existimat absurdissimam, ita putat omnes similitudines, quas in hoc docendum profert Diatribe, æque absurdas esse. Ac uiolētus disputator argumentorū tela retorquet in miseram Diatriben, sic colligens, Gratia auxiliatur homini ad opus bonum, ergo nullum est hominis bonum opus. Non patitur idem opus dici dei et hominis, sed aut totum uult esse gratiæ, aut totum hominis, quum tamen ipse fateatur hominem gratiæ cooperari in bono opere. Si Latinis adiuuat qui fert opē nitenti quidem, sed uiribus haud sufficientibus, quoties in literis sacris mētio fit adiutorij diuini, toties colligitur hominem suis quoq; uiribus aliquid agere, nisi forte Lutherus proferet nobis nouam auxilij definitionem. Antea dixit, hoc hominem esse gratiæ, quod lutum figulo. Quæro an unquam fando auditum sit, figulum auxiliari luto? Et hic fatetur, hominem cooperari gratiæ. An lutum cooperatur figulo? Si idem ac totum opus commune est operantis & cooperantis, quæ tandem ista collectio, Vbicunq; est auxilium gratiæ,

gratiæ, ibi nihil est liberum arbitrium. Fatetur & illud, Omnia opera hominis posse esse bona, si fiant auxiliante dei gratia. Ad hæc, hominem nihil non posse auxiliante dei gratia. Sed ubi interim illud dogma, iustum in omni opere quamuis bono peccare, Et omnia hominis opera esse mala, etiam iustificati per fidem? Si homo per liberum arbitrium cooperatur auxilianti gratiæ, nimirum est aliquid, & operatur aliqd: cadit igitur illud dogma Lutheri, qui negat liberum arb. esse in rerum natura. Nec meminit interim, q̃ hanc insanam argumentationẽ nos docuit diuus Augustinus, cuius uerba sunt libro de gratia & libero arb. ad Valentinum cap. 4. Ergo & uictoria qua peccatum uincitur, nihil aliud est, quàm donũ dei, in isto certamine adiuuantis liberum arbitrium. Mox ita claudit, Hoc ergo s. liberum arb. gratia iuuatur, ne sine causa uoluntati eius iubeatur. Idem de correptione & gratia cap. 2. Aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant: & ad hoc eis ostenditur quid agere debeant, &c. Huiusmodi multa Augustinus in his libris, in quibus minimum tribuit libero arbitrio, atq; adeo penè nihil: Tribuit tamẽ actionem boni operis, & liberum arbitrium appellat. Vbi igitur non constat sibi Diatribas? Cœpit inquit, de liberi arb. ui scribere, & scribit de ui gratiæ dei. An hoc pfessus sum, me de libero arb. scripturum absq; mentione gratiæ?

Quo

Quo nam pacto id facias, quum id ipse Lutherus non posit, qui fatetur liberum arb. cooperari gratiæ. Ante gratiã quid ex se posit liberum arb. declarauí, cui plus tribuunt scholastici, quorũ opinionem præter alios satis ni fallor, propugnauit episcopus Roffensis. Vlle demonstrauit liberum arb. aliquid posse meris naturæ uiribus. Id quoniã Diatriba non susceptit defendendũ, impudenter à me exigit Lutherus: illos lacessat, et inueniet qui respondeant, Ego nihil tribui libero arbitrio, nisi q̃ se præbet gratiæ pulsanti, quod coopatur gratiæ opanti, & q̃ ab utraq; se potest auertere: semper excipio singularem dei uoluntatem, qui potest ex causis incognitis ui rapere uoluntatẽ hominis quocunq; uelit. Hæc eadẽ fatetur Augustinus, & tamen ponit liberum arbitrium, & illi tribuit actionẽ. Idem fatetur Lutherus. At ego pugno aduersus illud dogma, cuius toties obliuiscitur, quod in Vuicleuo damnatum probat, liberũ arb. esse titulũ sine re, quodq; toties repetit hominẽ uel in bonis uel in malis nihilo plus agere, q̃ agat securis in manu fabri. Diatriba sibi nusq̃ cõstat, Lutherus sibi constat, qui de eadẽ re toties mutat dogma suũ. Initio liberum arb. nihil ualebat nisi ad peccandum, in progressu nihil est omnino liberum arb. sed deus mera necessitate operatur et bona et mala in omnibus: & in eadem assertione, liberũ arb. dominatur in rebus dũtaxat inferioribus. Hic rursus ue-

luti re-

luti renatũ liberũ arb. coopatur gratiæ in bonis operibus, & illa auxiliãte potest omnia. Hæc est illius cõstantia, cui semp aliò diuertit Diatriba. Si nõest absurdũ dicere figulũ opitulari luto, ut fiat olla, & si puer adiutus ab alio mouẽs nauim nihil agit, clamet Lutherus hæc truncis ac lapidibus esse dicenda, non hominibus, & eruditis persuadeat hanc esse collectionem ineuitabilem, Est gratia auxilians hominis imbecillitati, igitur liberum arbitrium est nomen sine re. Bella uero est ratio quã adducit. Ad quid inquit confertur gratia? An ad hoc, ut superbia liberi arbitrij per se satis robusti, gratia uelut superfluo ornamento dicbus bacchanalibus gestiat ac ludat? Mira uero facetia. Si homo nihil habet boni, quod non accepit à deo, si liberi arb. uires sunt inefficaces, sine auxilio gratiæ, si hoc ipsum qd' potest, est dei donũ, unde tollet ceruicẽ aduersus deũ? Quod si sublato libero arb. premitur hoïs arrogantia, unde tãta insolẽtia in quibusdã, q fingũt se nihil tribuere lib. arbitrio? Et si nullũ est liberũ arb. quomodo hic dicitur satis robustũ? An gratia accedens libero arbitrio superfluũ erit ornamentum? Sed huiusmodi facetijs Lutherus reficit stomachum suum. Si quærat, quur deus uoluerit liberum arbitrium gratiæ cooperari, satis copiose causas exposuit Diatriba. Quoties prædicatur auxilium gratiæ, simul prædicatur impotentia liberi arbitrij,

fateor,

fateor, sed non continuo nihil est, quod sibi non suffi/
cit: nec ociosum est, quod licet actum agit. Lutherus
perpetuo sic ratiocinatur, non potest totum, ergo ni/
hil potest: non agit nisi cum auxilio, ergo nihil agit.
Et hæc est, ut ait, consequentia, quam nec inferorum
portæ subuertent. ● uirum fortem.

205 His ita dissertis, quemadmodum ante sannis et con
uitijs delassatus transilijt multa testimonia, quæ ex
Paulo potißimum protulerat Diatriba, sic & nunc
huiusmodi multa transilit, pauca scommata iaculans
in Diatribæ similitudines, quasi eas omne, ex se com/
menta sit Diatriba, ac nõ potius ex probatißimis scri
ptoribus, sacrisq; uoluminibus hauserit. ● Quanto sur
percilio risit id quod citarã ex propheta Zacharia,
Conuertimini ad me, & conuertar ad uos, quum ex
huiusmodi locis Augustinus fateatur statui liberum
arbitriũ, in tantum ut periclitetur, ne is locus faciat
pro Pelagio. ● Quibus ludibrijs inceßit uerba imperan
di? Et ex his congestis Augustinus serio colligit libe/
rum arb. ● Quàm deliciatus est in uerbis subiunctiuis,
Si quæsieris, si uolueris. At ille uir tantus ex his serio
fatetur declarari uoluntatis arbitrium. Et Diatriba
eadem, pferens aliquanto neruosius, ni fallor, ineptit,
insanit, temulenta est: Nec tamen ignorabat Luthe/
rus, unde hæc hausisset Diatriba.

206 Tandem præter naturam conatur tria bona uerba
dicere.

dicere. Credit me bono animo consulere, ut uel paulxillum relinquatur libero arbitrio, quo scripturæ pugnantes ut apparet, in cõcordiam redigantur. Si hoc bono animo consulo, ubi ille animus atheos, Luciani eus, irrisor sacrarum scripturarum, quem toto hoc opere toties exprobrauit. Hic à me requirit, ubi diuersa docuerit de libero arbitrio, Non circumagam illũ per diuersas lucubrationes, hoc seruum arbitrium & assertio declarant quod dico. Assertionem sic ingreditur, Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo, et dũ facit quod in se est peccat mortaliter. Hic tribuit libero arb. uim ad peccandum. In progressu scribit: Quomodo potest sese ad bonum præparare, quum nec in potestate sua sit uias suas malas facere. Sed apertius etiam aliquanto post. Vnde & hunc articulum necesse est reuocare, Male enim dixi, quod liberum arbitrium ante gratiam sit res de solo titulo, sed simpliciter debui dicere, liberum arb. est figmentum in rebus, seu titulus sine re, quia nulli est in manu sua quippiam cogitare mali aut boni, sed omnia de necessitate absoluta eueniunt. Rursus in eadem assertione, reuocat liberum arbitrium ita loquẽs: Ex supradictis abunde cognouimus, etiam iustos magno certamine contra suam carnem laborare ut faciant bonum, restitutq; eis liberum eorum arbitrium. In tibi restitutũ liberum arb. ad male agendum potens, quod ante ne-

garat. Hæc in unica assertione. Iam in seruo arbitrio, quoties asseuerat nullum esse liberum arbitrium, sed absoluta necessitate fieri omnia tum bona tum mala, hoc potissimum argumento, quod præscientia dei falli non possit. Et tamen concedit liberum arbitrium in rebus inferioribus, quasi quicquam omnino sit quod dei fugiat præscientiam. Alicubi docet liberum arb. nihilo plus agere, quàm agat securis in manu fabri, aut lutum in manu figuli: rursus hic confitetur liberũ arb. omnia posse auxiliante gratia. Alibi docuit, nullum esse opus hominis bonum quantumuis iusti: Hic fatetur omnia opera hominis posse esse bona auxiliante gratia. Aliâs docuit omnes res creatas esse contingentes si referantur ad deum, rursus idem docet omnia necessario fieri, eo quod deus ea operatur. Itaq; ex eodem fonte colligit omnium rerum contingentiam & necessitatem. Sic enim habet assertio. Nobis enĩ ad inferna spectantibus res apparent arbitrariæ & fortuitæ, sed ad superna spectãtibus omnia sunt necessaria. Quod si omnia pendent à uoluntate dei maxima pariter ac minima, ubi lib. arb. quod homini tribuit in rebus inferioribus. Et hic audio mi Erasme, quæ uerba blandientis
» sint an deridentis manum non uerterim. Nec enim tã delicati sum animi, ut huius ronchos pati non queam, quum id mihi sit cum probatissimis ecclesiæ doctoribus & orbis monarchis commune. Nec tam puerilis sum

sum ingenij, ut toto libro tot agitatus conuicijs, quot nullus unquam scurra iaculatus est in scurram, tribus uerbis deliniar. Non agitur hic priuatum negocium. Alioqui nihil esset facilius quàm sannas ac dicteria regerere. In publica fidei causa seponendi sunt affectus priuati, à quibus hic eo magis mihi temperandum est, ne uidear ulcisci dolorem meum potius quàm ecclesiæ causam agere. Tum Lutherus me suum uocet, si effecerit ut ipsum ecclesia Catholica posit suum dicere. Verum operæ precium est uidere, quantus sibi sit assentator. Decreuit agnoscere culpam, sed sic agnoscit ut culpa uertatur in summam gloriam, adeo nusquam potest sibi displicere. Quod autem uehementius egerim inquit, agnosco culpam. Qui tantis conuicijs debacchatur in caput hominis à quo nunquàm fuit læsus, uix agnoscit, quod paulo uehementius egerit. Verum hoc quoq; modestiæ putat esse nimium, eoq; mox corrigit, Si culpa est inquit, imò testimonium hoc mihi in mundo reddi in causa dei mirifice gaudeo. Atq; utinã & ipse deus id testimonij in nouissimo die cõfirmaret. Quis enim tũ beatior Luthe. q tanto sui seculi testimonio cõmendatur, quod ueritatis causam non sgniter nec fraudulenter, sed uehementer satis uel potius nimio egerit. Tum illud Hieremiæ feliciter euaserim, Maledictus qui facit opus domini negligenter. Hactenus ille. Hæc est culpæ confessio,

qua quid esse potest glorioſius? Quod teſtimoniū ha/beat in mundo norunt omnes. Si mihi perſuaſum eſſet illum dei cauſam agere, nullus eſt in orbe tam potens monarcha, qui me perpelleret, ut uel tria uerba ſcribe rē aduerſus eū, citius abirē in ignem. Et fieri poteſt, ut ego uel ob eruditionis inopiam, uel ob ingenij tar ditatem parum ſubtiliter iudicem de dogmatibus, ue rum hoc me docet certe ſenſus communis, fieri non poſſe, ut ſyncero pectore cauſam dei tractet, qui con/citatis tātis in orbe tumultibus, ludit ac deliciatur ſan nis ac dicterijs, nec unquam expletur: Nec ſtultitia ca rere poteſt tanta inſolentia, quantam adhuc in alio ui dimus nemine, nec cum apoſtolico ſpiritu congruit tā ſcurrilis petulantia. Imò hoc ipſum eſt dei cauſam ne gligenter agere, ineptis dicterijs iritare principes, ac doctos indecora uoce trotz. Iſta diligentia ſumma ſu it negligentia. Si uere diligens eſſe cupiebat in opere dei, Paulum oportuit imitari, qui quum eſſet in omni bus liber, omnium ſe ſeruum fecit, qui omnia fiebat omnibus, q per omnia placebat omnibus, qui nō quæ/rebat quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti, qui non ſeque batur quod licebat, ſed quod expediebat, qui abſtine/re iubet ab omni ſpecie mala, hortans ut Chriſtiano/rum modeſtia nota ſit omnibus hominibus, qui quum ſciret idolum nihil eſſe, nec idolothytum quicquam eſ ſe, tamen ſatius iudicauit nullas unquam guſtare car/nes, quàm

nes, quàm ut offendiculum daret euangelio. Idem totõ dit caput in Cenchreis suscepto uoto, peregit ritus solemnes, circuncidit Timotheum, remisit Onesimũ hero suo, uetuit ne uxor à marito, ne seruus ab hero Ethnico discederet Christianus, Iubet ethnicis magistratibus solui tributum, uectigal, honorem, & si quid aliud deberi uidebatur. Præcipit beneficentiã in omnes homines, præcipit episcopũ διδακτικὸν esse nõ πλήκτην, eumque uult adeo esse ἀνέγκλητον, ut bonum habeat testimonium, etiam apud alienos, Vxorem uertit in sororem, quũ liceret & habere & circunducere. Laborabat manibus, quum liceret de euangelio uiuere, nefas esse iudicauit hominibus eloq quæ didicerat raptus in tertium cœlum, sapientiam arcanã loquebatur inter perfectos, inter cæteros nihil sciebat nisi Iesum Christum & hunc crucifixum: breuiter apud omnes euangelium suum temperabat pro captu auditorum. Denique nihil non facit, ut currat euãgelium. Hæc est apostolica diligentia in opere domini: quam si Lutherus uoluisset æmulari, posteaquã negocium tam arduum susceperat, in primis circunspicere debebat, ne quid affectus humani resideret in animo, ne usquam dimoueret oculos à Christo, Tum cautum oportuit, ne uel species ulla mali præberet offendiculum infirmis, aut quenquã alienaret à causa pietatis: interim erat & à licitis abstinendum, & ueritas

erat pro ratione temporum & animorum capacitate dispensanda, ut quod paulatim irrepserat in mores hominum, sensim eximeret, quemadmodum antiquata est lex Mosaica, atq; interim quod prima specie durum erat, uerbis erat molliendum. Ante omnia uero curandum erat, ne quem in huius negocij consortium reciperet, cuius mores inuitarent quenquam ad euangelij blasphemiam. Si ex ipsius doctrina maritus comperisset uxorem magis sobriam, magis pudicam magis morigeram, Si herus famulum emẽdatiorem, fideliorem, dicto magis audiẽtem, si locator fabrum, uestiarium aut aurificem minus furacem, si conductor mercenariũ in præstanda opera syncerioꝛẽ, si emptor negociatorem ueraciorem, minusq; subdolum, si creditor debitorem, si depositor depositarium melioris fidei, si amicus amicum in omnibus integriorem, si magistratus ciuem, legibus obsequentiorem, si præceptor discipulum magis tractabilem, magnum argumentum erat futurum mei similibus imperitis doctrinam istam à spiritu dei proficisci. Simoni dixit Petrus, non est tibi pars in sermone hoc. Quale est euangelium quod recipit tales, quales nimium multos nouimus, quod agnoscit decoctorem, scortis, alea, comessationibus, ocio luxuq; perditum, nihilq; sibi non permittentem modo sibi nomen equitis possit affingere: & huius tituli ius esse putat, deludere creditorem,

& si

& si repetat mutuum pro hoste ducere, et quoties urget inopia, huic aut illi unde spes est prædæ bellum indicere, publicũq; latrociniũ belli nõine fucare. Prĩcipi ius non est indicere bellũ, nisi cõsilio adhibito. Et is qui pedem ubi ponat non habet, bellum indicit cuilibet. Ac talibus est locus in nouo Euangelio, quibus apud ethnicos in ciuitate moderata locus non esset. Hoc satis est, approbat mea dogmata, Quid refert de factis modo adsit fides? Fateor olim & tales recipiebat euangelium, sed resipiscentes, sed transformatos. Nunc quidam adeo non corriguntur per euangelium, ut potius uideantur deteriores, nec fit ut peccare desinant, sed ut peccent impunitius. Iã si quid erat corrigendum in moribus, aut immutandum in ritibus, id agendum erat ex autoritate magnatum aut certe ex consensu plurimorum, denique paulatim, neq; quicquam submouendum, ni prius paratum esset melius aliquid, quod in illius locum succederet. Nunc quidã sic rem aggrediuntur, quasi possint repente nouum orbem de repente condere. Nihil non displicet, constitutiones, ordines ecclesiæ, oleum, rasura, missa, cantus, tẽpla, imagines, uestes, scholæ, ceremoniæ, studia, litteræ. Quid aũt pulchri uidimus succedere? Nũq; tam bene fuit actũ cum rebus humanis, nec unquã agetur in hoc seculo, qn multa sint digna correctiõe, Verum ad quædam præstat conniuere, quædam cõdonanda

nanda sunt simplicium affectibus, quæ ferri non pos/ sunt, aut tolerari debẽt, si plus habitura uidetur discri minis tentata curatio, quàm habet ipse morbus, aut arte sensimq; corrigenda, sic ut non abijci, sed melio rum successione protrudi uideantur. Hanc moderatio nem si Lutherus adhibuisset, habuisset & principes, et episcopos, & ex monachis ac Theologis, quos nũc habet infensissimos, optimum quẽq; sibi fauentẽ, Hæc loquor fingens causam esse per omnia talem, qualem uideri uult Lutherus. Profitebatur enim sese ecclesiæ collapsos mores, ac nonnulla dogmata magis ad com moditates hominum quàm ad Christi gloriam facien tia reuocaturum ad synceritatem. Hoc negocium iam olim suspirabant optimi quiq;, sed quoniam perspicie bant nisi deus afflasset animos principum, sine graui publicæ tranquillitatis concussione tentari non posse, optabant potius quàm sperabant: quod summo quidẽ orbis applausu Lutherus aggressus est, sed ita se ges/ sit, quasi seditionem quam in primis uitatã oportuit, affectasse uideatur. Nunc non libet cõmemorare qua/ les habeat plerosq; discipulos, illi satis est, quales qua/ les sunt quod approbant ipsius dogmata. At Pau/ lus ne cibum quidem capi uult cum fratre, qui nomina tur auarus, aut scortator, aut maledicus. Certe istorũ multi ad publicam tranquillitatem adco sunt inutiles, ut Turca quoque feratur Lutheranorum nomen exe crari,

crari, seditionis odio, quum Christianos toleret, ab ipsius dogmatibus alienos. Quid hic commemorem, quanta inter euangelistas, sic enim ipsi se uocant, dissensio, quàm atrox odium, quàm amarulenta contentio, imò quanta inconstantia, quum ipse Lutherus toties mutarit sua placita, & subinde noua paradoxa suppullulent. Post prophetas anabaptistas, exorti dicũ
tur apud Bohœmos, ad quorum comparationem horum opinio pia uideri queat. Nec ullus est finis, semp posterioribus, contra quàm habet græcorum prouerbium, deterioribus. Adde nunc in docendo, molestiã, inciuilitatem, arrogantiã, amarulentiam. Si uera sunt quæ scribit Augustinus de libero arbitrio, minimũ est quod potest. Ast hoc quod ab Augustino dictũ ecclesia cũ fructu legit, Luther. uerbis atrocibus et hyperbolis reddidit odiosum. Nomen sine re, Necessitas absoluta rerum omnium. Cæcutierunt omnes ecclesiæ doctores, & quasi hic parum sit odij, addit & inculcat damnata nomina, Vuycleui, & Hußi. Quũ Am-
brosius, Chrysostomus & Hilarius ab Origenis Didymi, & Apollinaris nominibus temperent, quod non carerent inuidia. Mitto interim, sannas, ronchos et dicteria plusquam scurrilia, etiam in orbis monarchas. Fingamus esse pium eorum imbecillitati succurrere, qui uel in sacerdotio uel in monachismo continere nõ possunt, præsertim si quos adolescentes ac rerum im-

peritos, uel parentum aut tutorum improbitas, uel uis aliqua, uel alius quispiam casus in hoc uitæ genus detrusit uerius, quàm induxit animi uolũtas. Primum is qui hoc docere parabat, debuit ab eo temperare, quod alijs indulgendum putabat: deinde summa circunspectione res erat tractãda, ne dum paucis auxilio dignis subuenire conatur, multos multasq; stantes pertraheret in ruinam. Tam prona est hominum ad ea quæ carnis sunt procliuitas. Si Lutherus nihil nisi pium docuisset, idq; fecisset constanter & grauiter, cum apostolica mansuetudine, nusquam in scriptis dans animi carnis affectibus corrupti significationem, suosq; discipulos sic instituisset, ut illorum moribus doctrina cõmendaretur omnibus, tum poterat nobis prædicare suam in opere domini diligentiam. Verum est natura uehementior. Si uehemẽs esse uolebat, habebat Paulũ tonantẽ ac fulminantẽ, Iste deliciatur ac ludit, crebro scurriliter, semper glorioſe. Ad quid ualet ista petulantia? ut etiam si qua recta sunt, fidem non inueniant, & bona sententia secus quàm oportet prolata displiceat. Ne quid interim loquar de uersuta quadam uafricie, quam aliquoties scripta hominis resipiunt. Postremo qualis est hominis animus, talem uidemus successum: Omnia spectant ad cruentos tumultus, & interim ille uelut ociosus ludit facetijs. Iam petulantia qua debachatus est in Diatribam, displicet etiam illis quos habet iura

bet iuratißimos. Et ſanè modeſtus homo culpam agnoſcit, ſed mire extenuans. Si uero inquit, & in tuam Diatribam acerbior uidebor, ignoſces. Primum dubitat an uideatur acerbus, imò acerbior, hoc quoque ὑπερβολικῶς, quum hactenus in neminem debacchatus ſit effrenatius. Sed commouit hominem grauis cauſa. Quæ? Quod Diatriba uehementer premebat cauſam Chriſti, non eruditione, quæ nulla eſt, ſed autoritate. Rideo prætextum autoritatis, quam ego nullã agnoſco. Ergo ut mihi detraheret autoritatem, ipſi ſcurræ perſonam ſibi ſumendam exiſtimauit. Atqui rectius cõſuluiſſet & cauſæ & autoritati ſuæ, ſi rem ſerijs argumentis tractaſſet: Nunc ſi ronchos, cõuicia, glorias operi demas, uix quarta uoluminis pars remanſerit. Apud quos autem uolebat mihi detrahere conuicijs autoritatem? Apud ſuos? Iam iam olim æquo poſui animo. Apud graues & eruditos uiros? Apud hos autoritatem mei nominis ſi qua unquam fuit auxit. Si grauatur autoritate, quur obmutuit academiæ Pariſienſi, quæ publica autoritate damnauit ipſius dogmata? Quur mutus eſt in Roffenſem epiſcopum, cui plus autoritatis conciliat uitæ ſanctimonia, quàm uel eruditio uel muneris dignitas? Vnius Diatribes autoritatem ferre non poterat. Quàm hæc nullam habent ueri faciem. Sed obſequendum erat Thraſybulo fidißimo amicitiæ ꝓditori, et ipſius ſimillimo Aſtæo.

Nec

Nec erat difficile tale plaustrum percellere, quo natura propensissimum est. Cæterum quum insectãs alios, ex musca soleat elephantem reddere, miris delicijs omnia sua ὑποκοριζόμενα mala, si quid tamen est mali, ac non potius summa uirtus. Quis inquit sic temperet stilum ubiq;, ut non alicubi ferueat? Tu qui præ modestiæ studio pene friges in tuo libro, tamen non raro ignita & amarulenta tela iacularis, ut nisi lector multum æquus ac fauens sit, uirulentus uidearis. Sed hæc nihil ad causam, qui inuicem libenter condonare debemus, ut sumus homines, & humani alienum in nobis nihil est. Hæc ille. Quum nemo rabiosius scripserit Luthero, uult tamen hoc sibi cum omnibus scriptoribus esse commune, quod alicubi parum temperarit stilo, sed tamen hoc ipsum proficiscitur à simplicitate ingenij, et zelo causæ diuinæ, cui mire affectus est. Deinde quum in Diatriba tanta sim usus moderatione, ut plerique iudicarent esse collusionem non conflictationem, tamen dit inesse tela quædam, ut uirulentus etiã uideri possim, ni Lutherus esset uchementer æquus ac fauẽs qui boni consuluerit omnia, uidelicet hoc agẽs, ut agam etiam gratias, quod tam placide tamq; amice tractarit Diatribam. Quod ni fuisset homo candidus ac fauens, immane quantam conuiciorum lernam effudisset, quum nunc fauens & candidus & ex animo amicus toto hoc libro tribuat mihi summã omnium

mnium rerum inſcitiam, ſtuporem ingenij ſummum, obliuionem, incogitantiam, oſcitantiam, ebrietatem, lethargum, inſaniam, leuia ſunt iſta, Epicureum animum, Lucianicum, hoc eſt ἄθεον qui credat nullũ eſſe deum, irriſorem diuinarũ ſcripturarũ, blaſphemum in deum, & hæc ſubinde recinuntur, usq; ad tædium etiam ipſius, niſi quod mox reuigeſcit maledicendi libido. In Diatriba non uideo quid poſſit offendere, niſi quod de miraculis agens, negat quenquam iſtorũ ad huc extitiſſe, qui ſanarit equum claudum, nec hoc tamen dictum eſt in Lutherum proprie, ſed in quosuis eius conſpirationis. O delicatum ingenium, quod tantillum ioci ferre non poteſt, ac uix bene penſatum existimat, tot maledictis, tot irriſionibus, quibus totus illius ſcatet liber. Cõdonemus inquit nobis uiciſſim Quid hac philautia ſuauius? Perinde quaſi ſi q̃ eum à quo conſperſus fuerit aqua, in cœnũ puoluerit, fuſtibus contuderit, uulneribus enecarit, ſatiatus uindicta dicat, Condonemus nobis inuicem, humani nihil alienum eſt à nobis, Et hic demum incipit agnoſcere hominem, quum aliâs agatur ſpiritu dei, quem nusquam orat ut accipiat, ſed ut uberius accipiat, nobis precans ut illuminemur, fiamusq; uaſculum honorificũ. At ſi tanta eſt animi teneritudo, ut equi claudi dictum ferre non poſſit, unde tanta lenitas in alios, à quibus alijs tractatur modis, alijs ornatur titulis? Et ſi diatribam

mode

modestiæ studio frigentem ferre non potest, quomodo tulisset suos proferentem aculeos? Sed fratres illi persuaserant Erasmum esse homunculum tenui spiritu, formidolosum, mox emoriturum ad ista conuiciorum
» tonitrua. Nisi me publicæ tranquillitatis respectus cohiberet, sentiret quàm timidum homunculum prouocasset. Promittit sibi mirificam apud posteros memoriam. At ego potius auguror futurum, ut nullum nomen sub sole fuerit unquam execrabilius Lutheri nomine, & apud papistas & apud antipapistas. Mundi principes, huic mundo deditos iritauit, causam emendādæ disciplinæ ecclesiasticæ, cui fauebant optimi quiq; sic exulcerauit, ut & aduersariorum uires auxerit, & malum reddiderit immedicabile, quod ni deus uelut è machina succurrerit nunquam sopietur, nisi maxima Christiani sanguinis effusione. Primicias iam uidimus in rusticis. Et hoc statu rerum ille ludit dicterijs in quos lubitum est. Erat aliud quod illi mouit stomachum in Diatriba. Quid? Quod Philippi sententiam ipsius suppresso nomine taxarim. O non ferendā uirulentiam. Nunc libellis germanice scriptis obijcit ingratitudinem, quod taxarim Vuilheylum. Est ne quis quā hoc nomine? Si nullus est nec fuit, nullius est à me nomẽ proditũ, et tamen illi quisquis fuit nihil debeo, multũ ille mihi. Fuit amicus, sed illius unius amicitia, plus attulit mihi malorum q̃ multorũ inimicitia. Hoc

satis

satis est de mortuo. Puto Ionam nõ esse tam improbũ, ut iactet sua in me officia. Visus est olim mihi uir sano placidoq; ingenio, priusq; Lutheri spiritu esset affla/tus, qualis nunc sit nescio. Nec aliud queri de me po/test, nisi quod eum differẽtem aduersus Fabrũ, Luthe. exemplo nimium admiscuisse cõuiciorum scripsi. Hoc etiam si tacuissem, liber æditus arguebat. Hæc admo/nitio erat, non insectatio. Quod aũt habet argumentũ querimoniæ? Nimirũ graue seriũq; sit oportet, quod ingeniũ tã mansuetũ exacerbarit. Quũ Diatri. prodis/set, adeo nõ aculeata, ut ipse Luth. fateatur eã præ mo/destiæ studio frigere, Et tamen ille dira spirãs appara/bat cruẽtũ calamũ, suo more tractaturus Erasmum, ni duo quibus plurimũ tribuebat restinxissent hoc in/cendiũ, Guilhelmus, et doctor Ionas, quorũ uterq; ma/gnis precib. agebat, ut moderate placideq; respon/deret, allegantes canicie ac senectutẽ meã honorificã ac ueneratiõe dignã, meq; laudib. prsum angelicis in cœ/lũ uehẽtes. Hæc ut ait, cogebatur nõ audire modo ue/rũetiã credere, quũ longe aliud illi loqueretur apolo/gia qua respondi Fabro Stapulensi: nã hoc ulcus iã olim obductũ refricare conatur, quũ incolumi amici/tia inter Fabrum ac me cõstiterit illa cõcertatio. Sed aliquis illi lætũ sed uanum nunciũ attulit Fabrum ab ipso stare. Hinc illæ lacrymæ. Hominis humanitatẽ spe/cta, tantum tribu it duobus amicissimis Vuilhelmo et

Ionæ,

Ionæ, ut Diatribæ, quæ nihil aliud quàm cõferebat, tã ta modestia tantaq; mansuetudine responderit, quan tam uidemus in hoc libro cui nunc respondeo. Non est meæ ciuilitatis hic recitare litteras quas mox edi to libro priuatim ad me scripsit, in quibus hoc agit, ut ipsi gratias agam, quod tam amice candideq; me tractasset, longe aliter scripturus, si cum hoste fuisset res. Quod unquam ingenium sic sibi placuit? Et hæc rursus admiscet, redditurus rationem quare scripserit regi Anglorũ, offensam deprecãs. Hoc imputat Chri stierno regi Daniæ, alterum Guilheylo & Ionæ. Bella comparatio. Esto fuerit Danorum rex autor, ut litte ris placaret regis animum in cuius nomen tam scurri liter fuerat debacchatus, Num etiã hoc suaserat, ut sic tractaret eum quem sciebat regi charissimũ esse? Hic non solum Christianam modestiam, uerumetiam pru dentiam uulgarem in Luthero desiderare cogimur, Et hæc Lutherus germanico sermone spargit per or bem, tametsi leuius cõmoueor his insectationibus, q̃ inuidiosis laudibus. Quæ res hortabatur, ut eiusdem libelli initio, meam eruditionẽ partibus infinitis præ ferat, eruditioni regis Angliæ, cum omnibus ipsius sciolis? Sic enim ille loquitur. Quid hic inquam erat causæ, ut me conferret regi ac doctis Angliæ, potius quam Bilibaldum, aut Budeum, aut Leonicenum, aut alium quemuis è turba scriptorum. Rex latine scripse

rat,

rat, nec illic ulla syllaba fiebat mei mentio, nec quicq̃ inerat quod ad me pertineret, illi respondendũ erat latine: & hic omisso rege concionatur saxonice, ex abrupto miscens Erasmi nomen, in lente, ut aiunt, unguentum, καὶ ὀυδ᾽ὲμ πρὸς τ̃ διόνυσομ. Non enim puto hominem esse tam stultum, ut existimet me talibus laudibus delectari. Verum illud affectauit, ut mihi apud Britannos, apud quos habeo constantißimos ac syncerißimos amicos conflet inuidiam. Quid rex posßit eruditione, libris æditis declarauit. Quod attinet ad sciolos, non arbitror ullam esse prouinciã, ex animo loquor, quæ pluribus insigniter eruditis uiris abundet in omni litterarum genere, quãquam pauci suas euulgant lucubrationes. In hoc numero nemi-nem noui tam mediocrem, cui merito posßim eruditione conferri. Verum his de rebus nimiũ. Ob hæc id potißimũ attigi, ut intelligant qui pro oraculo ducunt quicquid scripserit Lutherus, cui spiritui credant salutem animarum suarum.

Posthæc instaurat triumphum, iacet prostrata Diatriba, tot confossa uulneribus, nec solum saucia telis hostilibus, uerumetiam omnia tela, quæ miserat in hostem in ipsius uitalia retorta sunt. Et tamen uictor producit alteram aciem, sed ad triumphum uerius quàm ad pugnam. Quis enim pugnare dignetur aduersus cadauer exanime? Non producit tamen totam aciem. 207

Infinitum id quidem, quum singuli apices & litteræ stent pro ipsius dogmate, Agnoscis lector hyperbolen. Paulum duntaxat & Ioannem euangelistam producit, in quibus declarabit, quantum ualeat in torquēdis scripturis, si in cæteris quoque uires suas ostentare uoluisset. Verū an his respōdere meum sit nescio. Nam Diatriba potissimum susceperat certamen cum duabus opinionibus, quarum altera dicebat liberum arbitrium per se nihil posse nisi in malū, in bono operare nihil agere, sed tantum pati, altera quæ erat Lutheri, dicebat, inane nomē esse liberum arbitrium, nec in bonum quicquam posse nec in malum. Iam sæpius testatus sum scholasticorum opinionem quod liberum arb. suis uiribus possit promereri saltem de congruo, gratiam iustificantem, me nec probare nec improbare: procliuior tamen ad probandum quàm ad improbandum. Augustini sententiam defendi, quæ docet liberum arbitrium esse quidem in homine, sed ob peccatum inefficax ad gratiam iustificantē, nisi gratiæ præsidio iuuetur. Verum idem ponit in homine uoluntatē & conatum sed inefficacem, ponit gratiam pulsantē, quæ nondum iustificat, & ex consequenti ponit statū hominis medium, quasiq; trāsitum, quo iam nec inter impios, nec inter iustos numerari potest, sed uersatur adhuc ut ita loquar, inter gratiæ materiam macerantis manus. Ait enim, desiderare gratiam, initium est gra-

est gratiæ, At multi desiderant gratiam, qui uiuunt in peccatis. Hoc autem tribuit libero arbitrio, quod se potest ab oblata gratia auertere, potest sese illi præbere, potest se iam adeptæ subducere uel negligentia, si non agnoscat donum, quod in usuram accepit, uel arrogantia, si sibi tribuat quod dei est. Non enim patitur Augustinus, ut ex bonis ullam sibi portiuncula arroget homo, quum hoc ipsum quod potest liberum arbitrium sit dei donum. Bonum appellat opinor, quod reddit hominem beatũ. Sunt enim uaria bonorũ genera. Existimat aũt hominis uolũtatẽ actam agere in bono ope, hoc est gratiæ cooperari. Iã si Lutherus dirigit aciem in eos, qui docent lib. arb. meris naturæ uiribus pertingere ad gratiam iustificantem, cũ alijs illi res est nõ mecũ. Sed spectemus hanc aciẽ. Paulus inquit ad Romanos scribens sic ingreditur ad uersus liberum arb. pro gratia dei. Statim quod sumit falsum esse docuimus. Aliud enim illic agit Paulus, nimirum ut retundat philosophorum arrogantiam, qui ueluti perfecti contemnebant dei gratiam. Quod si Lutherus qui toties dixit nullum esse liberum arbitrium, sed absoluta necessitate fieri omnia, hic persuadere nititur, liberum arbitrium absq; gratia non sufficere ad salutem, me quidem habet assentientem. Neq; enim gratia pugnat cum libero arbitrio, sed adiuuat imbecille, & ex utcunque libero facit liberius.

Sed age qd tandē ait Paulus? Reuelatur ira dei de cœlo, super omnem impietatem et iniusticiam hominū, qui ueritatem dei in iniusticia detinent, Hunc sermonem uult hic esse generalem uel uniuersalem potius, Primum ut ad omnes homines pertineat, deinde ut accipiamus quicquid egerunt uel gentes uel Iudæi absq; fide in Christum, fuisse impium ac damnabile, quum ea quæ sequuntur apud Paulum declarent hæc ad gentes pertinere: Quia quod notum est dei, manifestum est in illis. Inuisibilia enim illius à creatura mūdi, etc. Verum hoc non ita magni refert. Quāquam ante docuimus hæc crimina quæ Paulus refert, non competere in omnes gentes, sed genus hominum accusari, non singulos homines, & plerosq; tales fuisse, ut paucorum exceptio non impediat generale proloquium, quod frequenter accidere in scripturis multis exemplis docent, Origenes Ambrosius & Augustinus. De altero mox uidebimus. Interim nullum non mouet lapidem, ut ex propositione indefinita faciat uniuersalem. Hic inquit, ego dico apud Paulum idem ualere, si dixeris super omnem impietatem hominum, atque si dixeris, super impietatem omnium hominum. Hebraicatur enim Paulus ferè ubiq;. Hoc dicit Lutherus sed solus. Vide uero unde petat suppetias, ab idiomate Hebræorum. Et Latini nonnunquam ponunt hominem pro omni homine, ut quum dicūt homo est animal ra-

mal rationale mortale. Verum quoniam id nec apud Hebræos nec apud nos perpetuũ est, infirmum est argumentum Lutheri. Sed finge Paulum dixisse, omniũ hominum, quid hoc ad uniuersalem propositionem, quum astringat illam id quod sequitur, eorum qui detinẽt ueritatem dei in iniustitia, Hoc tametsi quadrat in philosophos turpiter uiuentes, non tamen quadrat in omnes ethnicos, quorũ multi simpliciter errabãt, ignari ueritatis, quam nouerant philosophi. Alteras suppetias petit ab articulo græco. Non est inquit græce, eorum qui detinent, sed hominũ detinentiũ, ut hoc sit uelut epitheton omnium hominum, sicut quũ dicitur, pater noster qui es in cœlis. Hæc ille. Si articulus græcus separat patrẽ cœlestẽ à patre terrestri, & hic τῶν κατεχόντων discernit eos philosophos, qui ueritatem cognitam detinent in iniusticia, ab his qui non detinent, quod annotauit Origenes, ubi est igitur proloquiũ uniuersale? Probabile est à morte Christi multos Iudæos fuisse seruatos, qui non expresse credebãt Christum deum & hominem natum ex uirgine, sedere ad dextram patris, quum hæc nondum essent satis prædicata. Sufficiebat illis illa qualiscunq; pro tempore fides. Quid si inter gentes quoq; fuerunt, quorum fidem approbarit deus? Credebant enim quidam deũ esse mentem summam, æternam, omnipotentem, incõprehensibilem, qua nihil melius maiusue possit cogi-

tari, creatricem, & gubernatricem rerum omnium, remuneratricem pietatis, ultricem impietatis. Nec enim refert, quo nomine illam appellarint, mũdum, naturam, Iouem, aut alio quocunque nomine, ut dei bonitas supplerit quod naturæ uiribus erat diminutum. Hoc interim disputandi gratia duntaxat dictum esse uolo: tametsi Diuus Ambrosius in libris de uocatione gentium non semel arbitratur, dei prouidentiam nulli ætati, nulli genti, nulli hominum defuisse ad salutẽ. Quod autem ira dei dicitur reuelari, non huc pertinet, quod nullus ante euangelium nouerit deum ultorem malefactorum, quũ apostolus de philosophis scribat, Qui quum iusticiam dei cognouissent, &c. sed qđ oblata cunctis gratia iam apparerent inexcusabiles, qui tantum donum oblatum contemnerent. Ridiculũ est autem quod colligit Lutherus, reuelatur ira, ergo nemo nouerat se dignum ultione. Reuelatur prædicatione clarissima per uniuersum orbem, reuelatur adepta omni excusatione, uel ignorantiæ uel desperationis, quum antea complures ignorarent se peccare, nonnulli crederent non esse deum, nec animas superesse corporibus.

Iam ut hæc ad omnes pertineant qui non credebant euangelio, non statim sequitur quod in homine præstantissimum est esse impietatem. Vt enim demus morales uirtutes non sufficere ad euangelicã iusticiã absq;

absq; fide, non tamen impie faciebant honorando parentes, diligendo liberos & uxores, subleuando pauperes, ægrotos & afflictos, quod multi non ob aliud faciebant, nisi quia per se erat bono uiro dignum, & sibi uellent eadem fieri, si similis incidisset casus. Hos citius inuenisses apd' idiotas, quàm apud philosophos, si Satyris illorum credimus. Iam nõ ideo summa uis animi quá deum nouerunt, quáq; quid honestum esset perspexerunt & appetierunt erat impia, si plerique corrupti carnis affectibus, prolapsi sunt ad turpitudinem. Nec ideo caruerunt libero arbitrio, quia abusi sunt libero arbitrio. Largiamur autem quod affectat Lutherus omnes & Iudæos & gentes fuisse impios priusq; crederent euangelio, quod est falsissimũ, quid hoc aduersus nostrã opinionẽ? An ubicũq; peccatũ est ibi nullũ est lib. arb. quum Augustinus etiã Pharaoni nõ adimat lib. arb. sin hoc agit ut doceat lib. arb. uires nõ sufficere ad salutem absq; præsidio gratiæ, me quidẽ ut dixi habet assentientem. Verum ante sufficiẽter prædicatam euangelij gratiam sufficiebat Iudæis illa confusa fides in Christum, quæ nõ sufficiebat euangelij luce iã coruscante. Fortasse tales reperiebãtur et inter gentes. Et hinc illud Iudæorum scandalum, ac gentium contemptus. Ita exoriens euangelij lux, fecit ut qui prius erant iusti, iam non essent iusti, nisi crederent euangelio. Atque hoc Paulus uocat reuelari

iram de cœlo super omnẽ impietatem. Sic autem ira reuelata fuisset etiam super multos Iudæos quos nunc habet cœlum, si non credidissent euangelio prædicato, quum ut est probabile multa ignorarint uera, quæ patefecit euangelium, ueluti de natura diuina & humana iuncta in eadem hypostasi, de filio patri homusio, de spiritu sancto deo ex utroq; procedente, de partu uirginis, de resurrectione, de ascensione, de consessu ad dextram patris, de corpore & sanguine sumendo in Eucharistia, deq; reliquis ecclesiæ sacramentis. Ad hæc sicuti qui iustus dicitur nõ statim uacat omni uitio, ita qui dicuntur iniusti, non ita dicuntur iniusti, ut nihil habeãt boni, sed quod magnis multisq; criminibus obnoxij sunt. At Lutherus sic colligit, egent iustificatore, ideo quod habent optimum, impium est. Huiusmodi hyperbolis delectatur. Iam torquet & illud, in cogitationibus, quod græce διαλογισμοῖς, quæ uox uidetur esse ratiocinantium. At Paulus non damnat in illis, quod male ratiocinati sint de deo, cuius sempiternam diuinitatem erant assequuti, sed qđ affectibus corrupti, cognitũ deũ nõ ut oportuit colue runt. Quemadmodum Seneca deridet cultũ deorum, quem tamen obseruãdum putat, non quod esset pius, sed quia leges publicæ fieri iuberẽt. Nec ideo nulla est ad bonũ ppensio, si ratio cupiditatibus obruitur absq; gratia. Atque interim sibi non constat Lutherus.

Quo-

Quoties negauit esse ullum conatũ ad honesta? Quod & hic iterat, tamen uelut oblitus sui, dicit hic, quum fieri non potuerit, quin aliquot inter Iudæos & gentes summa ui liberi arbitrij egerint & conati sint. Nec sequitur, ille conatus absq; gratia fuit imperfectus, ergo fuit impius.

Porrò quod Pauli testimonium, Omnes declinauerunt, &c. torquet ad omnes Iudæos, ostendimus in singulos non posse competere, sed hæc in genere dicta esse, quod plerique tales essent ante Euangelium, id quod patuit in persequendo Christum. Lutherus excipit illos, qui erant in spiritu. At tales erant & inter Iudæos ante uulgatum Euangelium, & fortasis inter gentes, quando Mosi lex quoniã non erat omnibus data non obligabat omnes, nec ab his exigebatur exacta fides omnium articulorum, quæ requirebatur à Iudæis, sed exactior à Christianis. Nam Lutherus hunc Pauli locum applicat ad uniuersum genus mortalium, quum sacri doctores affirment dictum proprie in Iudæos, quos per legis uerba coarguit, ne putarent hæc ad gentes pertinere. Quod autem hæc in Iudæos dicantur, duplex adferunt argumentum: alterũ quod gentibus in propria causa exprobrarit, quæ hic dicit in Iudæos, nimirum cap. 1. alterum quia Paulus subnectit, Scimus autem quæcunq; lex loquitur, ijs qui in lege sunt loquitur. Verum inquiet, si hæc 213 22

quadrant in Iudæos, multo magis quadrabunt in gentes, sine lege, sine deo uiuentes. Num igitur uult hæc omnia dici in uniuersum hominum genus, nulla prorsus exceptione facta? Dicat igitur, quo tempore prospexit deus: Ante legem, an sub lege: ante proditum Euangelium, an post? An semper prospiciens ea loquitur, quæ refert Paulus? Atqui ante legem fuit Abel, Enoch, Noe, Melchisedec, Iob, in quos hæc uerba nequaquam competunt. Sub lege multi iustitiæ titulo prædicati sunt, de quibus testatur scriptura, quod in toto corde deum exquisierint, Velut hic ipse Dauid, In toto corde meo exquisiui te: ne repellas me à mandatis tuis. Absit autem, ut hæc uerba congruant in totam Christi Ecclesiam. Hieronymus cæteriqúe probatiores huius psalmi uaticinium arbitrantur ad id tempus referendum, quo passus est dominus, quum adeo declinarant omnes, ut ipse etiam apostolorum princeps dominum abiurarit. Quanquam nec in hos, aut Nicodemum, alioqúe discipulos ac discipulas domini competunt hæc tam atrocia, quæ hic dicuntur. Siquidem in hac historia refertur mulierularum pietas, quæ parabant aromata, nec omnes Iudæi blasphemias iaculati sunt in Iesum, nec omnes consenserunt in necem innocentis. Ne quid interim memorem de Iudæis procul habitantibus, ac per orbem terrarum sparsis, & ignaris quid Hierosolymis age-

mis ageretur. Itaque ut demus hæc ad Iudæos esse referenda, non possunt in omnes quadrare, quum in eodem psalmo legatur, Qui deuorant plebem meam, sicut escam panis. Qui conuenit, ut plebs dei dicantur, in quos ista tã atrocia cõpetant, quæ nec in ethnicos omnes unquam dici potuerunt? Adde quod ipsum psalmi exordium indicat hæc non in uniuersos homines, sed in impios dici, Sic enim incipit: Dixit insipiens in corde suo, non est deus. Quanquam mox in prospectu dei, mutatur numerus, & additur signum generalitatis, Omnes declinauerunt: simul inutiles facti sunt. Christus tum aggressus est satanæ tyrannidem, quum is maxime regnaret in mundo. Quod si ne tum quidem hoc uaticinium competebat in omnes mortales, nullum fuit tempus, quo potuit in omnes dici, iuxta Lutheri interpretationem. Quod si iuxta Ambrosij doctrinam, generalem sermonem referimus ad unam totius generis partem, ut omnes dicantur declinasse, qui uacabant dei spiritu, nihil agit Paulus hoc testimonio, qui conatur ostendere, mortales uniuersos peccasse, & egere gloria dei, quæ per Euangelij gratiam aperiebantur. Iam quando constat hoc testimonium è diuersis scripturarum locis contextum esse, hi uersus, Sepulcrum patens est guttur eorum,

Linguis

Linguis suis dolose agebant, non dicuntur à deo prospiciente super filios hominum: sed à propheta aduersus pietatis inimicos. Porrò non omnes esse tales declarant quæ sequuntur, Et lætentur omnes qui sperant in te domine. Rursum quod sequitur, Venenum aspidum sub labijs eorum, in eosdem dicitur, nec in omnes competere, declarat quod sequitur: Verum tamen iusti confitebuntur nomini tuo. Proxima particula sumpta est ex psalmo nono, ubi numero singulari dictum est, Cuius os maledictione plenum est: & ibi mentio fit iustorum, quorum desiderium exaudiuit dominus. Vltimus uersiculus, Non est timor dei ante oculos eorum, est in principio psalmi 35. numero singulari, Dixit insipiens in semetipso: non est timor ante oculos eius. Nec hæc dici in uniuersum hominũ genus, declarant illa eiusdem psalmi, Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. Qui in medio sunt tres uersiculi sumpti sunt ex Esaiæ cap. 59 In quo deus exprobrat populo suam malitiam, non quod tales essent nati, sed q̃ praua uoluntate recessissent à domino. Nec cum alijs expostulat, q̃ cum Iudæis. Cæterum Hieronymus indicat, ab his uerbis, Sepulchrum patens, usq; ad illa, Non est timor dei, quod in medio est psalmi 13. apud Hebræos non haberi, sed à studioso quopiam adiectum ex Pauli citatione, qui suspicatus sit in psalmo deesse, quod alijs ex locis erat

eis erat attextum. Quum hic apostolus ex locis tam diuersis contexuerit testimonium, quum bis mutato numero, quod in unũ dictum est, torserit in omnes, tamen Lutherus miram excitauit tragœdiam, q. Diatriba dixerit, aliquoties apud hunc magis pugnare testimonia, quàm suis locis, quod tamen in apostoli laudem dictũ est, qui scite gnauiterq; pugnet scripturis. Sed ut ad rem, si totus hic locus, ut uult Lutherus, ad uniuersum hominum genus pertinet, quid faciemus de tot uiris diuino testimonio cõprobatis, quibusdam etiam in utero sanctificatis? Deniq; quid faciemus Ioanni baptistæ, qui propheta fuit antequam natus? Si tantum refertur ad eos qui erant in carne, nondum renati spiritu, qui cohærent quod sequitur, ut omnis mundus subiectus fiat deo. Constat enim hic mundum dici, non tantum mundo deditos, uerum uniuersum mortalium genus à mundi primordijs usq; ad finem. Et Origenes dubitat, an sermo pertineat etiam ad angelos, tantum abest, ut quenquam excludat hominem. Rursum si ad uniuersos pertinet, an etiam in pueros hærebunt illa, Venenum aspidum sub labijs eorum, et qui fari per ætatem non possunt, dicentur habere os maledictione plenum, & qui ingredi nõdum possunt, habent ueloces pedes ad effundendum sanguinem. Quãquam quid loquor de pueris? Quis fuit unquam apud ethnicos populus tam sceleratus, ut in uniuersos hæc

sos hæc omnia cõpeterent, quæ Lutherus uult in uniuersos & singulos homines congruere? Dices, quorsum hic tendit sermo? An ut uel scriptura mentiatur: uel Paulus mala fide citarit scripturam? Absit. Sed ut Lutheri telum, quod existimat esse certissimum repellam. Hic sermo generalis ad uniuersos homines pertinet, excepto uno Christo, & si libet, diua uirgine, ut filius & mater pro uno numerentur. Hoc ideo dico, quod quidam, usq; ad unum, interpretantur, usque ad Christum: ut accipiamus Christum exceptum. Quanquam mea sententia germanus prophetæ sensus est, ut usque ad unum perinde ualeat, quasi dixisset, ne unus quidem: & ne unus quidem idem sonet quod nullus. Quanquam hæc particula, usque ad unum, nõ additur in hoc psalmo, qui est 13. aut 52. Fateor igitur hunc sermonem ad omnes pertinere, iuxta rationes quas ante proposuimus, quarum una est, ut generalis sermonis ueritas constet, etiamsi pauci sint, in quos ista non quadrẽt. Altera est, si generalis enunciatio, non referatur ad singulos homines, sed ad genera singulorum, ut intelligamus nullam fuisse sub cœlo nationem, quæ non maxima ex parte fuerit corrupta talibus uitijs, aut similibus, quo tropo dicimus totam ciuitatem infectam, in qua nulla pars est à peste libera, aut in qua perpauci sunt non infecti. Quod si quis uelit huiusmodi sermones urgere ad exa-

re ad exactam dialectices rationem, audiet, Summum ius, summa iniuria est: & cogetur alios multos ad eandem exigere regulam, quod quum nullo modo poterit, uelit nolit concedet nobis, ut hunc sermonem iuxta sensum communem interpretemur, duntaxat, quantum ad aliquot huius sermonis particulas. Addam illud, hunc sermonem non esse dictum nisi in eos, qui talium criminum capaces sunt, hoc est, non in infantes, sed in adultos: Postremo summa quidem scelerum cadit in uniuersum hominum genus, at non singulæ particulæ quadrant in singulos: Veluti si quis diceret uniuersos Niniuitas esse sceleribus uarijs contaminatos, adulterijs, uenefícijs, rapinis & homicidijs, non significaret singulos illorum esse tales, sed inter illos multos esse tales. Proinde Lutherus impudenter facit, qui quod in his est atrocißimum, torquet ad singulos homines. Omnes peccauerunt, & egent gloria dei, Verum est, sed omnes dicunt in corde suo, non est deus, & omnes habent uenenum aspidum sub labijs, de singulis dici non potest, ne de gentibus quidem. Porrò quod ait, Non est qui faciat bonum, aut per hyperbolen est dictum, aut nullus facere dicitur, quod à paucißimis fit, Aut non quoduis bonum intelligamus, sed illud bonum, ad quod conditi sumus, & quod redditur beatis,

quod

quod solus ille largitur, qui solus est uere bonus. Iam si Lutherus hyperbolis suis exaggerans in immẽsum omnia, clamet in præstantißima hominis parte, uidelicet ratione, summã esse dei ignorantiã, in proximã, uoluntate, summum dei contemptum & odium, non animaduertit, quod dum hæc in immensum attollit intentus uictoriæ, Paulum facit secũ eodem in loco pugnantem. Qui conuenit enim, ut nunc sentiat apostolus, eos extrema ueri, honesti, deiq; teneri ignorantia, de quibus paulo ante scripserat, Super omnẽ iniustitiam hominum, qui ueritatem in iniustitia detinẽt: ac rursus, Qui quum iustitiam dei cognouissent, quod qui talia agunt, digni sunt morte, non solum ea faciunt, uerum etiam assentiuntur facientibus. Hoc de cognitione honesti. De cognitione dei, sic illis testimonium perhibet, Quia quum cognouissent deum, non sicut deum glorificauerunt: adeo non tribuens illis extremam ignorantiam dei, ut exprobret illis quod ex rebus cognitis intellexerint inuisibilem dei naturam, sempiternamq; uirtutẽ, postremo ipsam deitatẽ. Quã tum absunt hæc uerba Pauli à Lutheranis hyperbolis? Cæterum quod ad uoluntatem attinet, alibi Paulus sub persona peccatoris loquitur, Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Item, Quũ enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, &c. His uerbis non solum tri-

buit

buit illis uelle bonũ, sed etiam facere bonum. Ac mox in gentibus inducit conscientiæ δ'ικαστήριον, cogitationibus se uicißim accusantibus aut defendẽtibus. Hæc non constant cum Lutherane exaggerata rerũ omnium ignorantia. Similiter exaggerat illud, Simul inutiles facti sunt, id est, prorsus inutiles. Non erat illi satis, inutiles ad innocentiam Euangelicam. Item, Non est qui faciat bonũ, attollit, nihil omnino boni possunt omnibus suis uiribus, sed extremæ malitiæ plena sunt omnia, quæ sapiunt & faciunt. Hactenus pro gentibus respondimus. Nunc ueniamus ad Iudæos, ad quos hæc proprie pertinere testatur ipse Paulus. In horum præstantißimis partibus erat summa ignorantia dei. Quid igitur sibi uolunt illa, Si autem Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in deo, & nosti uoluntatem, & probas utiliora instructus per legem, &c. Audis ne profundißimam rerum omnium ignorantiam? Atqui hæc dicuntur in Iudæos improbos. Id arguunt quæ sequuntur, Qui alium doces, teipsum non doces, Qui prædicas non furandum, furaris. Apostolus accusat utroq; gentes quod deum naturæ uiribus cognitum, non ut deum glorificauerũt, Iudæos, quod per legem instructi scientia fugiendorum & expetendorum, aliò deflexerunt animũ. Non enim poterat iuste accusare uolũtatem, nisi tribuisset illis scientiam. At Lutherus utrunq; prorsus adimens

homini, merito fatetur deum immerentes & seruare & perdere, quum Paulus eodem in loco scribat, Non est acceptio personarũ apud deum. Quod si nullo respectu meritorum nulloq; momento in libero arbitrio posito, quosdam seruat, quosdam damnat, qui conuenit apud deum, nullum esse discrimen personarum? Hos nodos ubi dissoluerit, tum pergat exaggerationibus plus q̃ tragicis singula quantum uolet attollere. Nam his aliquot occupat capita. Nũc quo magis exaggerat, hoc magis apostolus secũ ipse pugnat. His cognitis per se cuiuis liquet, q̃ illa sint frigida, quæ μάλα τραγικῶς intonabat, Ergo Christus non redemit nisi uilissimam hominis partem, præstantissima parte sui redemptor fuit. Hos fumos si procul cernas, putes aliquid esse, si propius admoueas oculos, mera ludibria sunt. An Diatriba non ingenue professa est, & rationem & uoluntatem hominis fuisse uitiatam peccato Adæ, sed multo magis nostro. Sed nihil residere boni, nec in ratione, nec in uoluntate, non solum præter sensum communem, uerum etiam impium dictu est, quum Paulus tantum boni tribuat philosphis ethnicis & Iudæis sceleratis. Verum imponit nobis paralogismis uocabulorum, quoties bonum dicimus, ille interpretatur unicum illud bonum, quo beamur, quum intelligere dicimus, interpretatur perfectam cognitionem, quum uelle, uoluntatem inter-

interpretatur efficacē ad iustitiam absq; gratia. Atq; interim multa impudentißime colligit, Si conatus inquit, reliquus est bonus, falsum est, q, eos sub peccato esse dicit. Quid ego audio? Quum nos doceat etiam iustificatos esse in opere quouis sub peccato, imò sub regno satanæ, miratur si conatus aliquis bonus dici posßit in homine nondum renato. Bonum accipio non absolute bonum, sed quod aliquem habeat gradum ad bonum, quemadmodum dicimus feracem terram, non quæ fert multam segetem, sed quæ culta posßit ferre, eiusq; rei iam sponte, pdat aliquod specimē, uelut inuitans agricolarū industriā. Ratiocinatur et hūc in modū, In hoc totus incūbit Paulus, ut gratiā necessariam faciat cunctis hominibus: Si aūt per se aliquid possent incipere, gratia nō foret opus. Si quis sophisticari uelit de uerbo incipiēdi, etiā naturæ dotes scatent à gratia: uerū hoc aliās. An hoc enthymema nō statim reijcit sensus hominū cōmunis? Si ægrotus utcunq; cōcoxit, nō habet opus medico. Si uulneratus utcūq; claudicat, nō opus habet chirurgo, Imò ut ppius conferā, si tantū siniſtro laborat oculo, non eget collyrio, qa dexter sanus est? Aut q febri laborat nō eget medico, qa caret hydrope, pleuretide, grauedine, podagra, aliisq; morbis innūeris. Si ulla pars hoīs qcq̄ habet sani, aut semisani, frustra est medicus, ita scilicet qcquid est in hoīe, quod non sit extreme malū, frustra est gratia.

Quid his exaggerationibus ineptius? Quod est pu/dor in adolescente, hoc est probitas moralis in homi/ne. Non est pfecta uirtus, et tamen uirtus est potius q̃ uitiũ, nihilo secius indoles est perfectæ uirtutis spẽ fa/ciens. Ita medici libẽtius ac facilius curant corpus bo/næ tẽperaturæ, quàm malæ. Abest illa sanitas, sed in/sunt pristinæ sanitatis reliquiæ, quæ uicißim artem medici iuuant excitatæ pharmaco, nonnunquam & citra medicorum operam morbum superant, quanq̃ hactenus nos destituit similitudo. Absq; medico condi/ti sumus, absq; medico sæpe conualescimus: absq; deo nec sumus, nec ualemus. Postremo quum hoc ipsum quod in homine residet, ex dei bonitate relictum sit, in tantum illud extenuare, deijcere & corrumpere, quid aliud est, quàm dei benignitatem eleuare? Erat ingens Iudæorum supercilium, & hinc periclitaba/tur Euangelij gloria, eoq; Paulus magna uchemen/tia machinis omnibus pugnat aduersus impiam fidu/tiam, aliter opinor disputaturus, si nunc uideret ob persuasam rerum omnium necessitatem, alios desper/rantes, alios in omne facinus ruentes, dum sic cogi/tant, Quid refert temperare à malis? Si præfinitum est ut peream, frustra sumam operam: si destinatũ est, ut fiam saluus, nihil obfuerit animo morem gessisse. Quid aũt magni docuit Lutherus, si probauit omnes homines esse obnoxios deo, inutiles ac reprobos natu/

ræ uiri/

ræ uiribus, quum idem fateatur hominem quamuis iustum in optimo quoq; opere nihil aliud quàm peccare, sic ut mereatur gehennam, quod quidem ad ipsum attinet? Quoniam autem non probauit per scripturas quod pollicitus est, nec ego assentiar, quod eram pollicitus. Reijcit sophistas, qui post tanta scripturarũ fulmina fortaßis audebunt dicere, quod ratio & uoluntas licet erret ac declinet actu, tamẽ aliqd poßit cernere & expetere suis uiribus. Hoc sophisma reijcit bifariam, Primum quod affirmat hic, non requirit deum, nihil aliud sonare, quàm, non potest requirere. Deinde, quod ni sic intelligeretur, Paulus nihil ageret hac disputatione. Vtrunq; falsum est quod hic adfert. Nam ostensum est, hominem naturæ uiribus & nosse deum, & intelligere quid fas quid nefas in plurimis, & utiq; qui facit potest. Ad hæc declaratũ est, gratiam naturæ bonum perficere. Non perficitur autem, quod non est, nec adiuuatur, nec instauratur, nec erigitur, nec sanatur quod nihil est. At gratiæ materia, liberum arbitrium est hominis. Et absurdißimum est, ideo nullum esse locum gratiæ, si quid naturæ uiribus cernit ratio, aut si aliquo modo ad bonum propensa est hominis uoluntas in quibusdam. Nec statim impium est, quod est imperfectum. In Pilato non erat impia uoluntas, quod studuit innocentem eripere, sed erat imperfecta, eoq; non peregit quod uoluit. Ita ne

gatur intelligere deum, non qui prorsus nihil nouit de deo, sed qui non nouerunt eũ quẽadmodũ oportet: negatur facere bonũ, nõ qui nihil omnino facit boni, sed qui non præstat hoc bonũ quod est homine dignũ. Quẽadmodũ insipientes dicũtur, non qui nihil omnino sapiunt, sed qui non sapiunt in his quæ sunt sapiente uiro digna: & ignarus rhetorices dicitur, non qui nihil omnino tenet eius artis, sed qui non potest præstare rhetoris officium. Verum ut finiam, Quorsum hæc omnia tendũt, ut omnes homines doceantur egere gloria dei? Id fatentur & scholastici, qui plus tribuunt libero arbitrio q̃ Diatriba. Vicit itaq; Lutherus, sed quid? Nullum hominem naturæ uiribus quicquam omnino posse scire de rebus diuinis. Verũ huic sententiæ reclamat ipse Paulus, hoc ipso argumento docens gentes egere gratia dei, quod deum cognitum non coluerint. Attamen Lutherus tribuit noticiam dei & honesti, sed per legem: idq; tribuit Iudæis etiam impijs. Et hoc ipsum uocat dei gratiam, quod per legem didicerunt quid esset deus, quid rectum, quid prauum. At quod crassis Iudæis erat lex, hoc Græcis ingeniosis erat naturæ uis, & res conditæ, nec quicquam uetat hæc dei uocare gratiam, quum Paulus dicat, deus illis reuelauit. Iudæi ut crassi signa quærebant, Græci sapientiam. Hic mihi uide, an non manifeste Lutherus sibi contradicat, Ait Iudæos impios

pios intellexisse deum, & honesti formam, Cernit igi
tur aliquid ratio naturæ uiribus. Dicet, cernebãt per
legem adiuti. Verum si gentes eadem suis legibus pu
niunt, quæ Iudæi, sequitur illos meris naturæ uiribus
in plerisq; uidisse quid fas quid nefas. Similibus uer 216
borum præstigijs exaggerat illa Pauli, ut obstruatur
omne os, & omnis mũdus obnoxius fiat deo. Si uerbis
urget Lutherus, & quadrupedes et angeli erũt obno
xij deo, hoc est rei. Nã Græce est ὑπόδικος. Quod si
hic recipimus hyperbolen apostoli, qui totum mundũ
dixerit uniuersum hominũ genus, quo sermo plus ha
beat uehementiæ, quin eandem agnoscimus in recen
sendis hominũ sceleribus? Et hic ratiocinatur quemad
modũ paulo superius, Si qua uis superest homini, qua
queat ex natura nosse aut uelle aliquid, nõ obstruitur
omne os hominum: quasi non sit obnoxius iudici, qui
multis admissis criminibus, una quapiã in re non deli
querit, Imò unicũ facinus totũ hominẽ obnoxiũ facit
pœnæ: aut ægrotus nõ sit obnoxius medico, si quã par
tẽ habeat in corpore non dico sanã, sed non affectam
morbo. Imò sufficit unicũ malũ, ut totus homo sit ob
noxius medico. Bellũ uero quod hic argutatur, omne
os intelligi, nõ omniũ hominũ, sed totũ cuiusuis homi
nis, quasi singulæ uires hominis habeãt suũ os. Sed qd
absurdi, si diceret ratio, uideo q̃ sit expetendũ hone
stum, q̃ fugienda turpitudo, & id ut possem tu dedisti

naturæ conditor, absolue quod dedisti, & adde quod deest? Ergo ne id quod intelligit non est obnoxium deo? Est, primum quia imperfectum, deinde quod uidet expetendum non potest assequi sine gratiæ præsidio. Quod si non ferimus ullam hominis portionem non obnoxiam deo, hoc est, non impiam, non dignam ultione, redibit eadem absurditas in iustificatis: in quibus si nihil est boni, quur dicuntur iusti? Si est, erit aliquid non obnoxium deo, hoc est, non impium, neq; dignum ultione. Si responderit, hoc non esse ex homine, sed ex dono dei: Idem dicam in Iudæo, qui per legem nouit recta, & in ethnico, qui ex rebus conditis ingenijq; uiribus & industria sua nouit deum, & perspicit quæ sunt honesta saltem aliqua ex parte. Omitto quod hic rursus assumit, rationem totam esse sanam, quum mea Diatriba loquatur contrarium. Semper est in extremis, nec usquam agnoscit medium: aut totam rationem uult esse sanam, aut totam impiam.

217 Possem hic facere disputandi finem, explosa quam Lutherus inducit rerum omnium necessitate, qui cum mihi certamen erat. Nam quæ restant, ut & pleraq; superioris uoluminis aduersus opinionem scholasticorum, contendunt liberum arbitrium non ualere ad bonum opus, hoc est, meritorium gratiæ, quam opinionem Diatriba non susceperat tuendam. Quædam tamen obiter attingam. Exaggerat illud Pauli, Ex operibus

ribus legis non iustificabitur omnis caro coram ipso, ex quibus interpretatur omnem hominem cuiuscũq; conditionis ac status sit, in præstantißimis etiam naturæ uiribus nihil habere, nisi meram impietatem, quum damnentur ipsa etiam legis opera. Omitto q; hic frigidißime omnem carnem interpretatur hominem spiritu uacuum, quum omnis caro dictũ sit pro omnis homo, iuxta proprietatem sermonis Hebraici. Ad hæc quum opera legis interpretetur non solum illa ceremonialia, uerum etiam præcepta decalogi, qui sibi constat, qui ante docuerit nullum præceptum ab homine posse seruari, hic cõcedens per liberum arb. omnia legis opera fieri, quæ tamen non conferant iustitiam. Quid enim aliud sunt opera legis, q̃ seruata legis, præcepta? Atq; inter hæc sunt credere deo, diligere deum ac proximum. Itaq; si dixisset legẽ totam seruari nõ posse per liberum arbitrium absq; gratia, facile subscriberemus illius sententiæ. Aut si dixisset externa legis opera, qualia sunt, nõ occides, non furaberis, non mœchaberis, non conferre iustitiã, si desit charitas, tolerabilis erat oratio. Nũc quis unquam audiuit omnia legis opera esse damnabilia, & impiũ facere? Nec referre, summo ne an mediocri, an nullo studio in lege exercitati sint? Postremo ut demus opera non conferre iustitiam, certe non faciunt impium, nisi adsit peruersus animus. Etenim quum in Iu-

dæis circuncisio sustulerit labem originis, si opera legis nec conferunt iustitiam, nec faciunt impium, unde illa summa in præstantissimis hominis partibus impietas? Si dicit ex malefactis, mecum facit, sed interim non præstantur opera legis. Nec enim protinus impietas est aut iniustitia, ubi abest innocentia primæ conditionis.

218 Hic rursum flagellatur infelix Hieronymus, periclitans ne detractus è cœlis præcipitetur ad inferos, qui docuerit hunc Pauli locum intelligẽdum, de cerẽmonialibus legis, quasi huius sentẽtiæ primus autor sit Hieronymus, ac non potius sit Græcorũ omnium. Nã cõmentariorũ in epistolã ad Romanos interpres est uerius q̃ autor, etiamsi interpres quoq; parum est certus. Quod fauet Augustino tam pio tamq; celebri Ecclesiæ doctori, recte facit: tametsi ne hic quidẽ sibi satis constans, primũ adeo detestans scholasticã theologiam, quã Augustinus non aliter q̃ Iuppiter Minerua m è cerebro suo genuit. Deinde quod in eũ tam petulãter debacchatur, cuius et sanctimoniam Augustinus ipse ueneratus est, & eruditionẽ suspexit, id quo spiritu faciat ipse uiderit. Sed ubi fortiter reclamat Augustinus? In disputatione posteriore aduersus Hieronymũ, quam iam senex scripsit, non audet affirmare, sed fatetur difficillimam esse quæstionem. In commentarijs autem quos scripsit in epistolam ad Galatas, ne-

tas, negat eos ex operibus legis iustificari, qui illis sic fidunt, ut aspernentur dei gratiam oblatam per euangelium. Id dici potest etiam de sancto Simeone, aut ipso Dauid. Non enim fuisset ex operibus legis iustificatus, si in illius ætatem incidisset aduentus Christi, sicq; spreuisset Euangelij gratiam, quæ ut erat copiosior, ita perfectiorem exigebat iustitiam. Eoq; Paulus non simpliciter dixit, non iustificabitur, sed addidit, coram illo: coram quo nec astra mũda sunt, quam mox appellat iustitiam dei. Hæc extra causam. Rursus odio Hieronymi, negat opera ceremonialia fuisse mortifera post mortem Christi. Si de Iudæis loquitur, qui uixerunt in primordijs Euangelij clarescentis, recte loquitur. Nam his permissum est priscos seruare ritus, quo lex à deo tradita, non procaciter abijceretur, sed paulatim & cum honore antiquaretur, modo ne in illis ponerent spem salutis. Sed quis unquam audiuit ab apostolis toleratam gentium circuncisionem? Nam Timotheus altero parente erat Iudæus, nec hunc tamen prius circuncidi passus est, quàm eum mitteret in Iudæam. Cæterum ubi per orbem coruscaret Euãgelij gratia, nec ipsis Iudæis permissum est uti legis ceremonijs, etiã si nõ collocarent in illis spẽ salutis, non q illa corporalia p se mala sint aut bona, sed q per occasionẽ offensis infirmis, & cõfirmatis impijs Iudæis, officerẽt Euãgelio, ppagando.

Chry-

Chrysostomus enim acrius uociferatur in Christianos, qui cũ Iudæis ieiunabant, quàm in adulteros aut ebriosos. At Lutherus ita loquitur, quasi nunc quoq; talia ponenda sint in mediis, quod genus sunt stare, sedere, edere ac bibere: quanquam & hæc mortifera sunt, si secus quàm oportet fiant. Proinde quod dicit, Cum hoc bene stat, ut ea quispiã faciat, & nihil illicitum tamen faciat, ut aliquo tempore apud Iudæos uerum fuit, ita simpliciter uerum nõ est. Augustinus sic loquens ut hic loquitur Lutherus ab Hieronymo reprehensus est, & ille reprehensori agit gratias. Etiamsi non congruit hæc similitudo. Siquidem edimus et bibimus, dormimus ac uigilamus ad usum naturæ, stamus & ambulamus ob utilitatem aliquam, quum obseruatio rituum Iudaicorum prorsus esset inutilis. Et si quosdam non impie loquentes audire uolumus, homo pius oĩa faciens in gloriã dei, etiam quũ edit,
219 bibit, dormit ac ludit, pmeretur. Nec illud ad hanc causam pertinet, q, ceremonialia æque fuerint exacta in uetere lege, atq; moralia decalogi. Quod si uerum est, qui fit, ut qui seruat sabbatum, nõ peccet, qui dat eleemosynam, peccet? Nam hoc nos docuit iste, quamuis iustum in opere quamuis bono peccare. Colligit igitur Paulum de uniuersis operibus legis loqui, in quibus, ut dixi, est dilectio dei ac proximi, quæ si non iustificant hominem, quid est quod iustificat? Vti

tur au-

tur autem tali lemmate, Quum ea pars legis quæ ce/remonias præcipit fuerit abrogata, iam nec opera legis dici poterant, quum lex non sit. Quod acumen? Obsecro, quo tropo nunc illa uocamus opera legis, nisi q; aliquando lex ea uigebat? Et abrogabatur tum potius quàm erat abrogata, et hactenus erat abrogata, ne quis illa crederet ad salutem necessaria. Quod ad usum attinebat, paulatim erant abroganda Iudæis duntaxat. Potuisset inquit, aperte dicere, lex est abrogata. Quid magni erat, si hoc dixisset apostolus, quũ ipse dominus aperte legem abrogarit, dicens, Lex & prophetæ usq; ad Ioannem, quod utiq; Iudæis dictum est, non gentibus. Quanquam idipsum Paulus sedulo clamabat ubicunq; licebat. Cæterũ ob insuperabilem Iudæorum pertinaciam, & honorem legis à deo traditæ, spacium aliquod illi datum est, quemadmodum egregios uiros de rep. bene meritos etiam uita defunctos, multo cum honore deferimus ad sepulturam, nõ autem eijcimus ex ædibus. Et sicubi tacuit legis ritus omittẽdos esse, hoc consilio tacuit, quo Petrus Hierosolymis, & Paulus Athenis prædicantes Christum, uirum illum appellarint, diuinæ naturæ nullam facientes mentionem. Nam hæc sacris interpretibus potior uidetur causa legis paulatim antiquatæ. Alioqui quis erat bonos seruare, quod nihil conducebat, & multis adferebat offendiculum? Aut quæ legis erat contume

lia, si

lia, si protinus prædicassent apostoli, posteaq̃ adesset ueritas, umbras ac figuras esse, legendas quidem, non exercendas. An non satis aperte Paulus docet legem abrogatam, quũ appellat eam pædagogũ, cuius autoritas nõ durat nisi ad tempus præfinitũ à patre? Atq; hoc ipsum olim à pphetis fuerat prædictũ. Sed huius prædicationis nondũ erant capaces Iudæi, quorum duritiæ Christus ipse in multis obsecundauit, ne causam haberent probabilem ab Euangelio resiliendi, obiter confutans Lutheri paradoxon, qui docet fidei nõ esse locum, nisi deus uideretur iniustus, quum uelit credi iustissimus, quum tot modis præcluserit impijs excusationem, ne uel percuntibus uideri posset iniustus. De uniuersis igitur legis operibus in quibus est dei proximiqúe dilectio non posse intelligi docuimus: Neque enim maledictus sit, qui fuerit ex huiusmodi legis operibus. De quibus igitur loquitur? Nimirum de ceremonijs, & si quid placet addere de operibus externis. Id ex ipsis Pauli uerbis liquet. Quum enim assentiente Luthero causam eandem agat Paulus scribens Romanis & scribens Galatis, & sermo, ut idem docuit, interpretandus sit iuxta materiam subiectam, constat Paulum ob id indignari Galatis, non quod iuberentur abstinere à furtis, adulterijs, periurijs, falsis testimonijs, sed quod acceptа circuncisione seruarent nouilunia, sabbata, discri

mina

mina ciborum, ritu Iudaico. Et sermo qui præcessit de Petro Iudaisante non agit de quibusuis operibus, sed de delectu ciborum, aliisque similibus ritibus Iudaicis. Et Romanis scribens, qui & ipsi pridem pellecti fuerant in Iudaismum, circuncisionis meminit, & operum, Sed quorum? Furti, adulterij, sacrilegij, blasphemiæ. Neque enim statim iustus est, qui ista non facit. Absque his quidem non erat iustitia, sed ex his solis non contingebat iustitia. Proinde Moses pronũciat maledictos qui non permansissent in omnibus illis quæ præceperat lex, quia non erat salus uiolantibus imperata legis, Paulus contra pronunciat maledictos qui sunt ex lege, nimirum eos, qui sic in lege gloriarentur, ut tamen legem non seruarent, in præcipuis illis præceptis, multo magis qui eam mordicus tenebant, quum secundum umbras ac figuras esset abroganda. Nec enim Paulus dixit, qui seruant legem, sed qui sunt ex lege, hoc est, qui illinc toti pendent, non agnoscentes Christi gratiam, sed suis uiribus iustitiam tribuentes. Iam ut largiamur hominem implere posse partem legis liberi arbitrij uiribus, peccaret tamen, si suis uiribus asscriberet iustitiam, quum has ipsas uires haberet ex dono Christi. Ad hæc quum lex tota spectet Christum, frustra seruaret legem, imò ne seruaret quidem, qui gloriam

Christi

Christi benignitati debitam, asscriberet legis operibus, ac naturæ uiribus.

220 Quod alicubi Paulus diuidit hominẽ totum in carnem & spiritum, non inficior, nisi quod alicubi tertiam addit partem, animam, quam Lutherus nusquam uult agnoscere. Certe hic carnẽ simpliciter dixit pro homine, Ex operibus legis non iustificatur omnis caro, sed addit, coram deo, Pharisaicam iustitiam distinguens ab Euangelica. Porrò quod refert ex epistola ad Galatas 3. Ex operibus legis spiritũ accepistis, an ex auditu fidei? palàm est apostolum loqui de cerimonialibus, sine quibus Galatæ acceperãt donũ spiritus. Eodem pertinet illud, Nunc sine lege manifestata est iustitia dei. Et iterum, Arbitrabamur hominem iustificari ex fide, sine operibus legis. Neque enim Paulus sentit adulteros, homicidas & fures iustificari. At qui id sequeretur, si sentiret sine oĩbus legis operibus per fidẽ dari iustitiam, nisi quod q̃ ultro plus præstat quàm lex exigit, dicitur à lege liber esse, quia nõ constringitur, ultro præcurrens legem.

221 Post hæc repetit ueterem hyperbolen, per legem cognitio peccati, sic agens quasi nihil omnino uideat humana ratio, quasi nullus sit ad honesta nixus humanæ uolũtatis, quũ gentiũ leges eadẽ puniant quæ lex dei, quum philosophi tam ardentibus uerbis hortentur ad honesta. Imò non ideo lata lex est, q̃ homines

antea

antea nihil cernerent, sed ut plenius discernerent iu/
stum ab iniusto, & ne possent suis blandiri peccatis, re
darguẽte lege. Verũ de his in superioribus satis dictũ
arbitror. Et rursus naso suspẽditur diatriba, quum ea
Augustini sententiam retulerit, imò potius ueterum
omnium. Iam fassi sumus imperfectum esse quod cer/
nit lib. arb. quod expetit uoluntas, quod ipsum tamen
si adhibuerimus paratam esse gratiam opitulatricem.

Torquet & illud Pauli. Quid igitur lex? Propter 222
transgressiones posita est, donec ueniret semen, &c.
Et hic αὖθις αὖ uapulat Hieronymus qui interpreta/
tus sit, propter transgressiones cohercendas. Quan/
tum odium hic spirat in uirum cuius memoria tot æta
tibus sacrosancta est ecclesiæ dei. Quur hic somniare
dicitur Hieronymus qui Græcos tã multos sequitur,
uel interpretatur potius? Quur non uapulat simul
Chrysostomus, Theophylactus & Ambrosius idem in
terpretantes? Nec omnino falsum est quod interpreta
tur Lutherus, sed uide quàm hoc ipsum proponit odi/
ose: propter transgressiones, non quidem cohercendas
ut Hieronymus somniat, sed propter transgressiones
augendas. Paulus Roma. 5. dicit legem subintrasse ut
abundaret peccatum, non dixit ut augeretur peccatũ.
Aliud est enim exasperari et prodi, aliud augeri. Cer
te uerbi nouitas erat uitanda. Nec hic erat scopus le/
gis præcipuus, quanquàm id consequutum est occasio

ne legis, eumq; euẽtum deus uertit in bonum. Nam si finem spectes, lex in hoc lata est, ut simplicibus prælu ceret, improbos ac feroces metu coherceret, ne prorsus impune peccarent: quod si non facerent statim per legem arguerẽtur peccatores. Itaq; lex aut tradebat hominem bonæ mentis paratæ gratiæ, aut effecit ut homo leuius peccaret, & ob id esset sanabilior euangelio, aut ut dissimulare non posset suam iniusticiam, quo uel sic confugeret ad gratiam. Reiectum est ante & illud lemma. Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces. Nam hinc colligit rationem ex sese nullo pacto discernere peccatum ab eo quod non est peccatum, quum Paulus hic non loquatur sub sua persona, sed alicuius extreme rudis, qui crederet non in animo, sed in factis externis esse uirtutem aut uitiũ. Nesciebat hoc Paulus quod uiderãt etiam philosophi, honestum ac turpe, situm esse in animi habitu, & hoc solo hominem uel felicem esse uel infelicem? Quod supereſt ĩ hoc capite, meræ sunt uerborum ampullæ iam non semel à nobis confutatæ.

223 Aggreditur simili magniloquentia quæ sequuntur apud apostolum: Nunc aũt sine lege iusticia dei manifestatur, testificata à lege et prophetis per fidem in Iesum Christum in omnes & super omnes qui credunt in eum. Non enim est distinctio, omnes enim peccauerunt et egent gloria dei iustificati p gratiã ipsius per redem

per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit deus propitiationē per fidem in sanguine eius, etc. Hic ut ait, Paulus mera fulmina loquitur. Fateor. Sed aduersus lib. arbitrium? nego: aduersus suis uiribus fidentes? aio. Distinguit apostolus iusticiam dei à iusticia legis. Si sentit legis iusticiam, iusticiā pharisaicā, accedo: sin iusticiam uniuersæ legis, non accedo, quando lex etiam fidem præcipit & charitatem, quàm homo non assequitur puris naturæ uiribus, sed auxiliante gratia: nec ea defuit olim Iudæis in lege uiuētibus. Ea per Christum ueniētem manifestata est, non orta, quia clarius euulgata, simulq; latius & copiosius per uniuersum orbem diffusa. Manifestata est autem sine lege, nimirum & Iudæis qui legem non seruauerant, & gentibus quæ legem nesciebant. Quod autem interpretatur Christianam iusticiam constare sine lege, triſariā accipi potest, uel quod in baptizatis non requiriā tur opera legis moralia: qui sensus impius est, Vel qđ nec à Iudæis nec à Gentib. ad euāgelium accedētibus, exigitur ratio legis prius obseruatæ, modo resipiscāt, et credāt: et hic sensus uerus est, Vel qđ à nēine reqriā tur earū rerū obseruatio, quas Galatis īposuerāt pseudapostoli: et hic sensus ueriſsimus est. Nā de his opib. illic agere Pau. iā demonstratū est. Porrò qđ Luth. interpretatur, eos q legis præcepta, p sua uirili seruarāt licet non ad plenum, absq; dolo tamen, nihilo fuisse

capaciores euangelicæ gratiæ, aut quod gentes quæ pro suo modulo in paganismo legitime moderateq; uixerant, nihilo fuerint habiliores ad suscipiendã euãgelij gratiam, multum abest à uero, mea quidem sententia. Exemplum est Aethiops tam facile cõuersus p Philippum, & Paulus subito mutatus in alium hominem, quum nec Herodem, nec scribas aut pharisæos legamus conuersos, qui tot prodigia uiderant, qui legem memoriter tenebant. Quod si opera moraliter bona, reddunt hominem capaciorem gratiæ, et si lex obseruata Iudæo ante proditum euangelium magis idoneum tradit euangelio, & hæc opera Lutherus concedit fieri uiribus liberi arbitrij, falsum est quod colligit liberum arbitrium nihil prorsus esse: Rursus si concedit gratiam non dari inuitis, & per liberum arbitrium possumus nos auertere à gratia, & dũ non auertimus nos, præbemus nos gratiæ, constat & hic esse aliquem usum liberi arbitrij. Ridiculum est autem quod interpretatur, sine lege, id est, sine omnibus quæ potest liberum arbitrium. Fatemur liberũ arb. ex suis uiribus non peruenire ad dei iusticiã sine gratia, nec tamen ideo nullum est liberum arbitrium. Postremo non disputamus hic quid deus posit, sed quid ordinate faciat, quidq; nobis in scripturis sperandũ ostẽderit.

Habes admirabile fulmen: sed audi admirabilius.

224 Paulus ait iusticiam dei ualere in omnes & super oẽs qui credũt

qui credunt in Christum. Quod apostolus dixit manifestat, hic uertit in ualere, quo magis seruiat dogmati. Omnibus reuelata est dei iusticia, quur non ualuit apud omnes? Vtiq; ualuisset apud omnes, si nullū esset liberum arbitrium. Quod ad gratiam oblatā attinet, nulla erat distinctio Iudæi & Græci: quod ad uoluntatem pronam aut auersam, plurimū erat discriminis. Sed Paulus inquit uniuersum hominum genus diuidit in duo, in credentes & non credentes, credentibus tribuit iustitiam, non credentibus aufert. Ast aliud quidam est liberum arb. quàm fides. Quid ni? Non enim idem est oculus quod lumen. Sed Paulus ait quicquid est extra fidem non esse iustum coram deo. Si non iustum, iniustum igitur: si iniustum, peccatum sit oportet. Hic ne obijcerentur media, pronunciat apud deū nihil esse medium, sed quicquid est aut bonum esse aut malum. Atqui superius concesserat esse quædam media, quales uolebat esse ritus legis Mosaicæ, qui nō iustificant quenquam, nec commendant quenquam deo, & tamen qui eos obseruabat nihil faciebat illicitum. Nec tergiuersari potest quod illic senserit de medijs apud homines, quum palàm agat de his quæ nos commendant deo, aut secus. Lege finem cap. 223. Verum hoc lemma prius dilutum est: ut est fides rudis & imperfecta, ita est & iusticia imperfecta, qualis erat Cornelij Centurionis. Nam et fidem perfectam accepit ex do-

ctrina Petri, & iusticiam ex sacramẽto ac spiritu sancto. Iam da mihi quẽpiam paganũ, qui nõ audierit mysteria fidei, nec per eum steterit quo minus audierit, hoc tamẽ animo, ut cupiat quod optimũ est discere, uiuatq; quantum potest pro naturæ ductu innocenter, non arbitror esse peccatum, quicquid ille fecerit, uel amans uxorem ac liberos caste educans, uel Reip. bene consulens pro uiribus. Sed huius benefacta non conferunt iusticiam euangelicam, fateor, sed inuitant dei benignitatem, ut de suo addat quod deest naturæ uiribus.

225 En aliud fulmen, Omnes peccauerunt et egẽt gloria dei. De quo iam superius dissertum est à nobis. Hic uociferatur, Obsecro qd clarius dici posit? Da operariũ liberi arbitrij an conatu illo suo peccet? Si nõ peccat, quur Paulus non excepit? Certe qui omnes dicit, neminem ullo loco, ullo tẽpore, ullo opere, ullo studio excipit. Si enim ullius studij aut operæ hominem exceperis, falsum Paulum feceris, et cætera, quæ Lutherus fortiter quidem, sed magna detonat impudentia. Nihilo enim pudentius dicitur, omnes qui egẽt gloria dei, omnibus suis actiõibus ac uiribus peccare, quàm si qs dicat, omnes qui egent ope medici, omnibus corporis partibus ægrotare. Atq; hic quo locus magis seruiat dogmati, faciunt iusticiam passiuam & actiuam, gloriam actiuam & passiuam, et accersitur hebraismus,

& in

& interpretatur eos egere gloria dei, qui non habẽt de quo glorientur apud deum. Si gloriari est cum gaudio agnoscere donum dei, etiam liberum arbitriũ habet quod glorietur apud deum: Si gloriari est sibi tribuere quod habet, ne iusti quidem habent quod glorientur apud deum. Quod autem prouocat omnes ut precent si quis ex animo possit dicere de re quapiam, quã per liberi arb. uires peregit, hãc scio placere deo: ego proferam, qui quum sint in affectu peccãdi, odioq; habentes morbũ animi sui, tamẽ eleemosynis, aliisq; pijs studijs ambientes gratiam spiritus, possint dicere, Bona spe ducor fore, ut deus misertus mei, sua gratia iuuet conatus meos. Fauet autem opinor qui respicit & adiuuat. Verum exigit, ut certo pronunciet ea placere deo: Quod ni faciat, incredulitatis signum interpretatur, dubitare de fauore dei. Haud scio an q̃squã iustus certò pronũciare possit, hoc aut illud quod egit acceptum esse deo, etiamsi in genere certò credit, deũ non defuturum suis. Quod si iustorum etiam fiducia cum tremore coniuncta est, id quod ante confessus est Lutherus, docens ex necessitate nasci timorem, ex incertitudine fiduciam, certò credimus hominẽ p fidẽ et charitatẽ iustificari, Verũ an hic aut ille habeat uerũ donũ fidei et charitatis, arbitror certo sciri nõ posse, nisi si cui deus singulari patefecerit afflatu, qd' accidit Pau. q dicit, Scio cui credidi et certus sum etc.

At ego noui pios homines qui sibi displicebant, quod per omnem uitam nunquam sensissent consolationem internam spiritus, tantoq; magis instabant precibus ac pijs operibus, si quando deus dignaretur infundere gratiam. Hos opinor Lutherus damnabit incredulitatis. Hæc quum sic habeant, falsò concludit Lutherus, liberum arb. quum uacet hac gloria perpetuo incredulitatis crimine reum esse, cum omnibus uiribus, studijs & conatibus suis.

226 Prodit aliud fulmen. Iustificati gratis per gratiã ipsius. Hic exultat. Quid est hoc gratis? Quid est per gratiam ipsius? Si sunt merita, ubi gratis donata iustitia? Vbi nunc sunt thesores liberi arbitrij? Rursus accusatur misera Diatri. quæ ppetuo sic causata sit: Si non est libertas arbitrij, ubi meritis locus? Si meritis non est locus, ubi præmijs locus est? Hactenus non omnino mentitur Lutherus, nisi quod ubi Diatriba sic loqtur, Si nulla est arbitrij libertas, hic recitat, liberum arb. quasi sentiam simpliciter liberum. Deinde ubi Diatriba fatetur aliqd esse genus meritorũ, sed quæ homo sibi nõ possit imputare, uel qa minimi momenti sunt, collata ad gratiam, uel quia summa rerum ex deo proficiscitur, hic sic recenset, quasi sentiam merita quibus ex pari debentur præmia. Cæterum quod annectit, Cui imputabitur si quis iustificetur sine meritis, nusq; est apud Diatribam. sed Lutherus ex suo liberrimo arbitrio

bitrio addidit, nisi malit dici seruum illi qui pater est mendacij. Imò Diatriba tota disputatiõe, uitat hoc, ne salus meritis imputetur humanis, sed totum gratiæ. De dãnatis rogat, cui debeat imputari pnicies, si nulla est arbitrij libertas, sed mera necessitate fiũt omnia. Quod si meritum congruum accipiamus pro dignitate quadam hominis, quàm dei benignitas acceptat, ex qualicunq; nisu uirium nostrarum, & meritum condignum pro officijs utcũq; præstitis auxiliante gratia, non pugnat cum meriti uocabulo gratis donata iustitia, et gratis donata salus. Pone mihi duos egẽos quorũ alter ferox sit & intẽperans in ipsa etiam inopia, alter sobrius & qcquid nanciscí potest bene collocãs, rex hunc ditat, illum relinquit in egestate: cui dedit, utiq; gratis dedit, & digno dedit, licet non promerito: & cui non dedit, non sine causa non dedit. Dignus enim beneficio dicitur qui alacriter accipit, qui bene utitur, qui meminit, qui gratias agit. Hoc illi pro meritis imputatur, Quod si uerũ prædicat Lutherus nullum esse prorsus meritum, multa sunt in sacris scripturis mendacia, quum illic toties probentur merita piorum, & impijs exprobrentur merita malefactorum. Nam quod Lutherus merita uertit in promissa, ridendum est potius quàm confutandum. Seruus euangelicus qui lucratus est quinq; talenta, totum lucrum debet domino qui sortẽ dederat. Hactenus dignitas quæ-

dam est, quia sors data est illi, quem sciebat bene collocaturum. Iubetur intrare in gaudium domini. Hic & præmium gratuitum est, quum tamen dignitas probetur. Quemadmodum homines dignis beneficisse dicuntur, qui gratis ac beneficio bene utentibus dederunt, quum dederint nihil promeritis: Ita deus qui noluit hominis dignitatem, anteq̃ exitus spectetur, dignis impartit gratiam, indignis adimit etiam quam dedit. Hæc dici possint etiam si quis repente ex paganismo, uitaq; contaminatissima uocetur ad gratiam. Nũc in multis dignitas hæc etiam præcedit, ut ĩ Cornelio Centurione. Alioqui quur narrantur preces illius & eleemosynæ ascẽdisse in conspectu dei? Hoc igitur meritorum genus non pugnat cum gratuita donatione. Vbi uero Diatriba dixit, per conatum hominis peruenirit ad salutem? Dixit inesse naturalem quendam ad honestatem siue ad felicitatem conatũ siue nixum, sed imperfectũ, & inefficacem absq; gratia. Deprauat & illud quod deus hunc propter conatũ respicit, illum nõ conantem contemnit. Imò deus offert se omnibus, quod in ipso est, sed ei qui se præbet gratiæ, non frustra se offert, ei qui se auertit, frustra oblata est gratia. Negat Diatriba nonnunq̃ à deo uocari, neq; conantẽ, neq; cupientem. Sunt enim uariæ uocationes dei. Aethiopem uocauit, sed redientem ab adoratione, sed uersantem in Esaia, Paulum uocauit sæuientem ac spiran-

tem

tem minas cædesq;. Quosdã paulatim præparat suo spiritui. Quid autem hoc est quod colligit, dicens: Nónne deum respectorem operum, meritorum ac personarum faciunt? De meritis & operibus respondeat Paulus, qui certantibus promittit brabium, qui pollicetur cuique præmium pro factis, id est prout gessit in corpore, Quomodo personarum respector dicitur deus, si dignos secernit ab indignis? Imò potius erit respector personarum, si hũc seruet, illum cõijciat in gehennam, nec huius nec illius merito, sed quia sic illi uisum est. Quum enim omnes æquet in iniusticia, quid est quod hos trahit, illos nõ trahit, nisi qd'huic personæ fauet, illi non fauens? Iam fatetur aliquoties hominis uoluntatem cooperari gratiæ: Quod si non est absurdum, si uoluntas uelut adiuuat gratiã coopertantem, quid absurdi sit si uoluntas hominis præbeat sese uelut adnitens gratiæ præparanti? Hæc nõ obstãt quo minus totũ sit gratuitũ qd'agitur. Sine uolũtatis assensu, nemo seruatur, nec ideo uolũtati debemus salutẽ. Nec enim sequitur, sine hoc nõ eris saluus, ideo p hoc assequeris salutẽ. Fatetur deum operari in nobis, non sine nobis: Illud nostrum ni accederet, non essemus salui, nihilo secius totã salutem debemus gratiæ. Si nihil ibi nostrũ est, sine nobis opatur deus in nobis. Sin est aliqd nostrũ, qd'approbet deus, quur in recipiẽda gratia

da gratia non posset esse nostrum aliquid, & quemad modum hic uolũtas cooperatur gratiæ iustificanti, ita illic cooperetur gratiæ præparãti ad iustitiam? Quid autem sentiunt qui inducunt meritum congruũ, opus aliquod quod inuitet dei benignitatem absq; ulla gratia peculiari? Hoc à Diatriba nusquam est dictum, & si dictum esset nihil erat periculi. Multo minus hoc dixit, ullum opus extra gratiam factum, idem efficere quod efficit meritum condignum.

227 Sed tota hac disputatione Lutherus confundit & suas & aliorum opiniones. Si destinarat omnes tueri quas impugnat Diatriba, tueri debebat etiam Carolstadianam: si suam duntaxat, nihil aliud defendendũ erat, quàm omnium rerum necessitas, & nullũ omnino esse liberum arbitrium, nec ad bonum, nec ad malum. Si refellere uolebat opinionem scholasticã, quam Diatriba non suscepit tuẽdam, quur exagitat illam totis conuicijs, uelut, Diatriba quidem non est impia, sed loquitur & facit solum quod impius. Iã sic conferimur cum Pelagianis, ut discedamus illis deteriores, idq; duplici nomine: Primum illi simpliciter asserebant meritum condignum, nos idem docentes fucis uerborum imponimus, distinguentes meritum congruum & condignum. Deinde quod gratiam dei longe minoris estimamus quàm Pelagiani. Siquidem illi magnum quiddam tribuebant libero arbitrio quod gratiam promerebatur.

rebatur, nos pusillum quiddam, quod tamen gratiam eandem emereatur. Vt ad has uerborum præstigias paucis respondeam, Si Pelagianus dixisset, quod opinor sentire Theologos, gratiam dei nulli deesse, qui præstet quod in ipso est, & hoc ipsum quod uicissim ad gratiam inuitantem cõnititur, illi per dei benignitatem ad meritum quoddam imputari, non fuisset dãnatus: & si hæc distinctio condigni & congrui tum inuenta fuisset, fortasse uitasset anathema, quod ad hunc quidem articulum attinet, si modo meritum condignum repudiasset. Hoc ad priorem calumniam. Ad alteram respondeo nos non eleuare magnitudinẽ gratiæ diuinæ, sed potius exaggerare inæstimabilem dei bonitatem, quæ tantillum quod hominis imbecillitas præstare queat, boni consulat, quodq; deest de suo suppleat. Fatemur esse uerba clarissima, gratis iustificari, &, si ex operibus, iam non est gratia, cæteraq; per multa quæ legimus apud Paulum, sed hæc clarissima tenebant memoriter, qui nonnihil tribuerunt lib. arb. Verum hæc quoniam dicta sunt aduersus Iudæos pro gentibus, iuxta materiam subiectam debent intelligi, nimirum uenientibus ad euangelium, gratiam non dari ueluti debitam legis operibus, quæ Iudæi conabantur gentibus imponere, puta circuncisionem, discrimina ciborum ac dierum, aut alioqui recte factis: Quod si fuisset, nec Iudæi fuissent admissi qui potissimã legis par-

BIBL. UNIW. POZNAŃ.

partem non obseruarant, nec gentes qui uacui bonorum operum ab idololatrijs & scortationibus uenie/bant ad euangelium. Ita gratis dari dicitur, quod dat/tur absque illis operibus, sine quibus Iudæi negabant dari gratiam. Non tamen consequitur, in quibus/dam aliqua non potuisse præcedere, quæ gratiam inuitarent.

228 Hæc dißimulans Lutherus aerem uerberat, eadem opera dißoluta sunt quæ congerit proximo cap. Sub/latis enim columnis corruit quicquid superstruxit. Quod autem rursus insultat uniuersis ecclesiæ docto/ribus, qui in tam clara Pauli luce cæcutierit, ne nullũ meritis locum relinquerent, Imò pia religione diuinarum scripturarum nõ sunt ausi inducere rerum omnium absolutam necessitatem, quam ne philosophi quidem saniores approbarint, præsertim quum in litteris diuinis toties uiderent factam mẽtionem, meritorum, præmiorum, operum mercedis, brabeorum, certaminum, & coronarum. Lutherus igitur illis non oculatior est, sed audacior.

229 Nec Abrahæ exemplum subuertit liberum arbitriũ. Nam apostolus illud produxit aduersus Iudæos, contendentes ex gentibus non admittendos ad euangelij gratiam, nisi circunciderentur, reliquasq; legis ceremonias obseruarent, uelut illis esset imputanda salus. Quoniam autem Abraham nondum circunci/sus,

ſus, qđ erat legis ſignaculũ, meruit à deo iuſticiæ laudem ob fidem, colligit & gentes per eandem fidem, absque circunciſione poſſe iuſtificari. Iudæi plurimum tribuebant Abrahæ, quo patriarcha magnopere gloriabantur. Nec erat aliud exemplum inſignioris fiduciæ, qui præter ſpem in ſpem credidit, & ita conſtanter credidit, ut iuſſus non contatus ſit immolare filium unicum Iſaac, in quo reſidebat omnis ſpes poſteritatis. Hoc igitur adfert in medium, ſimul ut Iudæis obturet os, & gentibus addat fiduciam. Quod autem Lutherus id quod de ritibus legis, aut externis operibus dictũ eſt, torquet ad oẽs hominis actiones, ſuo more facit parũ pudenter. Nam hoc ipſum quod Abraham credidit deo, opus erat, nec tum primum Abraham cœpit credere deo, ſed tum æditum eſt nobis euidens exemplum fidei. Quid igitur hic agit Paulus? ut oſtendat, opa patriarchæ omnia fuiſſe ingrata deo, priusquam illi quod credidit dei promiſsis imputatum ſit ad iuſticiam? Nequaquam, Nam & ante crediderat Abraham, & deo grata erant illius opera, ſed oſtendit illius fiduciam adeo placuiſſe deo, ut per hanc incircunciſus, & nullis Moſaicæ legis obſeruationibus commendatus mereretur iuſti titulum, idqúc ſuffragio dei. Omitto quod identidem nobis occinit, quicquid iuſtum

non eſt,

non est, id esse damnabile, & ira dignũ, nec agnoscẽs actiones medias, nec iusticiam moralem aut imperfectam. Sed operanti inquit imputatur merces secundũ debitum, credenti imputatur fides ad iusticiam. Paulus sentit de Iudaico operario, qui securus de fide & charitate, sic exercebat opera legis, quasi per illa daretur salus. Credenti uero incircunciso, ideo dicitur imputari iusticia, quod gratis condonantur peccata: Nec enim fides confert iusticiam si desit charitas, sed fides primus aditus est ad iusticiam. Id confirmat testimonium Dauid, Beatus uir, cui non imputabit dominus peccatum, hoc est, cui per fidem gratis condonata sunt crimina. Id euidentius declarant quæ sequuntur. Quomodo ergo reputata est, in circuncisione, an in præputio? Non in circuncisione, sed in præputio. An non hæc dilucide commonstrant Paulum agere de legis cæremonijs, aut certe externis operibus, quæ sine fide & charitate præstari possunt apud homines? Sed Paulus distinguit operantem à credente. Verum, sed operantem Iudaice, sine charitate, cum fiducia operũ corporalium, quales nimium multos habet & hodie Christianismus, & credentẽ Christiano more, nimirũ fide, quæ per dilectionem operatur. Ex his facile diluuntur, quæ magnifice disserit hic Lutherus. Nã properandum est, ne nullus sit uoluminis modus.

230 Nec in proximo capite quicquam adfert noui, præter asse

ter asseuerationes, iactans nescio quod agmen ualidissimorum argumẽtorum si proferre liberet, ac propemodum minitans se totum Paulum perpetuo commentario sic interpretaturum, quemadmodum hæc interpretatus est. Sed eadem opera nobis interpretari poterit Homerum ac Virgilium.

Quod proxime sequitur caput præter uerborum ampullas, ac strenuas asseuerationes, & hyperbolicas exaggeratiõnes iã toties auditas ac reiectas nihil habet eoq; nõ morabimur his recitãdis aut refellẽdis lectorẽ. Iactat iam dudum partã uictoriã, quã ni fatemur, paratus est totum Paulum in nos instruere, quod bonũ atq; commodum sit, si quis permiserit, ut scripturas solus suo arbitratu interpretetur, reiectis omnium sententijs. At ni me mea fallit opinio, quemadmodũ Paulus magna uchementia pugnauit aduersus fiduciã operum humanorum, quum per hanc uideret euangelij gloriam periclitari, ita si nunc uideret plerosq; ob negatum liberum arbitrium, & inductam omnium rerum absolutam necessitatem, uel desperare, uel securos uiuere, quasi nihil referat bene operentur an male, modo sibi persuadeant deum pro peccatis hominũ dedisse pœnas, omnibusq; donaturum uitam æternam qui credunt ipsi, maiore uehementia tueretur liberũ arb. & attolleret naturæ uim in homine relictam, qđ facit, dum philosophis exprobrat suam impietatem. 238

232 Pergit urgere nos duobus Pauli uerbis, carnis & spiritus. Paulus Roma. 8. scribit. Vos in carne nõ estis, sed in spiritu, si tamen spiritus dei habitat in uobis. Si quis autem spiritũ Christi non habet, hic non est eius. Ex his uerbis colligit omnes esse in carne qui spiritũ Christi non habent, & esse satanæ, qui Christi non sunt. Donamus hoc etiam sicut Lutherus alibi docuit, omnes quãtumuis iustos, simul esse sub regno spiritus & satanæ, quod in his etiam concupiscat caro aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Sed perimit liberum arbitrium quod sequitur, Qui in carne sunt deo placere non possunt, & quod præcedit: Prudentia carnis mors est, prudẽtia autem spiritus uita æterna. Et prudentia carnis legi dei non est subiecta: nec enim potest. Quid si respondeam hæc pertinere ad Iudæos gloriantes in littera legis, spiritu uacuos? Hinc enim cœpit hic sermo, quanquam Paulus suo more uidetur & longius protrahere disputatiõem, in ea quæ finitima sunt huic materiæ. Sed quid hinc colligit Lutherus? Liberum arbitrium quoniam in carne est, nõ posse suis uiribus assequi spiritum? Id fatemur maxime. Impium esse quicquid conatur? Hoc iam ostendimus falsò colligi. Nihil boni facere? Iam distinximus boni uocabulum. Nec absurdum sit, si quis malefaciens hactenus dicatur placere deo, ut iudicetur idoneus capiendæ gratiæ. Nam reges quos conspexerint

magna-

magna ui fideque dimicasse pro dominis suis quamuis improbis aduersus ipsos, tamen conantur sibi conciliare, sperantes fore, ut simili fide studioq; pugnent pro ipsis. An Paulus persequens ecclesiam dei peccarit, nunc non definio. Lex præcepit ut si quis extitisset propheta qui diuersa doceret à lege, tolleretur è medio, Christum docentem aut ædentem miracula non uiderat, apostolos non audierat, sed acceperat Iesum quendam legis perniciem molientem à sacerdotibus, scribis, pharisæis, senioribus & populo, magno consensu captum, accusatum, conuictum, dānatum & sublatum in crucem, Huius superesse discipulos eadem molientes. Affectus erat pius, error erat in personis & re. Verum ut maxime peccarit quod ipse agnoscit, tamen ex hoc errore deus iudicauit illum fore strenuum euangelij propugnatorem. Quemadmodum in muliere abortus non est bonum opus naturæ, spem tamen facit fœcunditatis, & erubescere adolescentem uirtus non est, arguit tamen indolem aptam uirtuti. Reijcit interpretationem Origenis de homine secto in tres partes, spiritum, animam & carnem. Verum quum constet hoc à Paulo factum, exponat nobis, quæ sit illa tertia pars hominis, quum ipse nolit esse plures duabus. Somniat Origenes, quia non probat quod interpretatur, & Lutherus sua probat adferens tam uiolentas

interpretationes. An asseuerare probare est? Non potest arbor mala, fructus bonos facere. Si fructus sunt opera hominis, Lutherus docet, ne iustorum quidem opera esse bona. Et bonos fructus appellat, non quomodocunq; bonos, sed euangelicæ bonitatis, quos fatemur per liberum arb. præstari non posse, citra gratiæ præsidium. Si mali dant bona dona filijs suis, num ideo peccant adulteri, dum filios suos alunt iuxta naturæ deiq; legem. Quemadmodum igitur quidã boni dicuntur, non quod præditi sint perfecta uirtute, sed quod aliquousq; ad probitatem accesserunt. Ita dominus apud Luc. 11. malos appellat discipulos suos, nõ quod essent extremæ maliciæ, sed quod imperfecte essent boni. Etenim si de malis & impijs sensisset, nõ addidisset, quãto magis pater uester cœlestis de cœlo dabit spiritum bonum petẽtibus se? Quorsum autem hic attinet illud: Omne quod nõ est ex fide peccatum est. Loquitur enim illic Paulus de ijs qui uescebantur carnibus reclamante conscientia. Peccat autem quisq; id facit quod tametsi non est peccatum, tamen ex infirmitate conscientiæ indicat esse peccatum. Hoc testimonium alio loco tempestiuius citari poterat.

Rursum quod citat ex Esa. cap. 10. quum sit 65. In-
233 uentus sum à non quærentibus, palàm apparui ijs qui me non interrogabant, quid facit aduersus liberum arbitrium? Lex Christũ promiserat Iudæis: ab his repulsa

pulsa gratia demigrauit ad gentes, à quibus non expectabatur. Id magis astruit liberũ arbitrium: Iudæi repulsi sunt, quod excæcati prauis cupiditatibus, oblatam gratiam aspernati sunt, utiq; per liberum arbitrium: Gentes quoniam per ignorantiam errarant, audito uerbo gratiam amplexi sunt, nimirum libero arbitrio gratiæ ueluti respondente. Porrò quod ad singulos homines attinet, & inter Iudæos & inter gentes erant qui quærebant dominum, hoc est qui sic uiuebãt ut essent capaces uĕturæ gratiæ. Itaq; si Lutherus sentit quæri dominum ab ijs, qui se præparant gratiæ, & Iudæi uiuentes iuxta legem quærebant dominum, qđ hic dicitur, pertinebit pariter ad uniuersos homines, quorum nullus quæsiuit gratiam, sed oblatam & non quæsitam accepit. Nunc prophetæ dictum duas habet partes, quarum altera pertinet ad Iudæos incredulos, altera ad gentes obtĕperantes euangelio. Quod enim ait, Ecce ego ecce ego ad gentem quæ non inuocabat nomen meũ, de gentibus dictum est. Quod sequitur, Expãdi manus meas tota die ad populum incredulũ, ad Israelem pertinet, etiam exponente Paulo. Verum est paucos ex scribis ac pharisæis, paucos ex philosophis obtemperasse euangelio, quod suis uiribus asserebant sibi iusticiam: in culpa non fuit liberum arbitrium, sed malæ cupiditates, quæ liberum arbitriũ magis in illis obfuscarant quàm in alijs. De Paulo iam di-

ximus. Pio ferebatur affectu, simplici laborabat erro re, quem solo admonitu posuit, Christus illum re pente uertit in agnum ex lupo, at nõ idem facit in o mnibus: plerosq; paulatim allicit, ac format ad gra tiam. Non erat similis error in scribis ac sacerdotib. Proinde quod ait in Iudæis plurimum esse quod libe ro arbitrio tribuatur, in gentibus nihil esse quod tri bui posit, utrunq; dictum est ὑπερβολικῶς. Nam & inter gentes erant qui naturaliter quæ legis sunt faci ebant, qui ad iusticiam ac felicitatem enitebantur, & inter Iudæos erat crassissima ignorantia, cum peruer sitate coniuncta, qui uidentes non uidebant, & audien tes non audiebant.

254 Post hæc ex Ioan. profert nobis terribilẽ uocẽ, mũ dũ, q̃ uel una sufficiat ad internecione delẽdã uniuer sam lib. arb. cohortẽ. Negari non potest in litteris cuã gelicis mundi uocabulum aliquando sonare, totã hãc terræ sedem, Vnde iubentur apostoli ire in mundum uniuersum & prædicare euangelium omni creaturæ. Et hoc ipso loco, In mundũ uenit, et mũdus per ipsum factus est. Interdum pro hominibus rerum fluxarum amatoribus magis quam cœlestiũ: uos de mundo non estis. Ego elegi uos de mũdo. Verum quid hic per mũ dum putas intelligi, quum ait: Et mundus eum non co gnouit? Hominum genus. Isto, Quid mirum si lux na turæ non cõprehendit illam lucem, quam uix angeli compre

cõprehendunt, in uno homine diuinã naturam cũ humana coniunctã: hominẽ natũ ex uirgine, tres psonas unũ deum: Vnius peccato mortaliũ uniuersum genus damnatum, Vnius morte redẽptum. Hanc lucẽ fateor non poterat assequi lib. arb. neq; mundus ille dei spiritu destitutus. At non ideo protinus nihil uidet lib. arb. id quod ridicule colligit Lutherus, Mundus odit Christum, Mundus totus in malo positus est. Mũdus, id est lib. arb. est sub regno satanæ. Multo rectius Ambro. exponit in libris de uocatione gentium, hanc uocem, nimirum mundum esse uocabulum generale, complectens uniuersum hominum genus ex bonis mediocribus, malisq; conflatum, sed ita ut maxima portio sit malorum: itaq; scripturarum idiomate de mũdo prædicari, qd' in uulgus hominũ cõpetit. Vnde & in tabernaculo erat sanctũ, quod appellabatur κοσμικὸν, id est mũdanum, quod nõ Iudæos solũ ac proselytos, sed quãuis nationẽ reciperet. Itaq; quũ dicitur mũdus in malo positus, intelligitur uulgus hominũ esse tale, & qcquid est in mundo cõcupiscentia carnis est, aut superbia oculorũ, aut superbia uitæ, quia tales sunt pleriq; mortaliũ etiã hodie, tũc multo magis. Ita Iesus uenit in mũdum quẽ cõdiderat, et à mũdo agnitus nõ est. nõ q, à nullis, sed qd' à paucis. Venit ĩ ppria hoc est, ad nationem Iudæorũ, nec à suis agnitus est, nõ qd' nulli Iudæi crediderĩt, sed qd' ppauci præ turba nõ credẽtiũ.

Selegit apostolos è mũdo. Si mundus totus est osor dei num tales erant omnes apostoli priusquam à Christo uocarentur. Craßi erãt, impij non erant. Multa ignorabant, at non oderant Christum. Qualis erat & Nathanael & Nicodemus, qui per legem seruari poterãt si Christus non aduenisset. Sed seuocauit apostolos à promiscua crassaq; multitudine, quẽadmodum antea semouerat Iudæos à reliquis nationibus, ut redderet sibi populum peculiarem, quũ et in gentibus essent accepti deo, & inter Iudæos impij, & inter apostolos repertus sit Iudas. Habes mundi bene tortum uocabulũ.

235 Quotquot receperunt eum dedit eis potestatẽ filios dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius, qui nõ ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex deo nati sunt. Hic promit nobis nouã & inauditam interpretationem. Sanguines interpretatur Iudæos, qui noluerint esse filij regni, quod gloriarentur se prognatos ex semine prophetarum: Voluntatem carnis, studia populi, quibus in lege & operibus exercitati sunt, nimirum carnales & spiritu uacui: Voluntatem uiri, generaliter omnium studia, siue sint in lege, siue sine lege, puta gentium & quorumlibet hominũ: ut hic sit sensus, nec natiuitate, nec studio legis, nec ullo alio studio humano fieri filios dei, sed solũ natiuitate dei. Si igitur inquit, non nascũtur carne, nec educantur lege, nec parantur ulla hominis disci-

plina,

plina, sed ex deo renascuntur, manifestũ est, liberum arbitrium nihil ualere. Atq; hic quoq; accersit ab Hebræis suppetias, qui uirũ accipiunt pro quocunq; homine, sicut carnem per antitheſin pro populo sine spiritu. Voluntatem autem dici pro summa ui in hominibus, nempe pro principali parte liberi arbitrij. Macte istius animi esto Luthere, Sic interpretare scripturas, & uiceris. Quid autem sibi uult illud uerbum puto? Num sic loqui decet eum, qui negat in scripturis quicquam obscurum esse, quiq; se profitetur habere spiritum Christi? Quod si hæc non ex animo loquitur, ac sibi quoq; displicẽs, adiecit modestiæ causa, puto, Vbi est illa uictoria, quam ex Ioannis uerbis sibi pollicebatur? Ad hæc, ubi est illa simplicitas, quam à nobis exigebat, qui hic tantũ troporũ inuehit, nulla prorsus necessitate, tantũ quia sic expediebat ad causam quam agit? Cui non perspicuum est, hic Ioannem discreuisse natiuitatem spiritualem, qua nascimur per adoptionem filij dei, à natiuitate carnali, qua nascimur homines ex hominibus iuxta communem naturæ legem. Quur hic displicuit Augustinus, qui sanguines interpretatur semen maris ac fœminæ, aut si non placet seminis uocabulum, materiam unde coalescit fœtus: Carnem fœminam, uirum maritum, uoluntatem, utriusq; complexum. Ante torserat nos hoc uerbo fieri, inde colligens hominis uoluntatem nihil age

re in hac renascentia, quum ex his uerbis sacri probatiq; doctores, quorum est Chrysostomus, demonstret liberum hominis arbitrium & ad ipsam renascentiam, & ad tuendum adoptionis honorē nonnihil agere. Quærit enim, quur Euangelista maluerit dicere, Dedit eis potestatem filios dei fieri, quàm dedit eis filios dei fieri. Sic enim potius loquendum erat, si tam renascimur sine nobis, quàm nascimur sine nobis. Nā sermo uehementer absurdus fuerit si quis dicat, Ago gratias deo, qui dederit mihi potestatem fieri hominem potius quàm equū, sed qui me fecerit hominem potius quàm equum. Respondet autem tribus de causis ita loqui maluisse, Primum ut potestatis à deo datæ nomine declararet, eum honorem à nemine posse nobis intercludi, nisi nosipsi intercluserimus. Datam autem esse omnibus summis iuxta & infimis. Deinde quo significaret eam gratiam non temere neque citra nostram operam nobis infundi, sed quum ipsi uolumus, inquit, tum eam inquirimus. In nostra enim potestate est, filios dei fieri. Quippe nisi promptum ad eam accipiendam animum exhibeamus, neque diuinum ad nos munus accedit, neque quicquam in nobis operatur. Vbique igitur non uiolentū, non coactum, sed uoluntarium penitus & liberum ostendit arbitrium. Postremo q, deus nobis per baptismū largitur remissionē omnium peccatorū. Cæterum ut persistamus

in inno

in innocentia, nec in priſtinas ſordes reuoluamur, no ſtræ uirtutis ac ſtudij ſit. Ne mihi protinus hic Chry ſoſtomũ ſacrilegũ faciat, Mox oſtendemus pie dictũ fuiſſe, ſi quod ille ſenſit interpretari malimus, q̃ ex uerbis calũniã texere. Poterat Ioãnes breuius dicere, Qui non ex humano coitu, ſed ex deo nati ſunt, Ve rũ dũ quaſi depingit coitũ maris ac fœminæ, ſubindi cat ſimilitudinem in renaſcentia ſpirituali. Neq; enim nos proprie naſcimur ex deo, quum ex deo nihil pro prie naſci poſſit, niſi deus, quemadmodum ex homine nihil naſcitur niſi homo. Verum dum commemorat ſemina, dum uoluntatem uiri & fœminæ, uerecunde ſubindicat in renaſcentia complexum quendã eſſe gra tiæ & liberi arbitrij: gratiam quidem eſſe ſuperio rem, cæterum ſine noſtræ uoluntatis aſſenſu, non fie ri conceptum hunc ſpiritualem. Fortaſſis & illud in dicat, non ſubito fieri filios dei, ſed primum datur po teſtas oblata per uerbum gratiæ, quam ſi mutuo com plexu receperimus, tum infundi ſpiritum, in quo cla mamus, Abba pater. Nec ideo poteſt homo ſibi uin dicare gratiam, quam non habuiſſet, niſi fuiſſet obla ta gratis, ſed non datur inuitis, nec auerſantibus.

Sequitur, de plenitudine eius accepimus omnes, & 236
gratiã pro gratia. Rurſus hic adducit nouã interpre tationẽ, gratiã. i. nullo merito ſtudioũe, ſed p gratia Ieſu Chriſti, quemadmodum & Paulus Ro. 5. Gratia

dei &

dei & donum, in gratia unius hominis Iesu Christi. Quid his uerbis agit Paulus? Quid, nisi gratiã Euangelicam oĩbus collatam, per Christum redẽptorem? Hocnemo negat Christianus. Nã hic in, usurpatũ proper, declarant quæ sequuntur. Si enim unius delicto mors regnauit per unum, multo magis abundantiam gratiæ & donationis & iustitiæ accipiẽtes in uitam regnabunt per unum Iesum Christum. Non igitur hic ostenditur noua gratia, per quam confertur gratia, sed indicatur autor gratiæ ex quo fluxit, & minister gratiæ, per quem fluxit ad omnes homines, unde & abundantiam appellat, quod largißime per Christum effusa sit in omnes nationes. Porrò Ioannes gratiam pro gratia dixit, non significans geminam gratiam, sed aliter datam, quemadmodum Paulus dixit, ex fide in fidem. In lege fides erat promißionum, in Euangelio fides exhibitorũ. Sic in lege erat gratia ex Christo expectato, in Euangelio ex Christo exhibito, illa parcior, hæc uberior. Et tamẽ fatemur donum hoc à deo p Christum nobis gratis donatũ: non q. nulli fuerint, qui quicquam boni fecerint, sed quod in admißione ad Euãgelium non spectarentur merita uitæ prioris, modo prompto animo reciperetur oblatum donum. Quoties autem Paulus utitur his uerbis, gratia & gratis, non opponit libero arbitrio complectenti gratiam oblatam, sed Iudæorum insolentiæ, qui freti

suis

suis operibus, putabant ociosam esse gratiam. Iam quod addit Diatriben cũ sophistis dicere, nos nostro conatu dei gratiam impetrare, & ad illam recipiendam præparari, licet non de condigno, sed de congruo, tropus est, qui Græce dicitur ψευδολογία. Hãc opinionem recensui, non defendi. Reliqua destomachatio qua uociferatur nos negare Christum sceleratius quàm Pelagianos, nihil ad nos pertinet, quum ex loco perperam exposito nascatur.

Profertur tandem nobis Nicodemus ad subruẽdum 237
liberum arb. Si liberum arbitrium est caro, impietas, odium dei, & quid non? nequaquam est aptum exemplum Nicodemus. Nam eum arbitror in eo statu fuisse, ut seruãdus fuerit etiam si tum non uenisset Christus. Nec mirum si non intelligebat arcanã Christi doctrinam ui liberi arbitrij, quam soli prophetæ aut prophetico afflati spiritu intelligebant. Verum ea cognitio non requirebatur à uulgo Iudæorũ: et haud scio, an prophetæ singula tam dilucide nouerint, q̃ Christus aduenies suis aperuit. Proinde quod multa commemorat, quæ mundus nullis naturæ uiribus asse qui potuerit, uerissima loquitur, & nobis assentientibus prædicat, Verum per hæc non efficit, quin homo per liberum arbitrium, & multa perspiciat, & nonnihil etiam conari possit inuitante gratia.

Nectit alium syllogismum, per contentionem ucre 238
contenti

contentiosum: Christus inquit, per contentionẽ, hoc est ad distinctionem contrariorũ dicitur, uia, ueritas, & uita, proinde quicquid non est Christus, error est, mendacium est, mors est. Quod ni concedimus, Christum facimus superuacaneũ, qui uenerit homini redimendo, qui lib. arbitrium habebat sanũ, iniustum facimus, qui totum hominẽ damnet, quũ præstantissima sui parte sanus esset. Requiram à Luthero, ut mihi respondeat, an dialectica sit methodus, hoc est uia, ad inueniendum uerum. Si negabit, reclamabit omnis scholarum chorus. Sin fatebitur, aut fatebitur dialecticam esse Christum, aut concedet aliquam esse uiam, quæ neque sit Christus, neque sit error. Monstrat hoc dialectica, necessario uerum esse, quod homo sit, idem esse animal. Rursus q̃ animal non sit, nec hominem esse. Habent Mathematici certissimas ac demonstrabiles ueritates, quarum nulla Christus sit, neque tamen mendaciũ. De uita nihil attinet disputare: Christus lux est, igitur tenebræ sunt, quicquid Christus nõ est. Pharisæus ille Lucæ 10. qui tentabat dominum, interrogauit quod esset maximum mandatum, quomodo laudatur à Christo, quod recte respondisset, si falsum erat quod respondit? Et quomodo cernebat, si totus erat tenebræ? Dicet hoc illi per legem fuisse patefactum, non per liberum arbitrium. Esto, sed unde nouit hoc esse mandatum omnium maximum inter

tam

tam multa mandata? Hoc certe per liberum arbitrium perspexerat. Quid multis? Si tenebræ sunt quicquid Christus non est, quur ipse Lutherus probat in calce huius uoluminis scholasticorum distinctionem de luce naturæ, gratiæ, & gloriæ? De philosophis iã dictum est, qui teste Paulo, per lumen naturæ perspexerunt dei uirtutem ac sempiternam illius diuinitatem, & tamen in eis non erat Christus, quemadmodum nec in tentatore legisperito. Sed quid attinet de philosophis dicere, quum dæmones impij tanta polleant rerum cognitione, qui sic credant, ut etiam contremiscant, & in his certe nulla portio residet, nisi quod erat naturæ. Reliquam argumentationem iam ante refellimus. Non statim sanum est, quod aliquid habet non obnoxium morbo. Nec statim superuacaneus est medicus, si febricitans careat podagra. Et si quid ualet liberum arbitrium in amplectenda gratia, non statim potest sibi dare salutem. Nec iniustus est iudex si damnet parricidã, qui tamen nõ commiserit adulterium. Meræ uerborum turbæ sunt hæc. Nec ideo stellæ tenebræ sunt, quia sol lux est mundi. Christus unica uia est ad æternam felicitatem, quæ nihil habet erroris. Solus est æterna ueritas, quæ nec falli potest, nec fallere. Solus est uita, per quem solum contingit totius hominis immortalitas.

Hæc mihi

239 Hæc mihi uidetur adiecisse, quo liber cresceret coronide, ut uix unquam nouit desinere, manumq; de tabula tollere. Mirum enim quàm hic φλυαχῶ uerbis nugalibus. Qui credit in eum, non iudicatur: qui non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomen unigeniti filij dei. Si liberum inquit, arbitriũ est de numero credentium, non eget Christo: Si non est, damnatum est: Si damnatum, igitur & impium: Si impium, non potest ad pietatem conari. Non excutiam hic, quod ante dixit hominem etiam immerentem damnari, quemadmodum & immerentem seruari. Quod si impietas est peruersus affectus in deũ quemadmodum pietas est religiosus affectus in deum, quid dicet de infantibus, qui decedunt absq; lauacro regenerationis, certe peruersum affectum non habent, & tamen damnantur. Verum ne his παρέργοις moremur tempora lectoris, Ioannes illic agit non de quauis credulitate, sed de fide in filiũ dei. Hanc quoniam liberum arbitrium non poterat assequi, nec deus imputabat. Constat enim plurimos fuisse Iudæos, qui nõ nouerunt filium dei, licet expectarent Messiam quendam Iudaicæ gentis redemptorem, Plures autem qui non nouerunt spiritum sanctum: hæc fides nunc à nobis exigitur, quibus scripturis, prædicatione, miraculis, & orbis consensu sufficienter persuasum est, Alioqui multa credunt homines per liberum arbitrium,

deum

deum esse, & esse æternum, initij iuxta ac finis expertem, immensum, incomprehensum, omnia moderantem, simpliciſsimum, omnipotentem, quo nihil maius meliusue nec sit, nec esse posſit. An non hæc est aliqua fidei pars? Credidere gentes deum esse malorum ultorem, & remuneratorem piorum. Huc usq; peruenit humana ratio, ad mysteria Christianæ fidei peruenire non potuit absq; gratia. Cernit itaq; ratio, credit ratio, expedit uoluntas aliquousq; summum bonum, sed absq; gratia non pertingit ad æternam salutem, nec in paganismo, nec in Iudaismo, nec in Christianismo. Itaq; neq; nihil potest liberum arb. & opus est gratia. Pergit, Omnis homo mendax, ait scriptura. Quid liberũ arbitrium? Scriptura inquit, mentitur. Quin homo non est mendax optima sui parte, id est, ratione & uoluntate, sed tantum carne & sanguine, & medullis, ut sic illud totum unde nomen habet homo, scilicet ratio & uoluntas, sit sanum & sanctum. Quantum isti fuit ocij, dum talibus nænijs expleret chartas. Quid est, Omnis homo mẽdax? An quicquid complectitur homo naturæ uiribus, mendacium est? Quid insanius? Quid igitur? Nimirum illud, Solus deus in promiſsis fallere non potest, Omnis autem homo potest, quia sæpe mutat uoluntatem, sæpe non est facultas præstandi quod recepit. Quando uero desinet occincre nobis impudens mẽdacium, quod totam

hominis rationẽ ac uoluntatem faciamus ſanam & ſanctam? Toties contrarium dixit Diatriba, tamen uidetur ſibi perquàm ſalſus, huiuſmodi nugis laſciuiens, carne, ſanguine, & medullis. Miræ uero facetiæ, quæ ſcribantur ab homine, qui ſe iactat habere ſpiritum Chriſti. Sed ualeant hæc ſcurrilia.

240 Reuocat illud toties decantatum Ioannis 3. Non poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cœlo. Vides proſtratas liberi arbitrij uires. Quum ait, non quicquam, excludit omnia. Si nos urgeat uerbis ſimplicibus, fatemur & nos hominem nihil habere quod non acceperit à deo. Verum hic baptiſta non loquitur de quolibet rerum genere, ſed de autoritate baptizandi ac remittendi peccata. Quum enim cœpiſſet baptizare Ieſus, ac prædicare regnũ dei, quod prius fecerat Ioannes, huius diſcipuli humano quodam affectu fauentes ſuo præceptori, nec adhuc de Ieſu ſentientes ut illo dignum erat, renunciant ei dicentes, Rabbi qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibebas, ecce hic baptizat, & omnes ueniunt ad eum. Sic & Iudæi obmurmurabant Ioanni, Quid ergo baptizas, ſi non es Chriſtus, neque Helias, neque propheta? Et ipſe dominus hac quæſtione obturat illis os exigentibus in qua poteſtate hæc faceret, percontans eos uiciſſim, Baptiſmus Ioannis utrum eſſet è cœlo, an ex hominibus. Quoniam igitur per

tur persuasum habebant, quod Ioannes prædicabat & baptizabat esse cœlitus traditæ autoritatis, de Iesu uero potestate dubitabant: Ioannes ostendit quanto sit excellentior Christi autoritas, qui sponsus esset ac dominus profectus è sinu patris, quum ipse nihil aliud esset, quàm seruulus, indignus qui illi soluceret corrigias calciamentorum. Meminerit igitur Lutherus, quod nos alicubi docuit, sermonem exponendum iuxta id quod agitur: autoritatem baptizandi aut condonandi peccata, aut abrogandi legem, aut condendi nouam, aut præscribendi fidei dogmata, aut similium functionum, nullus accipere potest, nisi fuerit illi datũ diuinitus, quæ summa potestas erat in uno Christo, de cuius plenitudine accipiunt omnes. Ioannes nõ remittebat peccata, nec autor erat regni cœlorũ sed præco duntaxat ac πρόδρομος. Et tamẽ hoc ipsum quod agebat, autoritate cœlitus data faciebat. Quid hæc ad liberi arbitrij uires? Liberum arb. nõ instituit sacramenta Ecclesiæ, neq; condit articulos fidei, nec abrogat diuinas leges, quod fecit Christus, qui solus hoc potuit. Atq; hic nobis rursus ostẽdit nouũ scopũ, Non de natura ingens, sed de gratia disputamus, nec quales sumus sup terrã, sed quales sumus in cœlo corã deo quærimus. Quid hæc aliud sunt q̃ uerba tragica, nihil significãtia? Nónne hæc est summa quæstionis, quantũ habeant momẽti naturæ uires ad accipiẽdam

aut tuendam dei gratiam? Et nónne Diatriba semper coniunxit actionem liberi arbitrij cum energia gratiæ? Sui potius scopi meminisse debebat Lutherus, qui semel docuit nos absolutã rerũ omniũ necessitatem. Et tamen hic ita loqtur, Scimus q, homo dominus est inferioribus se constitutus, in quæ habet ius & liberũ arbitrium, ut illa obediant, & faciant quæ ipse uult & cogitat. Vt ne excutiam quod hic lib. arbitrium uertit in ius, quum aliud sit uelle, aliud habere ius: deinde cuentum connectit libero arbitrio: quod si sentit ut loquitur, non semper equi, ursi, leones & elephanti faciunt quæ uolumus, itaq; & hic perit liberum arbitrium. Sed hoc quærimus, inquit, an homo erga deum habeat liberũ arbitrium, ut ille obediat & faciat quod homo uoluerit, an potius deus in hominem habeat liberum arbitrium, ut is uelit & faciat quod deus uult, & nihil possit, nisi quod ille uoluerit & fecerit. Hæc ille. Quis nescit absoluta potestate deum nihil nõ posse, & in huius arbitrio totum hominẽ esse, quem ex homine uertere possit in nihilum: at iuxta potestatem ordinatam, homo frequenter facit, quod deus non uult, et deus ab homine coactus quodammodo facit quod non uult. Non uult mortem peccatoris, & tamen dum peccator contemptis omnibus nõ uult resipiscere, deus occidere cogitur, quem uolebat uiuere. Et deus uult omnes saluos fieri, & tamen contra illius

illius uoluntatem plurimi suo uitio pereunt. Postremo in his in quibus deus obstrinxit nobis fidem suam, facit quæ nos uolumus, uelut in sacramentis ecclesiæ, per impium ministrum panẽ & uinum uertens in sanguinem suum, idq; quodammodo nolens & inuitus. Iam si de bonis pariter ac malis loquitur Lutherus, qd sibi uolunt illa uerba, nisi quod ille uoluerit & fecerit. Verum de his aliâs abũde dictum est. Audi clausulam, Homo non potest tale quicquam facere qualia fecit Christus, condonans per baptismum peccata, præscribens noua dogmata, legem abrogans, nouum condens testamentum, nisi fuerit ei datum desuper, ergo liberum arbitrium nihil est. Sequitur eodem in loco, Qui de terra est, de terra est, & de terra loqtur, Qui de cœlo uenit, super omnes est. Liberum arbitrium non uenit de cœlo, ergo terra est, nec aliud sapit q̃ terrena. Et qui de terra loquitur, impia loquitur. Sic torquet scripturas. Imò Ioannes hic de se loquitur, ostendens, quantum absit ipsius doctrina à cœlesti doctrina Christi, qui solus è cœlis uenerat. Ob humilitatem itaq; conditionis se terram uocat, scq; terrena loqui dicit, præ sublimitate dogmatũ quæ Christus erat prolaturus, qui uenerat è sinu patris. Alioqui Ioannes num loquebatur impia? Non opinor, Sed humilia, si conferantur ad Christi doctrinã. Nec huc pertinent, quæ refert ex Ioannis 8. Vos de mundo

estis, ego nõ sum de mũdo: Vos de deorsum estis, egõ de supernis sum. Quibus hic loquitur Christus? Impijs & pertinacibus Iudæis, de quibus testatur, Vos in peccato uestro moriemini: & mox, ego quod uidi apud patrem meum loquor, & uos quod uidistis apud patrem uestrum facitis. At isti, inquit, lib. arbitrium habebant, ad quos loquebatur, & tamen de mundo eos esse dicit. Quid ego audio? an Diatriba dixit liberum arbitrium esse è cœlo, hoc est nihil sapere nisi cœlestia? similis delirationis est qd addit, Quid noui diceret, si secundum carnem & crassos affectus de mundo eos esse diceret? An hoc non ante nouit totus mundus? Tum quid opus est homines ea parte qua brutales sunt, de mundo dicere, quum hoc modo & bestiæ sint de mundo? Obsecro te lector, an non hæc uidentur per febrem aut somnium dicta. Quis unquam dixit totam hominis rationem & uoluntatem totam esse sanam ac piam?

241 Repetit illud ex Ioannis cap. 6. Nemo uenit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Hic Lutherus idem interpretatur quod interpretabantur Manichei, quemadmodum indicauit Chrysostomus: ex his enim euangelij uerbis docebant hominem ex sese nihil omnino posse. Quod si Manicheus rectius intellexit euangelium Ioannis, quàm orthodoxi patres, sequamur illum, & cum illo uocemur pro Christianis Manichei.

Dominus

Dominus illic ſublimia quædam & humani ingenij captum ſuperantia de ſe proferebat. Ego ſum panis uiuus, qui de cœlo deſcendi, &, ut quiſquis uidit filium, & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Hæc uerba non hominis erant, ſed diuinitatem præ ſe ferebant. At illi uidebant corpus humanum, audiebant uocem humanam, nouerant humiles parentes, et cognatos tenues. Hic itaq; domini ſermo, non ſolum uidebatur incredibilis Iudæis, uerum etiam blaſphemus & impius, nec uulgo tantum, ſed ipſis etiam diſcipulis, adeo ut quidã à præceptore defecerint. Murmurantibus itaq; Iudæis dominus reſpõdit, Nemo uenit ad me, niſi pater meus traxerit eũ: hoc eſt, nemo credit diuinitatẽ filij, niſi pater illi reuelarit. Nõ enim hoc eſt humani captus. Hæc ſenſiſſe Ioannẽ res ipſa loquitur. Nunc ui de Lutheranã collectionẽ, Liberum arb. naturæ uiribus nõ poterat credere hominẽ ex homine natũ, eſſe deum ex deo natum, ideo nihil omnino uidit, & his uerbis non potuit aſſentiri niſi tractum cœlitus, ideo nulli ueritati potuit aſſentiri. Primum hoc donat opinor nobis, trahendi uocem hic non eſſe uiolentiæ, ſed inuitantis potius & allicientis. Et nos fatemur fidem qua purgamur à peccatis eſſe donũ dei, et donũ gratuitũ. Verũ hoc donũ nõ datur niſi uolẽtibus. Donũ aũt offertur omnibus. Quod aũt non ab omnibus

recipitur, uoluntas hominis libera est in causa. Legimus eodē in loco, Omne quod dat mihi pater, ad me uenit, & eum qui uenit ad me, non eijciam foras. Et alibi dominus inuitans omnes dicit, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Si homo uenit ad Christum, quid opus est trahi? si trahitur, quomodo dicitur uenire? Miscuit itaq; sermo Christi cœlestem gratiam cum uolūtate hominis. Simul enim trahitur per inuitantem gratiam, & uenit, per liberi arbitrij conatum. Verba Chrysostomi sic habent, Verū hoc nostrum non tollit arbitrium, sed diuino egere auxilio ostendit, nec inuitum, sed omni conatu contendentem uenire. Hæc os illud aureum. Et Lutherus conatus uerbum in meis scriptis ferre non potest. Verū hic metus est, ne Chrysostomus nihilo mitius audiat, quàm audiuit Hieronymus. Reijcitur quod Diatriba citarat ex Augustino sic hominē trahi, non quemadmodū uinctus catena, sed quemadmodū trahitur ouis ostenso ramo. Ait hoc quod scripsit Augustinus ad pios tantum pertinere, qui iam sunt oues, & spiritu dei ducuntur quò deus uoluerit. Hæc responsio non potest expeditius solui, quàm si dicamus eam esse falsam. Non enim Augustinus illic loquitur de iustificatis spiritu dei, sed iustificandis. Nec omnes oues Christi sunt, nec sequuntur spiritum, sed sunt oues erraticæ, sunt quæ degunt ac pereunt sub pastore lupo. Hæc enim

enim Augustini uerba sunt, Non traheris, ora ut traharis. Si quid tribuit Augustino, qui orat ut trahatur, nonne conatur, ut fidē accipiat, quā nondū accepit? Nec ideo principis donum gratuitum non est, si quis per amicos ambijt, ut impetraret. Et dominus, Qui uenit ad me, non excludam. Fide itur ad Christum: Fides autem ex auditu est, nec omnes tamen credunt quum audiunt. Frustra enim uerbum sonat foris, nisi gratia trahat intus: sed à gratia non trahitur qui se non præbet gratiæ.

Nectit nobis alium syllogismum. Ioannes inquit 16. 24
dicit, Spiritus arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me. Hic uides peccatum dici, non credere in Christum. At hoc peccatum non utiq; in cute uel capillis hæret, sed in ipsa ratione & uoluntate. Totus autem mundus arguitur incredulitatis, idq; peccatum ignoratum erat mundo, donec arguente spiritu proderetur: & in mundo est liberum arbitriū cum ratione sua & uoluntate, reum igitur & damnatum, quantum quantū est. Deum immortalem, quæ est hæc tam perplexa disputatio, quæ tortura scripturarum contra id quod sentiunt. Non enim illic agitur de libero arbitrio, sed de Iudæorum inexcusabili pertinacia, quorum incredulitas utcunq; poterat aliqua causatione prætexi, quod Christi diuinitatem nō crediderant, eo q; offenderat illorum sensus corporis humani

mani infirmitas. Verũ quod ubi missο ſpiritu, uideret per apoſtolos maiora fieri prodigia in nomine crucifixi, quàm ipſe uiuus geſſerat, nihilo minus tamen perſiſterent in incredulitate, nullo prætextu poterant excuſare peccatum ſuum. Porrò quod ait, totum mundum reum fuiſſe peccato incredulitatis ignoratο, puto hanc fidem ignoratam, de qua hic uerba fiunt, nec Iudæis fuiſſe imputatam, ante prædicatum Euangelium, imò ne in primordijs quidem Euangelij naſcentis, quum apoſtoli Chriſtum appellarent uirum iuſtum à deo deſtinatum, ſilentes de diuina natura. Neq; enim myſterium triadis exigebatur ab hominibus, antequam eſſet diuinitus patefactum per aduentum filij dei. Non igitur hoc nomine reum erat liberum arbitrium, quod tum ut ait, erat in mundo, quũ aliàs negarit eſſe in rerum natura, alioqui periſſent omnes Iudæi quamuis iuſti, exceptis paucis, quibus hoc fortaſſe peculiari reuelatione fuerat patefactũ. Quod ſi contendit liberum arbitrium nihil potuiſſe credere uiribus naturæ, palàm contradicit Paulo, Qua de re iam ante ſatis dictum arbitror. Verum demus hoc quoq;, q, ſuis uiribus nõ potuerit promereri donũ fidei, certe pulſanti gratiæ ſe præbere poterat, aut etiam ab ea auertere, &c. quæ iam toties cõmemorauimus. Neq; enim liberum arb. gignit gratiam, ſed reformatur à gratia ſic opante in homine, ut ipſa

etiam

etiam hominis uoluntas coo petur, et in concipiendo & in tuendo, et in agendo: similiter in repellendo, minuẽdo, amittẽdo. Addit hyperbolen, Christus in literis sacris semper nominatur per antitheſin, ut ubicunq; Christus nõ ſit, ibi ſit ſatanas, error, ĩpietas, tenebræ, peccatũ, mors, ira dei, inferi, quid non? Quoniam autem tota ſcriptura loquitur de Chriſto, tota pugnat aduerſus liberum arb. Parum eſt quod dictum eſt. ſinguli etiam apices, ut ait, proſternunt liberum arb. uſq; ad minimum iota. Sortes hyperbolas, ſed nihil aliud q̃ hyperbolas. Iudæorum natio Chriſtum expectabat, ſed pleriq; qualis eſſet futurus ignorabant. Expectabãt enim fortiſſimũ regem, qui populum Iſraheliticũ redimeret è ſeruitute gentiũ, quiq; totius orbis imperium transferret ad Iudæos. Et tamẽ hæc rudis craſſaq; fides ſufficiebat ad ſalutẽ. Itaq; pbabile eſt ante legẽ ſuffeciſſe ad ſalutẽ credere unũ deũ. Q d'ſi à priſcis Iudæis exigimus filij talẽ notitiã, qualẽ à nobis exigit eccleſia, pariter exigemus et ſpiritus ſancti notitiã: q, ſi nõ ĩputatur illis ignoratus ſpiritus ſanctus, nec gẽtibus ĩputabitur filij ignoratio, Diuinã naturã ex rebus cõditis utcũq; deprehẽdere licuit, dei ſiliũ nullis indicijs potuerũt deprehẽdere. Falſum eſt igitur qd'aſſumit Lutherus, ubicũq; Chriſtus incognitus eſt, ibi fuiſſe ſatanã, impietatẽ et mortẽ. Nũc fatemur extra Chriſtum cognitũ non eſſe ſalutem, Euangelica

luce

luce, per uniuersum terrarum orbem coruscante. Profitemur & nos, ut ait, duo regna, Christi & satanæ, à quo Christus suos eripit auxilio gratiæ: sed regnum Christi ponimus in perfectis, regnum satanæ in peruersis: in medio sunt infantes & languentes in Christo. Subitus iste raptus olim in quibusdam factus est, quum spiritus ederet miracula, quum instrueret uarijs linguis. Nunc bene nobiscum agitur, si paulatim Christus adolescat in nobis. Sed ut maxime fateamur, ista duo regna, istum raptum, quoniam nemo rapitur nisi uolens, non tollitur funditus lib. arbitrium.

243 Redit huc illud uere Achilleum argumentum ex Rom. 7. & Galat. 5. de pugna spiritus & carnis. Id iam nõ semel exprobrauit, quod Diatriba reliquerit intactum, quasi Diatriba susceperit prouinciam respondendi ipsius assertioni, quum nominatim designarit sibi rem esse cum absoluta necessitate, quanquam nec omnino transijt intactum, si quis legat Diatribam. Sed uideamus quid afferat hic Achilles. Etiam in iustis pugnat caro aduersus spiritum, ac uicissim spiritus aduersus carnem. Nec patitur carnem accipi pro crassioribus tantum affectibus, quũ Paulus inter opa carnis cõmemoret hæresim, idololatriã, dissensiones, contentiones, quæ nimirum insunt summis illis animi uiribus rationi & uoluntati. Sic igitur argumentatur, Si natura hominis adeo mala est, ut in his qui

qui spiritu renati sunt, non modo non conetur ad bonum, sed etiam pugnet & aduersetur bono, quomodo in illis qui nondum renati in uetere homine sub satana seruiunt ad bonum conaretur? Quid hic euicit Achilles? Etiam in ratione & uoluntate esse affectus impios & peruersa iudicia. An nõ hoc ingenue fassa est Diatriba? Quanquam hi quoq; affectus originem habent ex illis crassioribus, quibus magis amamus ea quæ uidentur, quàm quæ non uidentur. Neq; enim sentio carnem tantum esse luxum ac libidinem, quanq̃ ita quodã in loco diuus interpretatur Hieronymus. Auaritia crassa res est, hinc plerunq; nascitur inuidia. Crassa res est libido, hinc frequenter capitales iræ. Crassa res luxus, ex hoc nõ raro nascitur blasphemia. Verum est igitur, quod in impiorum ratione ac uoluntate regnent ista detestanda crimina, sed in quibus hominis partibus regnant fructus, charitas, gaudium, pax, patientia, &c. Nónne in ijsdem partibus? Regnant, inquiet, sed ex dono spiritus, uerum illa regnant ex malicia naturæ. Proinde quum natura sit omnium communis, in omnibus ex æquo regnabũt, fornicatio, immundicia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, uenefitia, inimicitiæ, cõtentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes, & his similia. Hos affectus nec sentiunt omnes qui in Christo renati

sunt

sunt, sensuri si hæc ineſſent à natura, quæ cõmunis est omnium, sed horum maxima pars accedit ex praua educatione, ex libero arb. semet in peius deflectente potius q̃ à natura. Quod si naturam per se spectes, ut ineſt illi procliuitas ad turpitudinem, ita insunt illi maxima semina ad uirtutem. Quod si caro pugnat etiam in pijs, oportet hos affectus omnes in singulis illorum ineſſe: ut demus eos in pugna superiores euadere, quid dicemus de perfectis? Vt fateamur nullum mortalem in hac uita eò peruenisse, ut nullo titilletur affectu peccandi, certe multos esse puto, qui homicidij, aut ueneficij non sentiant affectum. Quur igitur hæc commemorat Paulus? Quoniam scribebat ijs inter quos plurimi erant imbecilles, nondum purgati à priſtinæ uitæ consuetudine, quales erant & Corinthij. Hos admonet, ut in Christianismo proficiant: & quemadmodum à paganorum profeßione recesserant, ita recedant & à moribus, quorum summam commemorat, non quod multi talia cõmitterent, sed quod imbecilles in Christo sollicitabat ad nuper relicta uicia prioris uitæ consuetudo. Proinde quæ hic recenset Paulus, non tam pertinent ad naturam hominis, quàm ad animum uicijs deprauatum. In his caro concupiscit hæc tam atrocia quæ refert apoſtolus. Quod si liberum arbitrium tantopere damnatur, & in eo sit procliuitas ad huiusmodi uicia, laudetur &

in eodem

in eodem sunt semina ad honesta, & talium uiciorum natiuus horror, quem nõ prius excutiunt assuetudine peccandi quàm hominem excusserint. Pelagiani negant ullum esse peccatum originis, quæ sententia merito damnata est, sed qui in immmensum exaggerant peccatũ originis, ad Manichæum proxime accedunt longe pernicioſius errantem, & facinoroſis occaſionem præbent excusandi sua cõmissa, et in naturã malã reijciendi. Et in ethnicis pugna quædã est inter rationem & affectus, quos Paulus carnem appellat. Quod si hæreses, inuidiæ, & similia sunt in ipsa ratione ac uoluntate, quemadmodum Lutherus docet, summa pars animi secum pugnat, dũ uolũtas uelut in æquilibrio posita, nunc huc, nunc illuc propendet. similiter erit in ijsdem partibus spiritus & caro. Neq; enim hic spiritus significat spiritum sanctum, sed mentem hominis dono spiritus instructã aduersus carnẽ. Quemadmodũ aũt ij qui spiritu uacui sunt, per libertũ arb. sæpe uincunt concupiscentiã ad flagitia sollicitantẽ, Veluti multi sunt uacui gratia, qui scortationi seruiunt, uincunt tamen iram ad homicidium sollicitantem, non metu dei, aut pœnæ, sed tantum naturali horrore nefarij criminis: ita qui spiritu ducuntur, multo facilius superant tales affectus libero arbitrio simul spiritui quodãmodo collaborante. Vnde hic locus magis astruit liberum arbitrium q̃ destruit.

Cæterum

Cæterum quod Lutherus in tantum exaggerat carnis uim etiam in pijs, ut accedit ad errorem Manicheorum, ita discrepat à Pauli dicto, quod mox sequitur, Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum uitijs & concupiscentijs. Vtiq; Christi sunt, qui spiritum habent Christi. Quomodo igitur pugnat caro crucifixa mortuaq; cum uitijs & concupiscentijs? Non hæc dico q; nesciam in sanctis perpetuã esse carnis mortificationem, quàm diu uersantur in domicilio terreni corporis, sed ut reijciam Lutheranas exaggerationes, quibus ut nimium tribuit peccato originis, ita plus satis tribuit carni & satanæ, ne qd omnino tribuat libero arbitrio. Hæc ad locum qui est in epistola ad Galatas. Ad Rom. autem cap. 7. longa est ac difficilis disputatio: Qua de re primum illud profabor, Paulum illic loqui non de se, sed sub sua persona de quouis homine, qui uictus à cõcupiscentijs, iam seruiat peccato. Neq; enim apostolus quũ hæc loqueretur, per legem mortuus erat, nec illi mandatum inuentum est ad mortem, qui legis fuit obseruantissimus, neq; carnalis erat, neq; uenundatus sub peccato, neq; malum quod nolebat faciebat, neq; erat infelix, ut optaret liberari à corpore mortis, per quod cogebatur facere qd nollet: sed docendi gratia peccatoris in se personam recepit, ut ostenderet à peccatis nemiñ posse fieri liberum, nisi per gratiã Euangelicam.

Nec ta-

Nec tamen me fugit, quãtopere Diuus Augustinus ad Bonifacium libro primo moliatur ut totus hic locus accõmodetur Paulo, sed adeo multa dure detorquet, ut mihi dum sedulo persuadere conatur magis dissuaserit. Deinde præfabor & illud, ueteres ferè hunc locum interpretari, non de peccato originis, sed de consuetudine peccandi, qua deprauatur hominis & ratio & uoluntas. Aut si quem locum tribuunt peccato naturæ, maximam certe portionem ascribunt assuetudini uitiorum. His propositis uideamus quàm hæc pugnent aduersus liberum arbitriũ. Etiam peccator, et spiritu dei uacuus, & uenundatus sub peccato, quam personam in se recepit Paulus, ut minus offenderet Iudæos, facit non quod uult bonum, sed quod odit malũ. Quomodo uult bonum? Quia condelectatur & assentitur legi, per naturale iudicium uidens eam esse iustã & bonam. Lex enim dicit: Non furaberis, non dices falsum testimonium aduersus proximum, non mœchaberis. Peccator uidet esse iustum quod præcipit lex, sentiens hoc iniquum, facere in alium, quod sibi nollet fieri, & natiuo quodam nisu rapitur ad id quod est bonum, sed affectu uictus facit quod iuxta naturalẽ rationem non uult, sed odit magis & horret. Quod aũt peccat reclamante conscientia, argumentum est legẽ esse bonam. Quod si quando peccator qui nondum exuit hominem aliquid recte fecerit, sentit aliquam men

tis delectationem, & hoc arguit legem esse bonam. Quod autem hic addit, secundum interiorem hominẽ, nõ potest accipi de spiritu, quum Paulus sustineat eius personam, qui nondum accepit spiritum, uerum interiorem hominem appellat rationem naturalẽ, cui iũcta est uoluntas, sed utroq; uolubilis. Nam quod hic interiorem hominem uocat, mox appellat mentem. Video aliam legem in membris, repugnantem legi mentis meæ. Ac mox. Idem ego mente seruio legi dei, carne autem legi peccati. Hæc de Iudæo carnali et uacuo dei spiritu. Proinde quum ait: Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatũ. Quid est, ego nõ operor illud? Ego quatenus homo sum ratione præditus. Nam hominis est ex rationis præscripto uiuere, brutorũ est affectibus duci. Quid est, quod habitat in me peccatũ? Nimirum peccandi consuetudo, quæ quodammodo uersa est in naturam, ac sedem fixit in animo, sic ut contempta ratione, uoluntatem ad se pertrahat uolentem nolentem. Vult enim auscultans rationi, non uult dedens semet affectibus, hoc est quod ait apostolus: Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio. Etiam peccandi consuetudine corruptus, horret nonnunquam turpitudinem suam, & instinctu rationis fertur ad honesta, sed uoluntas deprauta peccãdi usu superatur, & homo facit quæ non uult, recedẽs ab eo quod uult, Et hæc est lex in membris repugnans legi

legi mentis, ius peccati contractum ex peccandi consuetudine. Verum id ius non tam est à natura, quàm à depravatis moribus. Alioqui si quod Paulus ait, Iã non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatũ, ad naturas referas, Manicheorum sententiam sermo resipit, qua nihil esse potest exitiabilius. Totus igitur hic locus pro Diatriba facit, quæ tribuit homini semina recti, & naturalem nisum ad honesta, sed ineffacem absque gratia. Quod autem hæc Paulus sub alienа persona dixerit, declarant quæ sequuntur, in quib. suam personam recipit. Nihil ergo nunc damnationis est his qui sunt in Christo Iesu qui non secundũ carnẽ ambulãt. Lex enim spiritus uitæ, liberauit me à lege peccati & mortis. Quod si nihil damnationis est ijs qui sunt in Christo Iesu, qui constat quod Lutherus dicit, omnẽ iustũ in opere quantũuis bono damnabiliter peccare, et ĩ his regnare satanã sub regno spũs ꝓpter carnẽ, quam ille interpretatur naturã hominis uitiatam? Quumq; qui Christi sunt ut diximus, carnẽ habeant crucifixam cum uitijs & concupiscentijs, tamen mortua caro tantũ ualeat, ut in ope quod spũs in iustis operatur admisceat peccatũ gehenna dignum? Mihi uehementer displicet ista peccati originalis exaggeratio, blandiens hominũ sceleribus, & ad Manicheorũ accedẽs dogmata. Manicheus docet unicã dũtaxat hominis partem carnẽ irreparabiliter uitiatã. Luth.

talem facit totũ hominẽ, ut ne spiritus quidem in eo faciat opus bonũ. Cæterum ueteres hunc locum & similes, ubi Paulus disputat de morte quæ transijt in omnes unius peccato, interpretantur de peccato imitationis, & in hunc sensum mihi uidentur omnia magis congruere, quum Lutheri contortus sensus ne consistat quidem. Quod si ille contemnit Chrysostomum, Ambrosium, & eum cuius habemus commentarios in omnes Pauli epistolas Hieronymi titulo, cuiuscunque sunt eruditos, putet me hæc docuisse ex ipso sermonis contextu. Habet Achillem repulsum, & liberum arbitrium defensum, quod ille flagitabat, Iam quur ille nolit sibi dari liberum arb. quod quicquam possit conari ad salutem, causam adfert geminam, primum quia nõ posset inter tot dæmonum & periculorũ assultus subsistere. Deinde semper haberet irrequietam conscientiam, semper addubitans an quodcunq; opus feciſſet gratum esset deo. Nunc quum deus salutem extra liberum arbitrium ipsius posuerit, & in suum receperit, nec hominis opera aut cursu, sed sua misericordia & gratia promiserit eum seruare, securus uiuit & certus, quod ille fidelis sit qui promisit, tum adeo potens, ut nulla uis dæmonum, aut aduersitatum possit Christo eripere quod sibi uindicauit. Nemo inquit, rapiet illos de manu mea, quia pater qui dedit mihi, maior omnibus est. Ita fit ut saltem aliquot seruentur, quum

omnes

omnes sint perituri, si res penderet à uiribus liberi arbitrij. Nunc securi sunt, quod etiam si peccent, tamen Christus non sit illis imputaturus commissa, sed aut cõdonaturus, aut emendaturus. In hanc fermè sententiã Lutherus, addens id quod ait, sibi diutino comper/tum experimento. Quomodo olim habuerit affectam conscientiam, quomodo nunc, ipse uiderit, non est meũ excutere. Cæterum non quæritur hic quid ille sibi iu/dicet cõmodius, sed quid deus uoluerit: & fieri potest, ut homo sit securus in conscientia, quum tamen mini/me sit tutus. Quanquam quis possit esse securus in cõ/scientia, quum incertum sit, an sit ex eorum numero, quos deus immerentes elegit ad salutem? Nam ut cer/tus sit de gratia, certus non est an deus sit subtractu/rus gratiam. Subtrahit aũt ut ipse docuit, nõ offensus, sed quibuscunq; uult, ut in hominis potestate non sit, uel abigere gratiam uel retinere. Iam si uitam æternã promisisset in se credẽtibus neq; quicquam addidisset, poterat homo sibi blandiri, qui se crederet habere fi/dem idoneam, quod an quisquam certo norit nescio: nunc quum toties exiguntur bona opera, & de malis operibus dicit Paulus, Qui talia agunt, regnum dei non possidebunt, uereor ne sibi uerba dent, qui sic fi/dunt dei promissis. Misericors est deus, condonat pec cata sed pœnitentibus, sed malefacta benefactis pen/santibus. Quod si non refert qualia sint opera, modo

adsit qualiscunq; fides, quur dictum est eleemosyna extinguit peccatum, ut aqua ignem? quur in precatione dominica dicimus, Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris? Dauid canit domino, non misericordiam tantum sed & iudicium. Quid illud sibi uult, quod ait hominem imparem fore dæmonibus & periculis, si quicquam possit conari per liberum arbitrium? An quisquam docuit lib. arb. præsidio hominem subsistere aduersus impiorum spirituum assultus? Sed libero arb. per se inualido, additur auxilium gratiæ. Vnus dæmon fortior est omnibus hominibus. Sed non licet dæmoni quicquid libet, ne in impios quidem, & unus deus fortior est omnibus dæmonibus qui liberum arbitrium adiuuat confirmatq;. Si dixerit quid opus est libero arbitrio, quum sufficiat gratia? Sic expediebat nobis, sic uisum est deo, quēadmodum in Diatriba demonstrauimus, dicturi nonnihil & in huius operis calce.

244 Post hæc expatiatur in locum communem, declamans hominem nihil esse si deo cōferatur, queriturq; quum fateamur etiam natura magistra humanam potentiam, fortitudinem, sapientiam scientiam, substantiam & omnia nostra, prorsus nihil esse si ad diuinā potentiam, fortitudinem, sapientiam, scientiam, substātiam conferatur, tantam esse nostram puersitatem, ut solam iusticiam & iudiciū dei uexemus, & iudicio nostro tan

ſtro tantum arrogemus, ut diuinum iudicium cõprehendere, iudicare & æſtimare uelimus, et cætera quæ in hanc ſententiam diſſerit, mea ſententia nihil ad rẽ faciẽtia. Nam ſi de deo ipſo loqtur, fuerunt qui de dei ſubſtantia diſputarũt, de qua diſputant & Theologi, fuerunt qui aduerſus dei fortitudinem ceruices erexerunt, & erigent, uelut ille de quo Paulus, attollens ſe ſe ſup omne quod colitur, aut qd' dicitur deus, Ac de iiſdem rebus pij diſputant. Ita dei iudicio iuſticiæq; impij obmurmurant, ſed de iiſdem pij diſputãt, quatenus fas eſt. Et quemadmodum impius non eſt qui ex rebus conditis literisq; ſacris ſcrutatur potẽtiam, ſapientiã ac bonitatem dei, ita non eſt impius qui ex iiſdem ſcrutatur iuſticiam dei, nec ideo præfert ſuum iudiciũ dei iudicio, quemadmodum non præfert ſuam ſapientiam dei ſapientiæ. Incomprehẽſibilem illum fatemur in omnibus, niſi quatenus ille nobis uoluit innoteſcere. Atque ut obiter taxem Lutheri inconſtantiam, quum toties dixerit, omnes liberi arb. uires eſſe meram cæcitatem ac profundiſſimam caliginem, hic tamen fatetur naturæ uiribus, & humana ratione tantam de deo ſcientiã cõprehendi. Quur nos ex diuinis litteris nõ ſcrutemur dei iuſticiam, quum ipſe toties in prophetis prouocet populũ ſuum ad iudicium, ueluti periclitaturus ſi docere queãt ipſum alicubi parũ fuiſſe memorẽ æq iuſtiq;. Verum de his quoque ſuperius dictum eſt.

245 Pergit declamare, mundum etiam in his exterio/ribus sic à deo gubernari, ut humana ratio cogatur, aut nullũ deum credere, aut credere iniustũ, aut igna/rum rerum humanarum, & in testimonium adfert io cosum amantis carmen, Sollicitor nullos sæpe puta/re deos. Adferuntur uulgo iactata prouerbia, Quo quisq; deterior, hoc fortunatior. Profertur Epicurus & Plinius, qui crediderint omnia fortuito geri, nulla deorum prouidẽtia: Profertur Aristoteles, qui dixerit summum illud ens esse felix sui unius contemplatione, miserrimum futurum si uideret tot iniurias ac mise/rias. Profertur Iob cum prophetis, qui tentantur ut dubitent de iusticia dei. Sed hæc omnia quò spectant? Vt ostendat nusquam apparere dei iusticiam, sed tan/tum esse credendam. Quomodo deum esse credimus? Nónne per fidem? Et tamen ex rebus conditis Ethnici quoq; deprehenderant esse deum, eumq; dixerunt opti mum maximũq;. Optimus esse non potest qui sit iniu stus. Fides non repellit omnem naturæ cognitionem, sed eam perficit. Quod si illi deprehenderunt dei iusti/ciam, narrantes apud inferos extorqueri scelerum cõ fessionem, & esse præmia piorum, torméta impiorũ, quur Lutherus non patitur homines qui spiritum ha/bent cœlestem, de iusticia dei uerba facere? Quid sen serit Demosthenes nescio, quid Cicero senserit, appa/ret ex eius epistolæ fragmento, quam scripsit ad Octa

uium,

uium, iam ut apparet, destinans mori, minitãs sese itu
rum ad sanctißimas animas Brutorum, Deciorum, &
Catonum, ac renunciaturum quæ pateretur res pub/
lica. Sciebat igitur à morte superesse bonorũ animas,
seseq; ad illorum quietem migraturum considerabat.
Nec Socrates moriturus potione cicutæ questus est de
iniusticia deorum, sed sibi gratulatur, quod euocante
deo cõmigraturus esset ad Aristidem, Phocionem ali
osq; laudatißimos uiros, qui soluti corpore uitam be/
atam agerent. Nec Cato Vticensis perspiciẽs uictoriã
cedere Iulio, damnauit deos iniusticiæ, sed dixit in re
bus deorum esse summam caliginem. Idẽ nos dicimus,
quoties non assequimur, quur deus aliqua faciat, quæ
nobis uidentur iniusta. Quod si tota hæc disputatio
soluitur eo quod persuasum habemus impios hic cor/
poralibus quidem commodis florere, sed anima per/
di, et esse uitam post hanc uitam, in qua nihil boni ma
nebit irremuneratũ, nihil sceleris impunitum, utrunq;
cognitum fuit ethnicis. Stoici clamabant eum qui ua/
caret habitu uirtutis miserum etiamsi regno, opibus,
imaginibus, forma, ætate, ualetudine, uiribus, ingenio,
facundia floreret, quantum homo posset. Contra sapi/
entem omnibus corporis fortunæq; malis obrutum ni
hilo minus esse felicem. Hoc quum constet esse uerũ,
tamen Lutherus negat ulla humana ratione potuisse
comprehẽdi. Quid igitur? Num æquo Ethnicos Chri

stianis? Nequaq̃. Sed quod tũ pauci sciebant uel potius opinabantur, hoc per fidem etiam pueris, idiotis, & mulier culis persuasissimum est, adeo ut mortem oppetant citius, quàm ab hac persuasione diuellantur. Non est huius instituti causam Aristotelis agere, sed tamen Aristoteles non ideo negat deos abstinere à mundi gubernatione, ne conspicientes tot iniurias ac miserias fiant ipsi miseri, sed semel tradita mundi gubernatione, nõ opus esse ut illi sollicitentur: & tamen quoniam ratiocinatur nihil posse felix esse quod nihil agat, colligit illos esse felices cõtemplatione sui, quod idem nos de uero deo fatemur, qui nihilo minus felix est, sciens, præuidens & gubernans uniuersa.

246 Iam perinde quasi persuaserit nobis dei iusticiam nec ab Ethnicis per dotes naturæ, nec à pijs per donũ gratiæ ullo modo posse comprehendi, profert nobis scholasticorum distinctionem, quam præter suum morem probat, proponens ob oculos nobis tria lumina, naturæ, gratiæ & gloriæ. Iuxta primum lumen insolubile est quomodo bonus affligitur, et malus bene habet. Hoc ostendi non esse insolubile, quũ Stoici negẽt in his rebus sitam esse felicitatem, & poetæ quoq; docuerint, post hanc uitã pijs & impijs reposita sua præmia. Quomodo uero deus seruet immerentes, & damnet immerẽtes, quod certe uerum est in infantibus nõ baptizatis, satis arbitror naturali ratione comprehẽdi

di non posse, quando si Luthero credimus ne tot qui/
dem ecclesiæ proceres hactenus hoc potuerint assequi
quod deus hominem adultum damnaret immerentẽ.
Infantes enim ab hac quæstione separo, quos ut arbi/
tror præstat dei iudicio relinquere. Quod si id facilli/
me perspicitur per lumen gratiæ, aut omnes retro do
ctores caruerũt hoc lumine, aut aliud senserũt q̃ scri/
pserunt. Id si conceditur, fefellerunt populũ ipsis con
creditũ. Ego ne per gloriæ quidẽ lumẽ arbitror id fo
re perspicuum, quod deus immerentẽ cõijciat in ignẽ
æternũ. Rursus uideat quomodo sibi constet, qui ante
dixit lib. arb. quantũ quantũ est nihil esse nisi meras
tenebras, hic tribuit illi lumẽ, quo pspiciat aliqd, sine
Christo cognito & amato. Si dixerit, humana tantũ,
de diuinis nihil, docuimus & de diuinis & de uirtute
plurima naturæ luce pspecta fuisse. Quomodo aũt lu
mine gloriæ perspiciemus deum punire immerẽtes q̃
per lumen gratiæ cerni non potest, quũ lux scripturæ
doceat neminẽ perire nisi sponte suaq̃; culpa, et impijs
in exitum tendentibus expbratur, q̃ uocantem audire
noluerint, quod salutem reppulerint. Quantũcũq̃; sit
gloriæ lumen, non pugnat cum lumine scripturarum.

Supest epilogus Lutheranæ disputationis, cuius ar
ticulus primus est: Si enĩ credimus inqt, uerũ esse qd'de 247
us præscit et præordinat oĩa, neq; falli neq; ĩpediri pos
se ipsius præsciẽtiã ac prædestinationẽ, Li. ar. nihil est.

Ad

Ad hoc responsum est, liberum arbitrium non magis impediri præscientia dei, q̃ hominis uel scientia uel præscientia. Ostensum est ne uoluntate quidem dei tolli liberum arbitrium, quum ea quæ pendẽt à mutabili hominis uoluntate, uelit contingenter, ut nec falli possit præscientia, quæ præuidet quocunq; se flexura aut reflexura sit hominis uoluntas, nec impediri uoluntas quum si homo se flexerit in alteram partem per liberum arbitrium, hoc ipsum uoliturus fuerit deus, quod ille elegisset. Quanquam mala deus permittit uerius q̃ uult, & uoluntatem signi, ac uoluntatem conditionalem iam distinximus.

Secundus articulus est. Si credimus satanam esse principem mundi, Christi regno totis uiribus perpetuo insidiantem, & pugnantem ut captiuos homines non dimittat, nisi diuina uirtute spiritus pulsus, iterũ patet nullum posse esse liberum arb. Ad hunc responsum est, Lutherum satanæ potestatem & carnis malitiam in immensum exaggerare. Et tamen ingenue fatemur hominem peccatorem nullis naturæ uiribus se posse è satanæ tyrannide eximere, sine gratiæ præsidio, nec ideo sequi nullum esse hominis liberum arbitrium. Non enim ita liberum dicimus, ut ex se possit quicquid uelit.

Tertius est. Si peccatum originale credimus nos sic perdidisse, ut etiam ijs q̃ spiritu aguntur, negociũ molestiũ,

molestißimum faciat aduersus bonum luctando, clarũ est, nihil in homine spiritus inani reliquum esse, quod ad bonũ sese uertere posßit, sed tantum ad malum. Ad hunc respondimus, ne nos quidem docere, quod liberũ arb. suis uiribus se posßit efficaciter à malo in bonum uertere, nisi per gratiam adiutum, inesse tamen et malis natiuum aliquem horrorem turpitudinis, et nisum siue propensionem ad honesta, iuxta summas animi uires quas homo uiciatas habet non extinctas, easq; uires nonnihil agere dum se præbent gratiæ, uel operanti uel cooperanti, dumq; gratiam non auersantur.

Quartus est. Si Iudæi summis uiribus sectantes iusticiam in iniusticiam proruerunt, & gentes impietatem sectantes, gratis & insperate ad iusticiam peruenerunt: itidem manifestum est ipso opere & experientia, hominem sine gratia nihil nisi malum posse uelle. Ad hunc responsum est, iusticiã hic non sonare iusticiam quæ respondet innocentiæ & opponitur uitio, sed iusticiam Iudaicam in obseruatione cæremoniarũ & operum externorum sitam. Hanc sectando Iudæi carnales affixi litteræ, non peruenerunt ad ueram iusticiam spiritualem, quæ per euãgelium patefacta est: et gentes alienæ à legis obseruatione, hoc est non sectantes Iudaicam iusticiam, dum obtemperant euangelio pollicenti gratuitam criminum remißionem, ad ueram

iusticiã

iusticiam perucnerunt. Bonum non datur nisi uolenti. Nec ideo gratuitum non est, si qui se per libe. arb. præbet oblato dono, ideo iudicatur à benigno in oēs deo, dignus qui accipiat, quod per gratiam inuitatus ut accipiat obtemperat, nec auertit sese. Si bonum intelligit, quod reddit hominem beatum, fatemur ad id liberum arbitrium sibi non sufficere, uel expetēdum, uel assequendum, quando qui bonum uere uult, is habet quod uult, sed ponimus quædam bona non iustificantia quidem, sed ad iustificatiōem præparantia, & ad iusticiam retinendam augendamq; conducentia: in his iuxta quosdam agit aliquid liberum arbitriū: alij malunt & his adesse gratiam præparantem, ac fidem etiam nonnullam licet impfectam nec adhuc idoneam ad iustificationem spiritus. Hanc autem gratiam dei benignitas non patitur cuiq̄ mortalium deesse.

Quintus est. Si credimus Christum redemisse homines per sanguinem suum, totum hominem fateri cogimur perditum, alioqui Christum faciemus uel superfluum uel partis uilissimæ redemptorem. Nihil igitur liberum arbitrium. Huic respondentes ostendimus, nullam hominis partem in totum fuisse sanam, in summis tamen animi partibus resedisse nonnullam honesti cognitionem, & ad recta nisum siue propensionem, sed ob peccati tyrannidem imparē ad consequendam euangelicam gratiam. Lutherus autem sic racio-

ratiocinans quasi summas hominis partes totas fecerim sanas & integras, nihilo melius colligit, Christum fuisse superuacaneum, aut uilissimæ partis redẽptorem, quàm si quis diceret medicum ei superuacaneum, qui sanis ilibus è capite stomachoq; laboraret: aut tonsorem ei superfluum, qui per pituitã quasdam rerum umbras cerneret.

Tandem imponit tragœdiæ Comicam catastrophen. Diceres hominem loqui fraterna charitate de proximi salute sollicitum. Audio, mi Erasme. Obtestatur per Christum ut accedam causæ meliori, Prædicor magnis, ac multis ijsq; nobilissimis dotibus à deo ornatus, quum alijs, tum præcipuè ingenio, eruditione, facundia, se deijcit, ut nihil esse fateatur, nisi quod se prope glorietur esse Christianum. Vehementer laudor, quod unus omnium causæ caput aggressus sim, unus iugulum petiuerim, quo nomine mihi ex animo gratias agit, iratus ijs qui ipsum alienis quæstionibus uexarant, & alijs qui nunc nouos spiritus nouasq; reuelationes iactant, qui si meum exemplum fuissẽt secuti, plus pacis et concordiæ nũc haberet orbis Christianus. Hac oratione quid placidius aut amãtius? Sed qui conuenit prioribus operis partibus, in quibus alijs pingor coloribus. Hic nimium tribuit, illic nihil non adimit, nusquam æquus, nec interim sibi constans.

248

Præsta

Præstabat in tota disputatione seruare moderatum dicendi genus, & in eo constare sibi. Hoc pacto simul & fidem meruisset, & Christiani disputatoris formã exhibuisset. Quod si amicum errantem meliora docere cupiebat, tot salibus, ronchis, sannis, cõuicijs etiã docilem & attentum poterat alienare, quibus & causam per se perplexam magis inuoluit, & bonam fidei partẽ sibimet abrogauit. Mirũ aũt si mihi ex animo gratias agit, quod solus omnium hoc argumentum sim aggressus, quum præter alios Ioannes Fischerus Episcopus Rossensis ædito uolumine, liberum arb. aduersus ipsius assertionem defenderit, quod illum scio non latuisse. Hoc nomine potius mihi debebat gratias agere, quod unus omniũ absq; cõtumelia cuiusq; personæ perpetua ciuilitate tractaui causam. Idq; saltẽ imitari debuerat. Nunc ab alijs dure tractatus, in me bilẽ omnẽ euomuit, existimãs fore, ut me sæuis dictis prote laret: Post ut conijcio, monentibus amicis, præter naturam stilum temperauit. Quod si illi pax & concordia populi Christiani, tantopere curæ fuit, quàm uult uideri, multa non tentasset, totam fabulam aliter egisset. Quod si syncero spũ Christi negociũ tractasset ac pietati collapsæ moderatiõe qua decuit succurrisset, me nec laudibus, quas siue ex animo tribuit siue ficte, mihi certe inuidiosæ sunt, nec sannis aut cõuicijs potuisset alienare. Rogat aũt ut si non queam dexterius

hanc

hanc causam agere quàm feci in Diatriba, meo dono contentus pergam linguis ac bonis litteris prouehendis operam dare, quod hactenus summa cum laude, magnoq; fructu feci, quo nomine & ipse quoq; me suspicit, ac ueneratur, fateturq; se non parum meæ debere industriæ. Si me uidebat imparem susceptæ causæ, quur mihi respondit potius quàm alijs? Nã quod prætexit autoritatem ostendi friuolum esse lemma. Negat esse mirum si deus Mosen per Iethro aut Paulum per Ananiam erudiat. Noua modestia, sed hæc cantio multum dissonat ab illis quæ præcedunt. Ego uel à puero non grauer rem cognitu necessariam discere. Verum an sic erudijt Iethro Mosen, aut Ananias Paulũ, quẽadmodum hic Erasmum docet Lutherus? Simili petulantia, ne litterator quidem erudit puerum elementarium. Porrò quod optat mihi, ut deus me tanto faciat in hac causa superiorem, quantum in alijs omnibus antecello, equidem non optem esse superior in errore. Certe hactenus mihi non persuasit Lutherus quod summis ingenij uiribus conatus est, adeo ut nunc aliquanto plus tribuam libero arbitrio, quàm prius tribuebã. Quoniam autem Lutherus ad amicum quendam scripserat, Discat Erasmus Christum, & ualere iubeat humanam prudentiam, hæc nullus intelligit, nisi qui spiritum habet dei: ad hæc alludens in calce Diatribes respondeo. Si nondum intelligo quid sit Christus, nimi-

rum hactenus procul aberratum est à scopo. Quanq̃ illud lubens didicero quem spiritum habuerint tot doctores ac populi Christiani. ad id respondens ille, arbitror inquit teipsum uidere, quale sit, significans insignitæ cuiusdam impudentiæ esse, quod hactenus putarim me nosse Christum, hoc est esse Christianum: nihil enim aliud sensi. Neque enim mihi uindico scientiam archanorum Christi, sed tantum de illo cognitionis, quantum ad salutem satis est. Cæterum quod addit, Neque enim ideo omnes errabunt, si tu aut ego erramus, quid sibi uelit non satis intelligo. Si dubitat an erret, quur mox ita loquitur, Non contuli, sed asserui, & asserо, ac penes nullum uolo esse iudicium, sed omnibus suadeo ut præstent obsequium. Verum hoc dicet modestiæ causa dictum esse non ex animo. Atqui quomodo me opponit omnibus, quum errem cum omnibus, si erro? Magis conueniebat ita loqui, Nec ideo non erras, quia cum tot ecclesiæ doctoribus ac populis Christianis erras. Iam hæc uerba quæ subijcit, Deus est qui mirabilis in sanctis suis prædicatur, ut sanctos putemus qui longissime sunt à sanctitate. Hoc elogio decorat omnes ecclesiæ doctores, & uniuersas nationes Christianorum ab apostolorum temporibus, ad hanc usq; ætatem, excepto Manicheo & Vuycleuo. Verissimum aũt est quod subijcit: Neq; difficile est, ut homo quum sis, scripturas aut patrũ dicta quibus dubi-

cibus

cibus te credis scopū tenere, neq; recte intelligas, neq; diligēter satis obserues: sed hoc totidē uerbis in ipsum retorquere licet. Sed quæ sunt ista patrum dicta, quū ipse fateatur uniuersos ecclesiæ doctores asserere liberum arbitrium, excepto Vuycleuo? Nisi forte id subindicat, eos aliud sensisse, quàm scriptis loquūtur. Sed unde colligit indiligentiam meam & inscitiam? Quia non profiteor me asserere, sed tantum contulisse. Sic inquit non scribit, qui rem penitus perspicit & recte intelligit. Imo uidemus nullos uehementius asseuerare, quàm qui rem minime intelligunt. Esse liberum arbitrium asserui, quid agat, & quatenus quoniam uariant orthodoxorum sententiæ, dixi me contulisse, Si pro Diatriba uocassem certissimam assertionem, Si tali clausula finissem opus, Non contuli sed asserui, & assero, nec penes quenquā uolo esse iudicium, sed omnibus suadeo ut præstent obsequium, num ob hoc mea sententia fuisset pilo certior. Tandem precatur mihi ut dominus cuius est hæc causa, illuminet me, et faciat uasculum in honorem & gloriam. Næ uasculululum, si nimium est esse uasculum. Malim enim malim Samium salillum esse in domo dei, quàm dolium adamantinum in familia quam non agnoscit dominus. Et interim dum uir pius hæc optat mihi, facit me cœcum, & uas in contumeliam & ignominiam, ac mecum uniuersam ecclesiam, haud cogitans quid ego

uicißim poßim ipſi precari, ſi talibus ſtrophis delectarer. Hactenus non ſine graui tædio Lutheranæ diſputationi uel rixæ potius reſpondimus. Nunc de ſumma rei pauca perſtringemus, ac mox finem imponemus uolumini.

Primum itaq; quod ad uocis cauſam attinet fatemur ut græcis magnificum eſſe nomẽ τὸ αὐτεξούσιον ita latinis liberum arbitrium, quod ad nos protinus in ipſis eccleſiæ rudimentis à philoſophorum ſcholis defluxit, qui plurimum tribuebant humanæ rationi, nimirũ ignari gratiæ, cui quoniam nos diuinitus eruditi litteris merito plurimum tribuimus, non perinde reſpondet magnificentia nominum ad rem quam declarant. Quin & illud fatendum, neq; græcam uocẽ neq; latinam in canonicis libris uſquam inueniri. Verum de nouitate uerbi ſi mouenda erat quæſtio, id in primordijs eccleſiæ factum oportuit. Nunc quum hæ uoces ab ijs uſurpatæ ſint, qui fuerunt proximi temporibus apoſtolorum, aut ipſos etiam uiderunt apoſtolos, tantoq; ſeculorum conſenſu in hunc usq; diem ab eccleſiæ proceribus receptæ ſint, citra gratiæ iniuriã, alienum ſit à modeſtia Chriſtiana, nunc ſuper his mouere tragœdiam, præſertim quum tot nomina quæ nusquam in ſacris libris inueniuntur, usq; adeo recepta ſint, ut hæreticus ſit qui nolit agnoſcere, qualia ſunt homuſion, & perpetua Mariæ uirginitas, et tres perſonæ,

perſonæ, una eſſentia. Cæterum fati neceſsitatisq; uocabula, ſemper inuiſa fuerunt apud cordatiores philoſophos, ſed inuiſiora apud Chriſtianos: Duabus enim uocibus res eadem ſignificatur. Quod enim græci uocant ἀνάγκην, latini ſæpenumero uertunt fatum. Nec alio nomine fuit execrabilior Manicheus, quàm quod commentus duo principia, alteram partem hominis faciebat irreparabiliter malam, alteram neceſſario bonam, geminam inducens neceſsitatem in uno homine. Vnde Iulianus Pelagiani dogmatis inſtaurator, obijciebat Auguſtino quod cum Manicheo ſentiret, ſic exaggerans peccatum innatum, ſic extenuans lib. arb. uires, & omnia tribuens gratiæ. Sed hanc calumniam ſtrenue depellit Auguſtinus in libris ad Bonifacium. Cæterum qui id poſsit Lutherus non uideo, qui totum hominem etiam iuxta præcipuas illius partes facit carnem, & in hac regnantem ſatanam, etiã poſt infuſum ſpiritum, qui ſic attollit crimen originis, & naturam hominis uitiatã, qui negat ullo pacto in homine ſitum eſſe, ut uel recipiat gratiam, uel amittat, ſed tantum agi à deo, quemadmodum à fabro agitur ſerra. Hic igitur uides bis peccatum, primum quod quum omnis nouitas habeat offenſionem, & uoces receptiſsimas ſuſtollere moliuntur, & nouas ac iam pridem explosas reuocare contendunt, fruſtra reclamante Paulo, qui Timotheum iubet deuitare ſeu reijcere

prophanas uocum nouitates. Si pium est reijcere occurrentes, scelus est iam olim explosas reuocare. Ferre non possunt liberi arbitrij nomẽ à philosophis profectũ, sed à uetustißimis orthodoxis receptum, & arridet fati necessitatisq; uocabulum. Vnde traditum? A Genethliacis. A quibus usurpatum? ab Ethnicis poetis, sed ab orthodoxis omnibus semper reprobatum. Tantum de uocabulis: Nũc de re considerabimus. Priusquam hæc de gratia & lib. arb. contẽtio incruduisset, orthodoxi paulo plus tribuebant hominis uiribus, q̃ postea tributũ est: In quibus aliquãdo fuerat & Augu. qui fidem & uelle bonũ tribuebat naturæ uiribus, quorum prius excusat, alterũ palinodia dãnat exorto Pelagio. Quod si quis expendat q̃ exile sit, quod hic uir, & hunc sequuti Bernardus, & qsquis scripsit duos libros de uocatione gentiũ, Ambrosij titulo, item libros hypognosticon Augustini nomine, relinquunt lib. arb. fatebitur lib. arb. nomen assertum potius, q̃ rem probatam, D. enim Bernardus, qui quicquid tractat super hoc argumento, hausisse uidetur ex Augustini libris, etiam si id sedulo dißimulat, confictis etiam studio nouis uocabulis: hunc in modum definit, Libe. arb. est habitus animi liber sui. Hæc si quis audiat, existimet illum magnifice sentire de libero arbitrio. Rursus uoluntatem ita finit, uoluntas est motus rationalis, & sensui præsidens & appetitui: huic tantum tribuit, ut illi rationem

nẽ addat ueluti pediſequã. Et interĩ negat illic eſſe poſſe neceßitatem, ubi ſit uoluntas, addẽs nec bonum nec malum imputari poſſe ubi regnat neceßitas. Hæc iam ſplẽdida ſunt præludia, cæterũ ubi uentum eſt ad rem, ac diuiſit hominis negocium in tria, in naturam, conſilium & complacitum: Conſilium appellans efficacem aßenſum erga gratiam oblatam, ibi nihil omnino tribuit hominis uiribus, quẽadmodum nec Auguſtinus. Complacitum appellat humanæ felicitatis conſummationem, quæ liberat nos non ſolum à peccatis, uerum etiam à miſerijs omnibus. Ponit itaq; tres libertates, naturæ, conſilij & complaciti: Nam his nouis uocibus apparet illum delectatum. In duobus poſterioribus nihil tribuit homini: Sunt enim liberationes potius q̃ libertates, quas in nobis agit deus ſine nobis. Loquor autem de gratia iuſtificante concipienda, in qua uolũt hominem nihil agere, licet cum gratia iã cœpta ſimul agat humana uoluntas, & de futuri ſeculi felicitate. Reſtat naturæ libertas, quã nõ aliã tribuit homini peccatis obnoxio, q̃ qualẽ tribuit ſpiritib. ĩpijs. Habẽt enĩ uelle, nõ bonũ ac malũ ſed tantũ uelle. Adẽ ſentire uidetur Auguſt. qui Pharaoni quoq; tribuit liberã uoluntatẽ, q̃ uolens id faceret q̃ faciebat, etiãſi ad benefaciẽdũ nulla erat libertas. Et aliquoties repetit uoluntatẽ hominis ſemp eſſe liberã, at nõ ſemper eſſe bonã. Hæc certe libertas quã tribuũt naturæ uiciatæ, p

fecto misera est, & indigna tam splendido uocabul
Quod autem argutatur Bernardus uoluntatem non posse cogi, si cogatur, desinere esse uoluntatem, mihi ut cum pace tanti uiri dicam, penè sophisticum uidetur, nec ad hanc quæstionem explicandam pertinere, nec ueri simile est priscos, hoc est Irenæum, Tertullianum, Origenem, Hilarium qui tribuunt homini lib. arb. hoc sensisse quod isti interpretantur. Nihilo magis ad rem facit, quod quidam impijs hominibus, ac damnatis spiritibus hactenus tribuunt liberam uoluntatem, ut possint hoc aut illud agere, non ut possint bene agere seu uelle. Quanquam hoc ipsum adhuc in controuerso est inter scholasticos, an deus possit uiolẽta etiam coactione cogere dæmonum uoluntatem. Verum ut missis ambagibus rem agamus, hactenus pro Luthero faciunt ista, quod nemo nondum renatus, p liberum arbitrium potest uelle bonum, & hinc sequitur aliqua necessitas, quam Lutherus appellat immutabilitatis, sed quæ poni possit, & in angelis bonis et in deo, propterea quod deus non potest mutare naturam suam, nec angeli pij possunt in malum degenerare. Verum ab hoc inuiso uocabulo erat temperandũ initio, potius quam post excitatum tumultum, proferẽda noua distinctio necessitatis. Quanquã in re illud de suo addit Luth. quod sicut homo peccator nõ potest se suis uiribus flectere ad bonum, ita renatus spiritu, non

potest

poteſt ſe flectere ad malum, niſi ſe ſponte ſubtrahat gratia, quod negat ullo hominis merito fieri, quemadmodum nullo hominis merito ſeſe offert. Patentur & illud, Vbi non eſt uoluntas, ibi non eſſe neq; peccatum neq; meritum, nihilo magis q̃ in brutis animantibus, in quibus tantum eſt appetitus naturalis, eo quod abſit ratio, ſine qua nulla eſt uoluntas. Quanquam & brutis quidam tribuunt rationem licet infra hominem: et in homine manet appetitus ille ſenſitiuus, qui nõnunquam uoluntas dicitur, & eſt omnino quædam uoluntas. Verum hæc utcunq; habent, quantulum intereſt inter appetitum naturalem, qui nobis cum brutis communis eſt, & uoluntatem omnibus agnatam, ſic ad malum intortam, ut ad bonum nullo modo flecti poßit? Pelagiani docebant peccatum originale nõ tranſiſſe ad poſteros Adæ, ſed tantũmodo mortem, quæ per ſe mala non ſit, ſed quam Plinius etiam dicat homini datam à ſuperis magni beneficij loco, adeo ut Ambroſius quoq; ſcripſerit de bono mortis. Ab hac opinione recte diſſentit Lutherus, ſed in hoc peccat, quod ſupra modum exaggerat hoc peccatum, ſic reſiliens à Pelagio, ut propemodum incurrat in Manicheum. Dum enim nullum honeſti ſemẽ, nec ullam ad recta propenſionem relinquit humanæ naturæ, quam totam facit carnẽ, hoc eſt affectũ impium, nõnne naturam hominis malam inducit, ut gratia non tam re-

creet naturam ægrotam, quã creet nouã? Huc enim torquet illa, quod transitus à uicijs ad pietatem, resurrectionem uelut è non esse ad esse & à morte ad uitam: item quod Paulus in Christo renatum appellat nouam creaturam, haud cogitans hæc omnia per tropum dici iuxta proprietatem Hebraici sermonis, quo significant insignẽ hominis mutationem, quemadmodum & nos dicimus hominem reuixisse, qui ex summa desperatione reuocatus est ad spem bonam: & alium esse factum dicimus, qui moribus uehemẽter sit immutatis. Ita per cæcum euangelicum, cui Christus restituit uisum significari docẽt humanam naturam, non quod ex se nihil uideat, sed qđ multa caligine obruta, minimum perspiciat si conferas ad lucem gratiæ. Sed eadem natura significatur per mulierem contractam, per socrum Petri febricitantem, per filiam archisynagogi mortuam, per paralyticum. At multum interest, inter debilem aut ægrotum & extinctum. Nec est necesse ut in tropologijs, quibus undiq; plena est scriptura, per omnia quadret similitudo. Iam in hoc consentiunt, liberum arb. per peccatum uulneratum fuisse non extinctum, debilitatum, non amputatum, morbidum non mortuum, luscioſum non cæcum, incuruatum non deiectum, sic ut premeretur non perimeretur, & tamen inter disputandum nonnunq; sic agunt, quasi prorsus extinctum

ctum esse uelint, quantum ad cognitionem, expeditio nemq; boni, quod constanter ac fortiter asseuerat Lutherus: quin potius negat ullum esse prorsus liberũ arbitrium. Qui scripsit libros hypognosticon, tradit ademptum posßibilitatis bonum, nomen tamen & rationem manere. Rationẽ opinor intelligit notionem animi de re, quæ primum fuit in natura condita, & esse potest in natura reparata. Quod si uoluntas non dicitur proprie libera, nisi quæ se suis uiribus potest uel ad bonum uel ad malum flectere, nulla uidetur in natura uitiata libertas, & secundum hanc rationem liberum arbitrium reuera nihil aliud est, quàm titulus sine re. Consentiunt & in hoc ueteres, quod fatentur humanam uoluntatem iam spiritu liberatam, cooperari gratiæ, unde Paulus dixerit, Coadiutores enim dei sumus: & hic statuunt fontem meritorum, q. uolentes uelut adiuuamus gratiã in nobis agentẽ. Verũ quũ negociũ omne cõstet tribus rebus, exordio, incremẽto & summa, nec in exordio, nec in summa quicq; ut dixi tribuunt humanæ uolũtati, sed totũ gratiæ trahenti & pficienti. Quod est in medio, inter gratiam trahentẽ ad iustitiam & consummantẽ ad gloriam, ibi tribuunt aliquid libero arb. & in bonũ & in malũ, uidelicet ut iã per gratiã liberatũ gratiæ opanti coopetur, et sese ab ea subtrahat, Atq si gratia nõ maneret nisi apud uolentẽ, & homo potest per liberũ arb.

gratiam

gratiam amittere, quod si facit, meretur gehennam, si non facit, meretur uitam æternam, non uideo quid obstet, quo minus idem dici possit de gratia iustificante, quam Augustinus appellat operantem. Si totum opus ascribitur gratiæ, quod tamen homo peragit cũ agẽte gratia, nec interim fit iniuria gratiæ, quid absurdi sit, si dicamus similiter hominis liberum arbitriũ adniti operanti gratiæ? Gratiam cooperari libero arb. cum orthodoxis fatebantur & Pelagiani. Verum illud non fert Augustinus, quod aiunt bonum hominis propositum adiuuari à gratia, quasi gratiæ exordium sit ab homine, & bonum hominis propositum præcedat gratiam, ut hic assensus quo homo se præbet gratiæ operanti, præmereatur gratiã iustificantẽ. Quo non patitur deũ uocari boni propositi adiutorẽ, sed largitorẽ. Et huc pertinet illud eiusdẽ axioma, Multa deus facit in homine bona, quæ non facit homo: multa uero facit homo, quæ non facit deus: quibus uerbis hoc sentit, q deus bonam uoluntatem facit in nobis sine nobis. Idem ut explicet quæstionum nodos, facit tertiam gratiam, nimirum præparantem, quam distinguere uidetur à gratia operante & cooperante. Hoc commento effugit, ne quid tribuat hominis arbitrio in recipienda gratia iustificante. Verum si hoc concedimus, dei gratiam nulli dari nisi uolenti, & gratia præparans dei donum est, opus erit

alia gra-

alia gratia præparante, quæ ad illam præparet præparatricem, & rursus ad hanc alia, atq; item in infinitum, donec ueniatur ad naturæ donum. Quum uero theologi fateantur unicam esse gratiam, quæ pro uarijs effectibus alijs atq; alijs nominibus appelletur, poterant & alia confingi gratiarum nomina, unde simplicius uidetur, ubiq; naturæ uires inualidas, absq; opitulante gratia iuuari, cuiusq; generis gratia fuerit. Quid senserint Pelagiani nescio, tantum ex uerbis ago, quæ ex libris Iuliani refert Augustinus, quæ mea sententia potuissent commoda interpretatione pro ueris haberi, magnáq; pars huius contentionis ex uerbis nasci uidetur potius quàm ex re ipsa, & huiusmodi λογομαχίαι facile exeunt in rixam, si quid accesserit humanæ contentionis. Quum meritum dicitur, non statim intelligitur tale, ut excludat gratiã, quemadmodum in commercijs hominum, posteaq̃ artifex pro opera iustam mercedem accepit, neuter alteri debet gratiam, quanquam in officijs amicorum, etiam post bene pensatum beneficium, tamen adhuc in solidum debetur utrinq; gratia. Talia sunt opera, taliáq; merita, quæ Paulus apostolus scribit pugnare cum gratia. Sed meritum quoddam dicitur, quod excludit indignitatem. Gratia dei quo res est pretiosior, hoc magis est amplectenda quum offertur, seruandáq;, quum est oblata. Vt igitur indignus gratia dicitur,

citur, qui uel oblatam negligit, uel possessam non seruat, & abutitur, ita quodãmodo dignus est dono dei, qui quũ offertur alacriter accipit, & acceptã summa sollicitudine cauet ne pdat. Sæpe sola gratitudo reddit homines dignos munificẽtia: Contra ingratitudo indignos. Itaq; q docẽt gratis, multo libentius alacriusq; cõmunicant eruditionẽ suam auidis & attẽtis, q̃ oscitãtibus ac fastidiosis. Nec tamẽ ideo doctrina gratuita non est beneficium, q indoles bonæ spei, quodq; alacritas discendi facit, ut hic iudicetur dignus eruditione potius q̃ alius dissimilis. Vt aũt nullus hominum confert beneficiũ in inuitũ, ita nemo collocaturus sit beneficiũ in eũ, quẽ sciat suo munere turpiter abusurũ. Atq; apud homines dicitur, indigno obtulisse beneficium, qui detulit ei, qui quod oblatum erat recusauit accipere, aut non accepit ut oportuit. Rursus indigñũ acceptis iudicant, qui non agnouit largitorem, qui secus q̃ oportuit usus est, aut q neglexit. Nec hic dicitur indignus, quia non promeruit, sed quia non agnouit beneficiũ. Nam non promeruisse & digno et indigno cõmune est. Cæterũ qui indignus dicitur, bis indignus est, & quia non promeruit, & quia non accepit ac seruat ut oportet. At qui dignus dicitur, nõ ob id dicitur, q ipsius meritis debeatur beneficiũ, alio q debiti redditio fuerit, nõ beneficij collatio, sed q semel dũtaxat ĩdignus est, hoc est nõ pmeritus, alio modo di-

do dignus apud eum, qui cupit gratis quidem, sed recte collocare munificentiam suam, hoc est conferre, non perdere. Nihil enim tam perit, ut recte habet proverbium, quàm quod datur ingratis, & iuxta Mimum, Beneficium dando accepit, qui digno dedit. Et ampliore munificentia dignus dicitur, qui minorem grate accepit, ac probe est usus. Nec hæc dignitas obstat, quo minus beneficium sit gratuitum, & insolidum debeatur largitori, sed tantum excludit indignitatem: nec efficit, ut beneficium uertatur in mercedem operi debitam, sed ne beneficium detur uel nolenti uel ingrato uel male usuro. Nam apud homines coniectandum est eum non bene usurum, qui non sicut oportet accepit. Idem imaginandum est in gratia dei. Ille quidem natura beneficus est, diues in omnes, nec exhauritur largiendo, nec eget mutua gratia, non uult tamen munificentiam collocare penes aspernantes, aut ingratos, aut male utentes. Nam ut non est beneficium quod datur uel meritis præteritis uel spe rediturí fœnoris, sed illud debiti solutio magis est, hoc cauponatio uerius q̃ munificentia, ita non est beneficentia, sed profusio, imò non beneficiũ, sed maleficiũ est potius, dare rẽ accipiẽti nociturã. Rursus sicuti merito dicitur spoliatus gratia, q̃ ea male est usus, ita merito dicitur auctus gratia,

quia

quia dono dei bene est usus. Nec tamen hæc uox meriti respondet debito aut mercedi, sed excludit indignitatem accipientis aut possidentis. Sic in Euangelio negantur fuisse digni conuiuio, qui uocati excusabant. Quid igitur? An digni erant cæci & claudi, & uiles è triuijs homines? Nequaquam, ac fortassis aliquanto minus quàm illi, si de meritis loquamur, quibus debetur præmium, sed ideo digni dicuntur, quia beneficium gratis oblatum, grate sunt amplexi. Amplecti autem est assentiri, & in assentiendo felicitas hominis incipit. Sic apud Matthæum seruus qui credidit talentũ gnauiter dispensauerat, lucro auctus est, & præficitur maioribus, hoc est, decem ciuitatibus iuxta Lucam, & nihilo secius totum est gratuitæ domini beneficentiæ. Contra seruus qui unicum talentum acceptũ defoderat, spoliatur eo, & quod ignauo adimitur, additur lucro industrij, ipse uero conijcitur in tenebras extremas, quid passurus, si talentum nequiter profudisset, quum sic puniatur, qui talentum acceptum reddidit, ut erat, domino? Omni habenti dabitur, & abundabit, ei uero qui non habet, etiã id quod habet auferetur ab eo. Is enim nõ habere dicitur, qui sic habet, quasi nõ habeat beneficium, hoc est, qui uel suis meritis asscribit gratiã, uel secus utitur ea quàm oportet. Quod igitur hic dignitas dicitur in bene accipiẽte & utente, hoc opinor theologi uocant meritum con

tum congruum: ea uox si recte intelligatur, non pugnat cũ uocabulo gratiæ, quẽadmodũ nec mercedis uocabulũ aut etiã debiti pugnat cũ gratia, præsertim si referas ad dei promissionẽ. Promissio gratuita est, & gratuitũ est quicquid ex hoc fonte promanat, nõ tamẽ congruit, ut tanta gratia conferatur auersanti bus aut male utẽtibus augeatur. Vt igitur est meritũ quod respondet mercedi, ita sunt opa, quæ respondẽt debito, & ex diametro pugnant cum gratia, Qualia erant opa Iudaica, de qbus agit Paulus ad Rom. 3. Ex opibus legis non iustificabitur omnis caro. Itẽ ad Galat. 2. Scientes q̃ non iustificatur homo ex opibus legis, nisi per fidẽ Iesu Christi. Friuolum aũt est, quod quidã hic argutatur de emphasi huius uocis nisi, quũ constet hic nihil aliud ualere, q̃, sed tantummodo. Nec est periculum, ne uideãtur per fidẽ excludi bona opera, quum illic loquatur de operibus Iudaicis, quæ fiebant absq; fide & charitate: Operũ aũt uere bonorũ fides est parens, eo q̃ per dilectionẽ operatur. De Iudaicis operibus loquitur Paulus Rom. 2. Si uero qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Idq; dictũ est ab apostolo non iuxta rei ueritatẽ, sed iuxta Iudæorum arrogantem persuasionem, qui non aliter sibi pro operibus externis existimabãt deberi uitam æternam, q̃ fabro lignario pro opere absoluto debetur merces, quæ ni redda

tur sit ex lege debiti actio. Rursus ad Corinthios. Si ex operibus, iam non est gratia: si gratia, iam non ex operibus, Sed est aliud operum genus de quibus agit Rom. 2, His quidem qui secundū patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionē quærentibus uitam æternā. Item 2. Corinth. 5. Vt referat unusquisq; propria corporis prout gessit, siue bonum siue malū, Hoc genus operum nō officit gratiæ, sed imputatur fidei, quæ per dilectionem operatur, quod fides primus sit fons, unde scatent omnia quæ nos uere deo gratos faciunt: & fides dei donū est gratuitum, nec tamen datur indignis, licet detur immerētibus. Ad hæc quoniam deo præsentia sunt uniuersa, sicuti merito dicitur auferre gratiam abutentibus donata, ita merito dicetur nō dare gratiam ijs, quos scit illa abusuros in suum ipsorū malum. Vnde fit, ut non solū iniusticiæ non sit, uerumetiam misericordiæ sit quod nonnullis gratiam suam, aut omnino nō impertit aut subtrahit impēsam. Idem dici potest de uarie distributis spiritus donis, alijs largius, alijs parcius. Vt enim homo iuste meritoq; beneficium suum subtrahit ei, qui male usus est acceptis, ita deus iuste meritoq; non impartit suam gratiam, quos nihilo minus certo nouit male usuros, quàm homo nouit hominē male usum. Hic si quis obijciat, deum nulli oportere suam conferre gratiam, qui male sit usurus. Responderi potest, ideo deum multis

indignis

indignis offerre gratiam, ut exemplo sit bonis, terrori malis, omnibusq; manifestum sit, eos qui pereunt suo ipsorũ uicio perire, quando nulli deest gratia nisi ipse defuerit sibi. De adultis dũtaxat loquor. Submouimus igitur scrupulum, qui torquebat Augustinum sollicitum, ne quod homo gratiæ præparanti assentitur, uideatur p mereri gratiam iustificantẽ. Submouendus est et alter quo metuit, ne gratiæ initium uideatur à lib. arb. proficisci. Fatetur Pelagianos anathema pronũciasse, qui sentirent gratiam secundũ merita dari, Id si ex animo pronunciarunt, haud dubium, quin senserint merita q bus uelut ex debito respondet merces. Vnum illud non tolerat, quod Iulianus scripsisset, bonũ hominis ꝓpositum à gratia adiuuari. Hĩc enim colligit propositum hominis bonum fuisse sine gratia, sed inualidũ, cui iuncta gratia opituletur. Quod si detur, apparet ex homine gratiam oriri, quum in homine nihil sit boni, nisi ex gratia. Atqui mea sententia, nihil hic erat quod metueret Augustinus, si distinxisset boni uocem, sicut distinximus meriti mercedisq; uocabulũ. Vt enim uarij sunt gradus gratiæ, ita uarij sunt gradus bonitatis siue iusticiæ. Ipse Augustinus multa nomina repperit gratiæ iuxta gradus effectuũ, distinguẽs sufficiẽtem à ꝓficiẽte, opantẽ à cooperãte, rursus opantẽ à præparãte. Et haud scio an pulsãs diuersa sit à præparãte, q. præparãs mouet uolũtatẽ, pulsans aliquãdo nõ mouet.

Iam præparãtis siue pulsantis gratiæ possunt esse plurimi gradus, sicut deus uarijs modis ac paulatim trãsformat hominẽ, non aliter q̃ natura paulatim fingit hominem, aut medicus paulatim restituit hominem. Quoties igitur homo assentitur gratiæ operãti, quæ confert iustitiam, initium gratiæ non est ab homine, sed à gratia præparante siue pulsante, quæ præcesserit, per occasionẽ excitans hominẽ ad eam cogitationẽ, ut sibi displiceat, optetq̃ fieri melior. Innumerabiles aũt formæ sunt, quibus id agat deus, Interdũ per uxorem, seruũ, aut amicum fidelẽ uocat, maritum, herum & amicum infidelem: Interdũ idem facit morbo, orbitate, aut alia quauis immissa calamitate, nõnunq̃ ministerio uerbi, Nõnullos prodigijs aut spectris, aut in somnijs, Et sæpe uelut ex insidijs uenatur hominẽ ad salutẽ per eas res quibus maxime capitur, uelut uxorios per uxorem, & diuum Hubertum cepit in uenatu, & amantes studiorum per literas, Nonnullos trahit secreto sibilo spiritus. Nec statim bonum propositum sic dicitur bonum, ut reddat hominẽ beatũ. Quisquis enim uere propositũ bonũ habet, is iustus est per gratiã, sed hic bonum appellatur, q, accedit ad aliquã boni imaginẽ, & aliquo gradu recedit à malo. Nisi forte nobis placet Stoicorũ opinio, qui faciebant oĩa peccata paria, docentes hominẽ repente, aut summe bonũ esse, aut summe malũ. Quod etiã si iuxta ratio

nem

nẽ aliquã uerũ esset, tamen quoniã sermo abhorret à sensu cõmuni, & à consuetudine sacrarũ literarũ, repudiandus est. Adferũt illi simile de homine collapso in aquã, negantq; referre, utrũ multis cubitis absit à summa aqua, an duobus digitis, modo submersus pereat. Augustino magis placet collatio de luce ac tenebris. Non parũ enim interest inter eũ qui uersatur in densissimis tenebris, ut nihil omnino cernat, & inter eũ qui procul affulgente luce quãuis exigua, per tenebras cernit aliquid licet incerto, & inter eũ qui uicina luce clare perspicit omnia. Atq; ijsdẽ opinor gradibus à clara luce puenitur ad densissimas tenebras. Vtriusq; rei exemplũ præbet mons ille, per quẽ pfossus à Baijs Neapolim adeũtibus iter est: ĩgredientẽ comitatur aliquãdiu lumẽ, ob testudinis sublimitatẽ, sed mox paulatim deficiẽs, donec uentũ est ad dẽsissimas tenebras, quales esse dicũtur apud inferos. Id tædium esset intolerabile, si diuturnũ esset, sed aliquãtulũ progressis apparet subluſtre quiddã. Id luminis ex dorso montis pfosso, uenit superne, estq; minimũ et anceps quo cito relicto reditur ad profundam caliginem, in qua progressis aliquãdiu, procul apparet ceu minutissima quæpiam stellula. Ea lux quo ppius accedis, hoc fit maior & euidentior, donec clarissime cernas omnia. Illud non cõgruit in hac similitudine, q; ad illam lucem nos accedimus, quũ gratiæ lumen magis

accedit ad nos: quemadmodum sol paulatim discutiens noctis caliginem ad nos uenit. Magis autem congrueret, si lumen esset, quod uicissim accederet ad propius accedentes: Sicuti gratia appropinquat appropinquãti. Vt igitur non statim perspicit qui primo diluculo uidet ambigua luce, ita non statim bonus est, quẽ affluit aliqua lux gratiæ, et quãquam longius abest à profunda caligine, qua nihil omnino cernebat, & tamen si ab hac luce non auerterit oculos, sed quantum potest intenderit, dignus est cui se maior lux ostendat. Quoniam autem hæc hominis mutatio, renascentia dicitur, conferenda est & hæc similitudo, Nõ statim est homo quod hæsit in matrice, paulatim fingitur à natura coagulum, & augescit more plãtarum ac fungorum: deinde sentit etiam, tandem absolutus naturæ artificio fœtus prodit, animal esse uides, at quantum est temporis, priusquam sese explicet anima rationalis, sed tamen ijs gradibus paulatim fit homo perfectus, nec infunderetur id per quod fit homo, nisi materia prius præparata. Fingamus enim docendi gratia, primũ esse liquorem seminalem, mox coagulum, deinde plantam, mox animal, deinde hominem, sed rudem & imperfectum, tandem uere hominem. Vt igitur nascimur sic renascimur: Semper excipio dei potentiam absolutã, qua subito facit alios quos uult. De ijs quæ plerunque

runque facit loquor. Rursus quando peccatum morbus dicitur, & Christus medicus, conferamus et hanc similitudinem. Quot gradibus medicus peruenit ad sanitatem ægrotantis? Incidit uenas, ne præsens exitium opprimat laborantem, subijcit cibum, pharmacis inanit corpus, mox aliter purgat, artem semper accommodans naturæ uiribus, quæ uelut arti collaborant, dum insita ui pugnant cum hoste morbo, & ad sanitatem anhelant, & has ars uicißim adiuuat. Tandem recipiente sese natura, pharmacis corroborantibus erigit, donec plena sit sanitas. Vt autem est & in ægrotis naturæ uis quædam abhorrens à morbo, & appetens sanitatis, quàm tamen in graui morbo non potest assequi sine medentis opera, nec à medico iuuabitur nisi se medico præbeat, sed grauabitur potius, Vt inest homini natiua cernendi uis, quam tamen habet frustra, nisi se offerat lumen, ne lumen quidem prodest, si auerterit aut clauserit oculos: nec quod oportet uidet, nisi ad id quod oportet intenderit oculos: ita gratia naturam caligantem, & ægrotantem paulatim excitat, donec ueniat ad illud donum quo beati reddimur in hac duntaxat uita. Beatus enim est quis quis liber à peccatis, donatus est iustitia. Sed ut est bonitas, imò bonitates potius, non propriæ dictæ,

sed tamen progressus quidam ad illam sufficientem gratiam quam recentiores appellant gratum facientem: ita sunt et iustitiarũ gradus, per quos homo paulatim fingitur ad ueram iustitiam, in quibus tamẽ nihil homo potest arrogare sibi. Nam finge mihi quempiam ex subita morte necessariorum concepisse metum gehennæ, ac diuini iudicij, nondum iustus est, sed tamen aliquod initium sapientiæ est timor domini. Hoc ipsum, quod inhorrescit cui debet? An naturæ? Nequaquam inquies, Sed pulsanti gratiæ, quam si amplectitur per liberum arb. congruit ut diuina bonitas addat uberiorem gratiam. Sin auersatur ac reijcit, qualecunq; doniũ uoluntatis ppriæ uicio persecuerat in improbitate. Iam si cõcussus metu, leuius ac timidius peccat, desinẽs exultare in rebus peßimis, aliquo usq; profecit ad iustitiam: si iam peccare desijt, ac cessit propius: si pari studio semet exercet pijs operibus, quo antea seruierat uicijs, habet ueram iustitiam. Nec tamẽ deus tam morosus est, ut semel reijcientẽ gratiam protinus suo relinquat arbitrio, imò non desinit usq; ad mortẽ undiq; obijcere resipiscendi occasiones. Eos excipio, qui ob insignẽ maliciam tradũtur in reprobũ sensum. Verũ est igitur quod ait Augustinus, bonum propositum hominis non adiuuari à gratia, sed dari per gratiam, si sentit ut opinor, de bona hominis uoluntate, per quam iustificatur. Verum

ut inest

ut ineſt homini naturæ procliuitas ad uicia, per quam ſatanas perpetuo ſollicitat ad peccandum, ita ineſt in homine naturalis appetitus honeſti, licet imperfectus. Hũc dei gratia pulſans mille modis ſollicitat ad iuſtitiam, excitans quod in homine latebat inualidum. Hunc naturæ niſum ad uirtutem ac pietatem, ſi quis bonum propoſitum appellet, nihil, ut arbitror, abſurdi dixerit. Quod tamen ipſum debemus excitanti gratiæ, et adiuuanti, demum perficienti, niſi gratiã negligimus. Mihi ſanè nihil hic uidetur, quur uereamur, ne gratia non ſit gratia, quum hic naturæ niſus inualidus ſit abſque gratia, & aſſentiri gratiæ præparanti, non promereatur gratiam iuſtificantem, ſed tantum excludat hominis indignitatem: quemadmodum ægrotus non ideo minus debet medico, quod monitus ab illo, ſeſe commiſerit illius arti, ſed effugit, ne fieret indignus, quem medicus curandum ſuciperet. Et qui conſilio amici ſeruatus eſt fatetur ſe debere uitam illi, quum inutile fuiſſet amici conſilium, ni parere uoluiſſet, & integrũ erat monentem negligere. Iam ſi ſingulas occaſiones, per quas peccator admonetur ut reſipiſcat, libeat appellare pulſantem gratiam, non admodum repugnarim. Et tamẽ in his quoq; non prorſus ocioſum eſt liberum arbitrium, dum occaſioni ueluti monenti præbemus aures, & aſſentimur, quod certe poſſumus naturæ uiribus: de aſſenſu.

loquor non qui iustificat, sed qui præparat aliquo modo. Iam donemus huiusmodi motus animi licet imperfectos sine gratia ex ipsis scatere naturæ uiribus, num periclitabitur dei gratia? Non opinor. Qui sic? Quoniam hoc ipsum quod in nobis relictum est boni, & totum hoc quod possumus aut sumus, dei donum est. Vnde cunq; igitur incipias recessum à uitijs, ac progressum ad uirtutem, à gratia est exordium nõ ex nobis. Nec obstat, quod nunq̃ non occinit Augustinus, Quid habes qd' non accepisti, etsi accepisti, qd gloriaris q̃si nõ acceperis? Idem occini potest de diuitijs, forma, uiribus, generis claritate, prospera ualetudine, ingenij dexteritate, rerum successu glorianti, Denique si quis despiciat fœminam, sibi placens, quod mas natus sit, ei possent eadem uerba ingeri, Quid habes quod non accepisti? Hic igitur sermo Pauli non excludit liberũ arbitrium, sed premit hominis arrogantiã, non agnoscẽtis se ex dono dei esse, quicquid est, si quid omnino boni est. Idem docet 2. Corint. 3. distinguens has uoces à nobis, & ex nobis. Nõ sumus inquit, sufficiẽtes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex deo est. Etiam illa quæ possumus naturæ uiribus, sic à nobis oriuntur, ut tamen ex deo sint, à quo fonte promanant omnia. Subinde recinit & illa Augustinus, A domino præparatur uolũtas, quod tamen ex quo scripturæ loco hauserit nondum com-

peri,

peri, sed idem illud adducit ex Prouerbiorum .16. ni fallor, Hominis est animam præparare, de quo dictum est aliâs. Ex his duobus dictis sequitur uoluntatem simul & à deo & ab homine præparari: & quemadmodum in bono opere simul agunt uoluntas hominis & gratia, itidem & in concipienda gratia simul agunt: non quod homo quicquam agat ad creandam gratiam, sed quod se gratiæ capacem præbeat, pro sua portione. Iam quum præparare hoc loco nihil aliud sit quàm adiuuare, Augustinus adiuuandi uerbum horret, præparandi uerbum amplectitur: & adiutoris uocabulum non accipit, largitoris recipit, quasi non largiatur bonam uoluntatem, qui imbecillem adiuuat, ut uere sit bona, quam quisquis habet, beatus est. Nam Augustinus, ut dictum est, sentit de uoluntate sufficiente, siue perfecta. At alter loquebatur de bono proposito, sed imperfecto, quod per auxilium diuinæ gratiæ reddere tur sufficiens. Possunt autem imperfectæ cognitionis, & imperfectæ uoluntatis esse multi gradus, quandoquidem neque nostra fides, ac uoluntas, per quam iustificamur, perfecta est in hac uita, & tamen dicitur bona uolũtas. Quod si quis dicat in homine nondũ spiritu renato, nullã esse fidẽ aut cognitionẽ eorũ quæ pertinent ad pietatẽ, nullã bonã uoluntatem, nullã iustitiam, nullam uirtutẽ, quis impfectam,

rem

rem adfert omnibus Stoicorum paradoxis παραδοξοτέραμ, quum in ethniconum historijs legamus eiusmodi uirtutum exempla, ut merito nos Christianos aliquoties pudefaciant, in philosophorum libris eiusmodi reperiamus præcepta, ut quidam conentur docere, ea fuisse de prophetarum hausta uoluminibus, adeo consentiunt dogmata. Ex his fontibus nascebantur apud illos quædam bona opera, quæ fateor nec promerebantur, nec gignebant gratiam iustificantem, sed tamen reddebant animum gratiæ capaciorem, nisi interuenisset uel hypocrisis, uel reprobus sensus, quemadmodũ & philosophi dicunt, per formas quasdam accidẽtales materiam reddi capacẽ formæ principalis. Quod si quis hæc quoq; quæ gẽtes uel cognouerunt, uel præstiterunt, uelit aßcribere gratiæ dei, non refragabor, sic ut fateantur hominis liberum arbitrium per gratiam adiutum huc peruenisse, in quibus si profecissent per eandem gratiam assequi poterant æternam salutem. Quanquam enim Hieronymus ad Ctesiphontem sentire uidetur omnes interisse, ad quos lex Mosaica non peruenit, tamen mihi probabilius uidetur quod scribit ille quisquis fuit, in libris de uocatione omnium gentium, nulli æti, nulli hominum generi diuinam prouidentiam defuisse. Siquidem ante proditam Mosi legem constat in lege naturæ multos fuisse sanctos. Lex autem Mosi

quoni

quoniam uni tantum populo tradita est, nec iussa est prædicari per uniuersum orbem, sicut Euangelium, sed tantum posteris eius nationis, etiã si proselyti non reijciebantur, nõ obligat, nisi quibus erat tradita, aut qui eam sponte fuissent professi. Quin potius in Euangelio taxantur pharisæi, qui peragrabãt mare ac terram, ut facerent unum proselytum, bis futurum gehennæ filium. Quemadmodum itaq; lex naturæ non iustificabat, sed ad iustitiam præparabat, ita Mosi lex tametsi non conferebat perfectam iustitiam, tamen ad eam præparabat, uel hoc nomine, quod Iudæos metu cohercebat, ne prolaberentur ad extremam impietatem. Sanabilior enim est, qui metu moderatur malefacta, quàm qui excusso omni dei timore & hominum pudore, gloriatur & exultat in rebus pessimis. Hoc opinor significans Paulus dicit se plus omnibus laborasse. Iudæos enim lex præpararat Christo, quanq̃ non conferebat iustitiam. Iam enim cognouerunt unũ esse deũ, gentium deos esse dæmonia generi humano inimica: nõ esse salutẽ nisi ex deo. His alijsq; plurimis facti sunt capaciores Euangelij. At Paulus duriorem susceperat prouinciam erudiendi gentes, quarum aliæ credebant nullum esse deum, aliæ non curare res mortalium, alij de dijs pessime sentiebant, existimantes eos esse tales, quales describunt fabulæ, plerique putabant à rogo nihil hominis superesse.

esse. Et tamen in his sanabiliores repperit, qui leuius peccarant, hoc est, in quibus minus erat peruersi animi, quod idē accidit in Iudæis. Peruersitas aūt non naturæ est, sed liberi arbitrij. Aliud enim est peruersitas aliud error, aliud uacare iustitia, aliud esse impium. At Lutherus sic exaggerat naturam uiciatam, ut eā æquet maliciæ satanicæ, quum scriptura dicat, Sanabiles fecit deus nationes terrarū, Et, non est in illis medicamentum exterminij, aut inferorum regnū in terra. Iustitia enim perpetua est et immortalis: iniustitia autem mortis acquisitio. Impij autem manibus & uerbis accersierunt illam. Quod autem hic loquitur de peccato uoluntatis non originis, declarant quæ sequuntur, Dixerunt enim impij cogitantes apud se non recte, &c. Proinde quemadmodū fatemur naturā hominis, ptoplastorū peccato uiciatā, ita cōstat in eadē esse relicta semina nō mediocria uirtutū ac pietatis. Quod si ideo facimus hominē totū impium, qa talis natus est, faciamus eundē totum piū, ob insita pietatis seminaria. Quod aūt plures se flectunt ad uicia q̄ ad uirtutē, non tā naturæ uicium in causa est, q̄ prava educatio, conuictus improbus: præterea q, uicia præsens habent autoramentū & illecebrā, Virtus circa difficillima ac molesta uersatur, nec statim habet paratam illecebram. Hinc plerique proniores sunt ad mala. Iam ut fatemur per Mosi legem plenius

Sap. 1.

cognosci

cognoſci peccatum, ita negari non poteſt gentium le
ges quæ complures Moſen præceſſerunt, multa ea
dem punire quæ punit lex Moſi. Oſtendit igitur &
naturæ lex peccatum, & hæc cognitio gignit horro
rem peccati. Id eſſe uerum declarant ea quæ gentium
poëtæ ſcribunt de cruciatu conſcientiæ, deq; diris ul
tricibus. Quod ſi Moſi lex tantum ualet, ut intelle
cto peccato, confugiamus ad implorãdam opem dei,
quid uetat, quo minus eodem impellat lex naturæ, iu
xta ſuum modulum? Et ſi precatio nos præparat gra
tiæ diuinæ, quod fatetur et Lutherus, qui minus huic
nos præparent opera moraliter bona, Inter quæ opi
nor et precationem eſſe? Nihil hæc moror illa Stoica, 33
quæcunq; fiũt extra gratiam, æque dãnabilia eſſe, ut
Socratis tolerãtia, nihilo leuius crimẽ fuerit apud de
um, q̃ Neronis crudelitas. Vt uere bona non ſint, quæ
gerũtur abſq; dono fidei & charitatis, quæq; nõ refe
rũtur in deũ, tamen aliquo modo bona dici poſſunt, q̃
nõ pugnãt cũ fide et charitate, et huc uelut accedũt.
Interim pone mihi fidei gradus, et charitatis gradus
q nondũ attingãt fidẽ efficacẽ, quã ſolus deus dat. Po
ne mihi ethnicũ philoſophũ, q ſciat unicã eſſe mẽtem
conditricẽ & gubernatricẽ omniũ, qua nihil melius
aut maius eſſe poſſit. & unde pfluit omne bonũ, et un
de præmia recte factorũ, quã norit animi puritate co
lẽdã, ritus tamẽ uulgo receptos ferat, partĩ q deſpet,

aliud

aliud persuaderi posse rudi populo, partim quod existimet in rem esse populi, tali religione contineri, donec melius aliquid exoriatur, atque ipse interim admoneat quos putat esse dociles. In officijs det operã, ut quàm plurimũ prosit patriæ, parentibus, uxori ac liberis: negligens inuidiam uirtute conflatam, & ab illa mente sperans recte factorum præmium. Hoc animo fuisse quosdam, ipsorum libri testantur. Quid? An dicemus hunc æque peccare, quum optime se gerit, ac si ueneno tolleret uxorem, & prostitueret liberos? Equidem arbitror talem nec omnino carere fide, nec opera facere prouocantia diuinam iram, sed seipsum præbere capacem & habilem diuinæ benignitati. Proponamus Augustinum nondum Christianum, sed ueluti in compito deliberantem, cui sectæ potißimum esset initiandus. Nam Manicheus erat, non quod eam probaret hæresim, sed ne nullius esse sectæ uideretur. De Christo dubitabat, aderat tamen hic animus, ut quã cõperisset optimã, ei daret nomẽ. Id ut consequeretur, audiebat Ambrosiũ, legebat epistolas Pauli, conferebat cum amicis de beata uita, orabat, dabat eleemosynas, abstinebat à pphanis theatris, horrebat flagitia, concubinã unicam habebat, sed cui seruaret coniugij fidẽ, qd' in ethnico nullũ habebatur crimen. Huiusmodi factis quũ uelut ambiret domini gratiam, num dicetur æque puocasse deũ, ac matrem

ueneno

ueneno sustulisset? Quid absurdius? Quod si huiusmodi operibus moraliter bonis, siue quocunq; nomine uocare placet, præparatur homo gratiæ diuinæ, siue ut scholastici loquũtur, merito congruo promeretur eã, quid habet absurditatis sententia? Et si poterat Augustinus per uim liberi arbitrij audire concionantẽ Ambrosium, legere libros sacros, erogare stipem in pauperes, uacare precibus ac meditationibus, confabulari cum pijs hominibus, eosq; rogare ut domino salutẽ ipsius suis precibus cõmẽdarent, quid est quur sic exsibiletur opinio scholasticorum, quæ tradit hominẽ per opera moraliter bona promereri de congruo gratiã iustificãtem? Verborum umbris territamur, quum in re nihil sit absurdi. Si quis dicat huiusmodi factis hominem aliquo mõ præparari gratiæ, ferent opinor: nunc quum idem sentiat qui dicit de congruo promereri gratiam, offenduntur. Quod de Augustino propositum est, idem dici potest de homine multis uitijs inuoluto: sed tamen sibi displicente optanteq; mentẽ meliorem sibi dari. Sic enim audiui quosdam dicẽtes: Vtinam deus donaret mihi fidem: Vtinã daret rectã uolũtatem, quorum neq; fidem syncerã & uitam improbam esse sciebam. Quibus respõdebam: Tuum est nõ leuiter optare tantum dei donum, sed etiam ambire. Quibus inquiebant modis? Euolue inquam, sacros libros, adi sacras conciones, ora frequenter, eroga pecuniam in egenos, pijs hominibus commenda salutem

tuam, detrahe paulatim uitijs quod potes. Hæc quæ in te sita sunt præstanti, non defutura est dei gratia: & arbitror me dedisse pium consilium. Qui optat sibi dari bonam uoluntatem, non omnino caret ea: & qui optat fidei donũ, non prorsus caret fide, sed quod habet imperfectum, optat auxilio diuino perfici. Nec ita magni refert, utrum quis dicat hæc opera exerceri per lib. arbitrium, an semper aspirante peculiari gratia, prouehente non perficiente. Quanquam plausibilius est fateri in his nõ abesse dei gratiam, hominis uiriculas per se inualidas, paulatim prouehentis. Nihilo enim minus debeas ei, qui tibi semel sortẽ dedit, unde possis diu negociari, q̃ qui quotidie conferat aliquid, quod in eũ diem satis sit. Ad hæc quotidie dat, cui semper in manu est quod dedit eripere. Non enim hic donum gratuitũ uertitur in debitum, sed modus donandi mutatur. Nec hic gratia datur secũdum merita, quod execrabantur etiam Pelagiani, sed uitatur, ne gratia dari uideatur indignis. Indignos appello, non eos qui non sunt promeriti, sed recusantes & auersantes dei donum. Rursus nõ est metuendum ne gratia uideatur ex naturæ uiribus oriri, quum hoc ipsum, ut crebro diximus, naturæ bonum sit gratuitũ dei donũ, in alijs maius, in alijs minus. Nec protinus habet homo quod de se glorietur, nisi sibi uelit arrogare quod habet aliũde. Et si tãtum est periculi à gloria, potest homo etiam de peculiari dei dono tollere

cristas

cristas, quando hoc uere à pijs hominibus traditũ est, inanis gloriæ malum in medijs etiã uirtutibus insidiari. Deniq; periclitatur, ne hoc ipsum, quod naturæ uiribus potest, eripiatur, si secus quàm oportet fuerit usus. Vnde quemadmodũ pro bona corporis ualetudine reliquisq; cõmodis gratias agimus deo, cõuenit & pro his dotibus agere gratias, orantes ut quod imperfectum est, suo afflatu perficiat: & quoniam quotidie quodãmodo donat, qui quod potest eripere nõ eripit, est quur semper interpellemus deum, uel gratias agẽdo pro acceptis, uel orando ut quod largiri dignatus est, conseruet augeatq;. Hoc itaq; meritorũ genus nõ officit gratiæ, sed efficit ut homo decentius ac largius accipiat gratiam. Hæc ideo replico; quo demõstrem huius cõtrouersiæ bonam partem apud priscos ex uocibus parũ cõmode acceptis, ortam incruduisse. Hieronymus grauiter indignatur Ctesiphonti, quod tamen ab ipso cõfictum apparet, qui scripserat hominẽ posse fieri saluũ si uelit, auxiliãte tamẽ gratia. Ipse dicit: Velle & currere meũ est, sed ipsum meũ sine dei semper auxilio non erit meũ. Sermo diuersus est, res eadem. Deniq; tota hæc causa tractans quibus modis dei gratia operetur in homĩe, multos habet recessus, quos curiosius excutere non est necesse. Constat quicquid in nobis est, id totũ à dei liberalitate proficisci. Cæterũ quõ dispẽset suã in nobis munificẽtiã definire, ut sit piæ speculatiõis, certe nõ arbitror esse necessariũ.

Et tamen in nullo genere materiarum libentius deliciatur Augustinus. Ostendi scholasticorum opinionē, quæ inter nō reprobatas plurimum tribuere uidetur lib. arbitrio, nō ita multum dissidere ab opinione Augustini, nisi quod uariant in uocabulis potius q̄ in re. Veteres quoties dicunt meritum, sentiunt talc genus meriti, quod excludit gratiā, quale sit si quis magnis officijs prouocatus, reponat gratiā, ingratus futurus ni faciat. Aut si quis fabro cōducto soluat mercedem operæ. Sed merito negatur ei beneficiū, qui negligit, qui recusat oblatū, qui male utitur accepto, qui ingratus est ei qui dedit. Cōtra quodāmodo meretur, qui libenter accipit, qui beneficij magnitudinem agnoscit, qui dextre utitur, qui meminit ac prædicat. Nam deo qui nullius eget mutua gratia, egisse gratias aut habuisse, retulisse est. Similiter quum sint multæ species iusticiæ, bonæq̄; uoluntatis ac fidei, quoniam hæc non satis euidēter distinguuntur à ueteribus, nec satis ād uertisse uidentur quid dicāt alij, nec ipsi sibi ualde cōstant, ut si quis exactius conferat, excutiatq̄; singulas partes disputationis, deprehensurus sit illos nonnunq̄ eadem dicere cum his quos impugnāt, nec inter ipsos consentire, quum causam eandē tractent, Veluti Hieronymo uidetur absurdū dicere, deum sua bona opera coronare, quæ facit in nobis, quum apud August. nihil sit hac sententia decantatius: Interdum in eadē disputatione una pars cum alia parum congruat, eo quod

quod non satis distinxerunt uim nominum. Nullus tamen illorũ tam iniquus fuit lib. arbitrio, quin aliquid tribuerit. Quemadmodũ Adam per lib arb. perseuerare potuit in bono conditus rectus: sed lapsus est, qa perstare noluit: quod si uoluisset, meritũ fuisset illius, pro culpa. Augusti. uerba sunt lib. de correptione & gratia cap. 11. Posset ergo permanere si uellet, quia dederat deus adiutorium per quod posset, & sine quo non posset perseuerãter bonũ tenere quod uellet. Sed quia noluit permanere, profecto eius culpa est, cuius meritum fuisset si permanere uoluisset: sic homo per gratiã liberatus, si uult, permanere potest in gratia, & si perseuerat meretur: si non uult, culpam admittit. Hic certe meriti culpæq; ratio refertur ad lib. ar. Nec enim arbitror ad hoc institutum pertinere, discutere an præter naturæ donum addita sit Adæ gratia, sine qua non posset perseuerare: & an naturæ donũ suffecturum fuerit aduersus omnes tentationes, quum ad primum Satanæ assultũ ilico uictus sit. Satis est tenere de Adam qualis fuerit in Paradiso, quod sacris literis proditum est, etiam si nos non respondeamus omnibus omnium curiosis quæstionibus. Lib. arb. igitur, ut ait Augusti. ad malum sufficit, ad bonum autẽ parum ualet, nisi adiuuetur ab oĩpotente bono: Parũ enim ualere dixit, ut respondeat illi, sufficit. Et quum meminit omnipotentis boni, subindicat bonũ aliquod humanũ et imbecille, qd egeat auxilio gratiæ. Quod

De cor. & grat. ca. 11.

aũt illud est, nisi quod per naturæ uires homo potest assequi, nõ ut ilico sit beatus, sed ut diuinæ gratiæ sit præparatior. Qui per rationem humanam multa intelligit, creditq; de deo quæ uera sunt, qui ex philosophorũ libris imbibit amorẽ sapiẽtiæ, qui pro modulo suo ad habitum uirtutis enixus est, aliquãto capacior est crasso milite, qui in profunda rerũ ignorantia maximisq; sceleribus uersatus, ne cogitauit quidem unq̃ de deo. Habet igitur homo quod nõ accepit? Nequaq̃. At nõ cõsequitur, hic nõ accepit dono, sed ex legato, igitur nõ accepit. Itẽ non cõsequitur, hic accepit illo modo, igitur nullo mõ accepit. Quod si libeat sophisticari, ne id quidẽ uerum est, q̃ lib. arb. ad malũ sufficit. Non enim sufficeret, si destitueretur generali motu primæ causæ. Accipit igitur hoc ipsum quod potest male uelle, ac scelus admittere. Quũ igitur insit in homine natiua quædã uis appetẽs honesti, licet peccato debilitata, uarijs occasiõibus excitatur, quarum una lex est, quæ dũ inuitat præmijs ad recte agendũ, supplicio deterrẽs à malefactis, efficit ut homo suum peccatum agnoscens, sibi displiceat, etiam si clàm est peccatũ. Contra gaudeat, si legi non est obnoxius. Quod si ex parte præstat lex naturæ quod lex dei, & aliqd̃ bonum exordium tribuitur legi peccatum indicanti, non absurde idem tribuitur lib. arb. Rursus si distinctis gratiarum gradibus placet oẽm occasiõnẽ ad melíora uocantẽ appellare gratiã, patiar, mõ patiatur

&

& naturæ uires dici gratiã. Quẽ dabis tam efferatũ uitijs, ut si serio rogetur num uelit esse purus à uitijs, deoq; charus, quin responsurus sit, se uelle? Est aũt, ut 33
Seneca scribit, magna pars bonitatis, uelle bonũ fieri. Ea uolũtas quo magis recedit ab ĩperfectione, hoc homo uicinior est gratiæ. Quod si demus quãtulũcũq; uelle bonũ à natura proficisci, nõ impie dicitur bonũ hoĩs propositũ per se inualidũ acceßiõe gratiæ iuuari. Fatetur Augustinus ex his uerbis 2. Par. 15. Dominus uobiscũ, si uos estis cum eo, & si quæsieritis eum, inuenietis: si aũt dereliqueritis eũ, derelinquet uos, declarari lib. arb. & ad bonũ & ad malũ. Verũ in hoc dissentit ab aduersarijs, quod illi dicũt meritũ nostrũ in eo esse, quod sumus cum deo: eius autẽ gratiam secũdum hoc meritum, ut sit & ipse nobiscum. Item meritum nostrum in eo esse, quod quærimus eum, & secũdum hoc meritũ dari eius gratiam, ut inueniamus eum. Similis locus est 1. Paral. 28. Si quæsieris eum, inuenietur tibi: & si dimiseris eum, repellet te in perpetuum. Fatetur ex hoc quoq; recte colligi lib. arb. at non fert eos, qui hic ponunt meritum hominis, Si quæsieris eum, ut succedat præmium, inuenietur tibi. Hæc cõtroversia mihi nasci uidetur ex uoce potius, q̃ ex re. Etenim qui iussus quærere dominum, pulsantẽ gratiã nõ aspernatus, illi suas uires attẽperãs, aliquo mõ se dignũ præbet uberiore gratia, & hoc meritũ non absurde quis dixerit, non quod æquet beneficiũ, De lib. arb. cap. 5.

& gratiam uertat in debitam mercedē, sed quod excludat indignitatē. At Augusti. interpretatur de merito, cui debetur merces. Nam id sentire se declarat, quum ait, & omnino laborant quantum possunt ostēdere dei gratiam secūdum merita nostra dari, hoc est gratiam non esse gratiā. Est enim meriti genus quod excludit gratiam, & mercedē debitam flagitat, quale est operarij, cui nisi reddas mercedem, potest in ius uocare. Si reddas, neuter alteri debet gratiam. Secundum hunc sensum opinor anathema pronunciarant in eos, qui dicerent dei gratiam secundum merita hominum dari. Verum Augusti. dum nimium horret initiū gratiæ dare lib. arb. fatetur quidem præceptis diuinis conueniri lib. arb. Velut cum ait Ioan. Charissimi diligamus inuicem. Cæterum hoc negat prodesse, nisi qui præcipit, addat aliquid dilectiōis, ut præcepto admonitum lib. arb. quærat dei donum. Videtur igitur præter gratiam præcepto pulsantē requirere gratiā aliquam imperfectā, quam infundat deus, ut hac accepta, quærat gratiam iustificantem, quod ibi scribit Ioannes: Dilectio ex deo est. Sed iam eodē res deuoluetur. Etenim qui gratiam habet imperfectam, nōdum iustus est. Quomō igitur quæret, quum lib. arb. nōdū sit liberatum? Neq; protinus charitas illa iustificans non est ex deo, etiam si fateamur hominē ex naturæ uiribus habere qualemcūq; charitatē erga deum possc. Idem ad Valent. de corrept. & grat. Desiderare inquit,

1. Ioan. 4.

De lib. arb. ad Valent. cap. 18.

inquit, auxiliũ gratiæ, initium est gratiæ. Quod si cõ cedimus in hoĩbus etiam sceleros is esse aliquod gra tiæ desiderium ex ipso naturæ sensu, rursum causa pe riclitabitur, ne gratiæ initium sit à lib. arb. Quod ue hementer abominandum esset, nisi quicquid potest lib. arbitrium, ex dei dono proflueret. Quod si quis in his quoq; gradibus, quibus paulatim à uicioso ha bitu receditur, & ad iusticiam acceditur, uelit adiun gere gratiam peculiarem, arbitror piam opinionẽ. Cæterũ ex his minutijs excitare tragœdiam, nõ arbi tror esse Christianæ tranqllitatis, præstiterit fortas sis permittere, ut iuxta Paulum hactenus quisq; in suo sensu abũdet. Augustinus aduersus Pelagianos decertãs, studio gratiæ tam parum tribuit lib. arb. ut nomine tribuat aliquid uerius quàm re. Rursus cum ijsdem di micans, qui dicebant infantes nihil damnationis con trahere ex peccato primorum parentum, ait illos, si sine baptismo discesserint, æternis ignibus exurendos. Vtranq; sententiam posteriores Theologi moderati sunt, aliquanto plus tribuentes lib. arb. quàm ille tri buebat, ac distinguẽtes meritum congruum à merito condigno: fidem acquisitam à fide insusa, uoluntatem perfectam ab imperfecta. Item infantium damnatio nem temperantes, distinguendo pœnam damni à pœ na sensus. Ioannes autẽ Gerson nec desperare uidetur omnino de salute infantis, si parentum pietas insignis dei bonitatem gnauiter solicitarit. Iam quod Theolo

gis in Augustini de lib. arb. sentẽtia uisum est parũ, id Luthero uidetur nimium, qui necessitatis uocabulũ inuehit, unde constanter abstinuit Augustinus ac ne illud quidẽ tribuit lib. arbitrio posse se à gratia subtrahere, quod illi non negat Augustinus. At qui pio quidem animo, sed tamen incautiore, quo gratiæ magnitudinem exaggerent, quicquid possunt, demũt naturæ uiribus, perinde mihi facere uidentur, quasi si quis neget ullos salutẽ adeptos, uel in lege Mosi, uel in lege naturæ, quo magis attollat gloriam aduentus Christi, aduersus eos qui dicere solẽt, quid noui Christus attulit? Nec animaduertunt interim hoc ipsum, quo seruabantur hominẽs ante proditum Euangeliũ, fuisse ex dono Christi, qui pro sua bõitate nulli deest. Quanq; pro diuini consiliĳ dispẽsatione, pro temporũ ac personarum uarietate aliter atq; aliter sese cõmunicat. Et si usq; adeo placebat exaggeratio, ea magis intendenda erat in stulticiam ac maliciam hominũ, in quam sese per lib. arb. præcipitauerãt, quàm in naturam ex Adæ peccato uiciatam, ne uideamur aßẽtiri Manichæis. Iam si cui placet illorum sententia, qui mẽmimũ absunt à fossa Manichæorum, cauere debet ne longius progressus corruat in barathrum, atq; ita tribuat gratiæ totam hominis salutẽ ut meminerit hominis uoluntatẽ iam liberatam simul agere cum agente gratia, & agẽdo promoueri, non ut debeatur gratia, sed ne indigno subtrahatur. Meminerit item in homi-

uis

nis esse potestate gratiæ pulsanti præbere sese, hoc est non auertere. Et hoc ipsum dei bonitas sic acceptat, ut existimet eum hominem esse dignum uberiore gratia. Meminerit in hominis arbitrio esse perseuerare in gratia, aut decidere à gratia. Hæc qui fatebitur, nõ recipiet absolutam omnium rerum necessitatẽ. Postremo meminerit & naturæ dotes esse dei gratiam, ut nihil sit de quo possit homo gloriari, quasi quicq̃ boni ex sese pararit absq; dei gratia: excutiat autem imaginationem de luto, serra & secu[illegible], quæ parabolæ non in hoc adductæ sunt, ut excludant hominis lib. arbitrium, sed ut ostendant totum hominem in manu dei esse, si deus uelit illum uel in nihilũ redigere. Rursus quibus placet recentiorum opinio, quoniam minimũ absunt à fossa Pelagianorũ, cauere debent ne longius proferant pedem, sed meminerint quàm execrabile sit apud deum hominem suis niti uiribus, atq; in sese gloriari, quum quisquis gloriatur, eum oportet non in alio quàm in domino gloriari. Meminerint se etiam pro his quæ præstari possunt naturæ uiribus debere gratias deo: & si quid talium operum accepta deus non esse iusticiæ, sed immensæ bonitatis, qui boni consulit imperfectionem nostram. Postremo meminerint etiam illas naturæ uires à deo iuste eripi, si quis uel abutatur, uel sibi uelit arrogare. Nec seipsos fallant libertatis, meriti, digni, condigni, congrui, debitique uocabulis, quum summa totius

negocij

negocij debeatur gratuitæ dei benignitati, sed tanto diligentius ambiãt gratiã, quanto plus uirium in hoc à deo datum arbitrantur, tantoq; studiosius contendant ad opera pietatis. Porrò si quis erit, cui & Augustinus uideatur iniquior lib. arbitrio, & recentiores plus æquo largi, inter utranq; uiam tutò incedat, credatq; etiam in illis gradibus, quibus, ut dixi, præparamur ad gratiam, nõ deesse gratiam peculiarem, sic ut pro modulo profectus nostri cuique in omnibus & liberum arbitrium gratiæ, & gratia libero arbitrio cooperetur. In summa magis in hoc incũbamus, ut dei gratiam adipiscamur, quàm ut curiose disputemus quomodo gratia in nobis operetur. Nam huiusmodi nimium subtilibus logomachijs citius amiseri mus dei gratiã, quàm assequamur quibus modis gratia operetur in nobis, præsertim quum deus ubiq; inperuestigabilis tam uarijs modis exerat uim suam in rebus conditis. Iam ut fateor iustis causis permotos, qui gratiæ uim exaggerantes, naturæ uires extenuarunt: ita non leuioribus causis commoti sunt, qui non passi sunt quenquam seruari aut interire, nisi ex quacũbuscunque meritis, quorum sententias licet dissidentes, tamẽ quoniam ex eodem pietatis fonte manant, commode decet interpretari, non exagitare, & in cõcordiam redigere, uel in hoc interim cõcordes inter nos, in quo illi non discordant. Consentiunt enim in his, hominem misericorditer seruari, neminem autem iniuste

iniuste damnari, nemini deesse gratiam dei, summa ui
præstandum homini quod in ipso situm est: quicquid
tamen in nobis est boni, totum diuinæ bonitati asscri-
bendum. Porrò scripturas, quæ iuxta speciem inter se
pugnare uidentur, haud magno negocio redigemus
in cõcordiam, si distinguamus uoces, quemadmodum
ostendimus: & si perpendamus deum uarijs rationi-
bus agere in seruandis ac damnandis hominibus, nec
statim hoc in omnibus facere, quod in hoc aut in illo
pro dispensatione fecisse legitur. Velut quum dicitur
decepisse prophetam, aut seduxisse populum, aut in-
flexisse cor impij regis ad hoc aut illud. Quod enim
deus aliquando suggerit impiæ uoluntati peccandi oc-
casionem, aut piæ uoluntati benefaciendi materiam,
non impedit lib. arbitrium, nihilo magis quàm admo
nitor indicans quid sit agendum. Ita Paulo meditanti
proficisci in Bithyniam, obstitit spiritus, iubẽs aliò de
flectere. Ita loquitur & Paulus 2. Corin. 8. Gratias
ago deo, qui eandem solicitudinem pro uobis dedit in
corde Titi. Aderat enim Tito generalis ad bona uo-
luntas, cui deus ostendit in eo negocio quid esset agen
dum. Nec ideo necesse erit, ut existimemus hominem
ex se nunquam posse discernere quid sit agendum. Si-
mile est qd̃ legimus Esdr. 3. Benedictus dominus deus
patrũ nostrorum, qui dedit hanc uoluntatẽ in cor re-
gis, clarificare domum suam in Hierusalem. Opinor
Artaxersem non fuisse in spiritu, & tamen deus inse-

mit

xit cor illius, ut ſineret inſtaurari templum. Huc pertinet illud de Semei, cui præceperat dominus ut male diceret Dauid, mala hominis uoluntate abutens in iuſti correptionem. Hæc quæ peculiares habent cauſas, non oportet ad generalem pertrahere ſententiam. Rurſum ſi quos deus ſubito uiolẽtoq; motu rapuit ad ſe ueluti Paulum, ex his non eſt conſtituẽdum uniuerſale dogma. Alios uocat ex profunda ignorantia, grauiq; ſcelerum lerna: alios diu patitur ueluti ambire diuinum numen. Quod ſi non poſſumus omnino ratione conſequi quatenus, quibus modis, quibusq; gradibus operetur in nobis, certe loquamur more ſcripturarum, more ſanctorum patrum. Quid uero loquitur ſcriptura? Non dicit manis eſt omnis conatus homĩs, nihil refert quõ uiuas, deus aut ſeruabit ſi ſtatuit, aut perdet ſi decreuit, ſed ita loquitur: Cõuertimini ad me, & ego conuertar ad uos: & cõuertimini ad correptionem meam. Venite ad me omnes, contẽdite intrare per angustam portam, ſobrij eſtote & uigilate. Prœuaricatores redite ad cor, Date eleemoſynã. Remittite & remittetur uobis, iudicate pupillo, ſubuenite inopi. Huiuſmodi ſermonibus nos inuicem exhortemur ad pœnitentiam & charitatem mutuam, omiſſis malis colloquijs, quæ corrumpunt bonos mores: frater fratri dicat, Diligamus inuicem, emendemus in melius quæ ignoranter peccauimus, pijs operibus ambiamus domini gratiam: priuatim autem ac

commodemus

commodemus & scripturam & uocem nostram ad proximi necessitatem. Aliter enim loquendum elato, feroci, sibiq; placenti, & erectam ceruicem gerenti aduersus deum: aliter pusillanimi & desperatiõi proximo. Illi proferamus testimonia scripturarum, quae docẽt quàm homo nihil possit suis uiribus, quantũq; discrimẽ sit hominem suis fidere præsidijs. Alteri proferamus testimonia quae doceant quantum homo sibi quoque præstare possit, si uelit adniti: quamq; sit dei parata benignitas præstanti quod in ipso est. Scriptura uero, quoniam nunc hos cõpellat, nunc illos, iuxta qualitatem eorum quibus loquitur, interpretãda est. Alioqui secum ipsa multis in locis pugnare uidetur, cum nihil minus pugnet q̃ scriptura cũ scriptura. Vt finem uoluminis faciam, non hic deprecabor lectoris iudicium, & exigam obsequium, quẽadmodum fecit Lutherus, sed quicquid à nobis disertum est, Ecclesiæ Catholicæ submitto, paratus corrigere, si quid excidit à ueritate discrepans. Porrò Christus illuminet nos omnes unà cum Luthero, ut omnes uno ore, eadẽ mente eademq; sententia prædicemus communem omnium dominum, cui gloria in æuum. Amen.

HYPERASPISTAE LIBER SECUNDUS absolutus Anno M. D. XXVII.

BASILEAE APVD IOANNEM FROBENIVM.

BIBL. UNIW. POZNANIU

Τὸ αὐτεξούσιον .ν. liberum arbitrium fol. 532

BIBLIOTEKA UNIW. W POZNANIU
I
229792